Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/prosperialpinime00alpi

Boston Medical Library
in the Francis A. Countway
Library of Medicine ~ *Boston*

# PROSPERI ALPINI

MAROSTICENSIS *Philoſophi & Medici, in Gymnaſio* PATAVINO
*Medicamentorum ſimplicium Profeſſoris ordinarii,*

# MEDICINA ÆGYPTIORUM.

Acceſſit huic editioni ejuſdem Auctoris

## LIBER DE

# BALSAMO,

ET

# RHAPONTICO,

UT ET

## JACOBI BONTII

# MEDICINA INDORUM.

*Editio nova.*

x libris Doctoris Joaquini a Vena

corto

50. r. v.

*LUGDUNI BATAVORUM,*

Apud GERARDUM POTVLIET, 1745.

40907

*ILLUSTRISSIMO AC SAPIENTISSIMO*

# SENATORI,

# ANTONIO MAUROCENO,

## Supremo Reip. Venetæ Conſiliario.

## PROSPER ALPINUS. S. D.

CUM multis ab hinc annis (*Vir Illuſtriſſime*) medicinæ ſtudio, ac ſciendi cupiditate ductus, patriis & ipſe (exemplo præſtantiſſimorum virorum, qui ad hanc, & alias diſciplinas perdiſcendas, varias regiones peragrarunt,) littoribus relictis, in Ægyptum profectus eſſem, quod ipſam medendi artem primas ac veriſſimas radices apud illas gentes olim habuiſſe intellexerim, quando vel à brutis animalibus ibi medicinam exerceri, aliqui prodiderint, ex quibus & vacuandi ſanguinis per ſectas venas, & multorum aliorum præſidiorum uſum prodiiſſe, Ægyptiorum non paucis perſuaſum eſt: apud illos populos nonnullos annos moratus, ipſorum uſitatam medicinam à me eo tempore obſervatam, & in quinque Commentarios digeſtam, poſt meum in patriam reditum eum perficere ſummopere optarem, evo-

 catus

catus interea Genuam ad Joannem Andræam Auriam, Principem ampliſſimum, ut apud illum medicinam ſacerem. aſſiduis Aulæ curis implicatus, id eo tempore efficere non potui. Cum vero illinc reverſus, in perfectiorem eos, quoad potui, ſtatum reſtituiſſem, decrevi ſub tuo nomine nunc tandem ipſos in lucem proferre. Quos tibi ampliſſimo Senatori, mihi jam uſque à primis meorum ſtudiorum annis fautori, adjutori, ac patrono unico jure merito dicare debeo. Tibi enim ſoli hi primarii meorum ſtudiorum partus, ac fructus debentur. Quid? non te ſolo auctore mihi in Ægyptum proficiſci, ejuſque loca perluſtraſſe olim conceſſum eſt? Qui, cum me meæ juventutis annos in his locis medicinam facientem exigua ſane ſtudiorum meorum expectatione terere aliquando animadvertiſſes, neque parum hanc meam doluiſſes vicem, tantum in meis rebus ſtudii ac laboris adhibuiſti, ut Georgius Hemus Patricius Clariſſimus, Conſul pro Cayro Ægypti deſignatus, me in ea loca medicinæ cauſa libenter conduxerit; ſcilicet illa peragratione varias hominum perſpectas naturas, morbos, cauſas, ac uſus medendi penes varias gentes obſervatos, non parum utilitatis ac ſplendoris meis ſtudiis afferre poſſe, intelligebas. Taceo innumera alia longe majora ex te in me collata beneficia: quanta enim benevolentia, ac humanitate Franciſcum Alpinum, cariſſimum Patrem meum, dum viveret (quem medicinæ cauſa multos annos cognoviſti, ac plurimi feciſti) meque ac alios meæ familiæ ſemper fueris complexus, dici quidem à me ſatis non poteſt. Merito itaque non hos modo meos ſtudiorum labores; verum me-ipſum quoque cum his tibi devovendum puto. Jam diu enim pluribus de cauſis mihi fuit in optatis, ut tantorum in me munerum tuorum aliquod tibi grati animi, meæque præſtantis in te obſervantiæ ſignum oſtenderem. Ad hæc illud etiam accedit, quod hos libros de illiuſce

gen-

gentis medicina a me (quæ mea eſt ingenii tenuitas) conſcriptos, cum non omni plane culpa carere cognoſcerem, tui clariſſimi nominis ſplendore fultos in lucem prodire volui; quod plurimum illis auctoritatis, & exiſtimationis, te patrono, acceſſurum intelligerem. Tu enim is es, qui quidem hac noſtra ætate multis virtutibus in hac feliciſſima Repub. Maurocenorum familiam antiquitate, nobilitate, ac auctoritate claram magis ac magis illuſtras, & ornas. De cujus quidem tuæ familiæ, atque de tuis ipſius laudibus mihi nunc agere inſtitutum non eſt, tum quia ad Oratorem magis hæc tam magna tractare, quam ad medicum pertineat; tum etiam quod adeo omnibus eæ notæ ſunt, ut nullo, qui eas aliis indicet, indigere videantur. Quis vero hic, aut alibi nunc eſt, qui iſtis familiæ claritatem, antiquitatem atque auctoritatem ignoret? Quam tot Sereniſſimi Duces, claſſiſque maritimæ præfecti excellentiſſimi, quam Cardinales ampliſſimi, & Patriarchæ ex ea orti (qui plurimum olim Chriſtianam Rempubl. illuſtrarunt,) quam Senatores alii fere innumeri maximis honoribus, ac dignitatibus variis temporibus in hac Civitate decorati, adeo nobilem, amplam, & Illuſtrem eſſe declarent, ut hoc ad ejus laudes maxime ſufficere poſſit. Nam ut alios omittam, Hieronymus Maurocenus frater tuus nemini ſuperiorum cedens, præclaris virtutibus & rebus geſtis, dum viveret, patriam exornavit. Cujus mortem immaturam multis lacrymis non modo patricii, ſed plane omnes, quos tanti viri virtutes non latuere, maxime luxerunt. Nec hercle id injuria. In quo enim viro tantam unquam in Deum fidem, pietatem, charitatem ulla reperit antiquitas? Quis etiam in Reipub. magiſtratibus obeundis talem ac tantam ſapientiam, juſtitiam, prudentiam, atque humanitatem oſtendit? Teſtes ſunt Veronenſes, qui in ejus præfectura ita fuere tractati, ut & illius magiſtratus, & rerum ab eo præ-

clare geſtarum nulla unquam ſit hominibus oblivio ereptura memoriam. Ex quibus in ea civitate exantlatis tum vigiliis, tum maximis laboribus, ægritudo, qua ille poſtea defunctus eſt, originem habuit. Is etiam præter alios multos magiſtratuum, ac præfecturarum ordines, quibus ſua ætate ipſe magnifice ornatus eſt, in ampliſſimo Clariſſimorum patrum cœtu cooptatus, multis annis præclariſſimus Senator vixit. Ac tandem Decemvirum capitalium dignitate ſumma cum laude perfunctus eſt. Hæc igitur virtutum, & recte factorum exemplum Hieronymus tuus frater moriens reliquit. Hæc eadem in te poſtea hæreditario quodam jure, mirifice tranſlata fuiſſe, teque eodem ſplendore claruiſſe, quis ignorat? Nolo enim de te etiam nunc dicere, quam omnibus Catholicæ religionis verus amator, atque accerrimus defenſor videaris, quamque divini cultus aſſiduus ſis obſervator, quantaque in Deum quoque tua ſit fides, in Pauperes pietas, ac charitas. Quod majus pietatis in patriam, charitatis, fortitudiniſque exemplum de te proferri poſſet, quam quod tu quindecim nunc labentibus annis, hic ingenti illa graſſante peſtilentia, urbemque hanc atrociſſime devaſtante, tuis civibus edidiſti? Cum ſcilicet ſextæ partis civitatis peſte infectæ, curam à Clariſſimis patribus in tanta calamitate tibi demandatam non modo (quod plerique, ſibiipſis plus quam patriæ conſulentes, tunc faciebant) non recuſaveris, ſed hilari potius vultu ſumme arduam ac periculoſam illam provinciam ſuſceperis, non minuſque pie, quam fortiter, ſapienter, ac feliciter obieris. Neque enim tota civitas hæc infecta peſte in tanta ſui neceſſitate tunc à te deſeri potuit. Omitto præterea quanta in multis Reipub. muneribus, à te variis temporibus digniſſime expletis, juſtitia, probitate, ac prudentia rem Venetam adminiſtraveris. Præſertim ubi te patres conſcripti actibus Illuſtriſſimorum Procuratorum, atque legum conſervatio-

tioni præeſſe voluerunt. In quibus quidem, atque in Senatu (Senator jam diu ab ipſis creatus) plurimum laudis ac ſplendoris es conſecutus. Simul & illud omittam, quam in gravi iſta provincia, qua hoc anno ſupremus Reipub. Conſiliarius à Clariſſimis patribus delectus es, vigilantiſſime, ac ſapientiſſime te geras, quantaque ſolertia, ac benignitate cunctos in eo magiſtratu complectaris, ut ea profecto cauſa nemo ſit, qui te ſemel noverit, quin ſtatim ſe tibi addictiſſimum fateatur. Unum vero illud de te minime tacendum puto; domum etenim tuam ſic ſapienter, ac prudenter inſtituiſti, ut merito hac ætate plurimum ſit admiranda. In ea quidem talis ac tanta penes omnes, qui ipſam habitant, recte ac honeſte vivendi elucet harmonia, ut ſacer religioſorum hominum cœtus jure omnibus videri debeat. In ipſa quidem neminem invenias, qui præter id, quod ſumme honeſtum eſt, quicquam aut facere, aut loqui audeat. In qua talis eſt futura filiorum poſteritas, ut ſi ex præſentibus ventura prævideri liceat, maxime ſperandum ſit, fore, ut tuarum virtutum claritas æternis ſæculis in filiis, ac nepotibus tuis refulgeat. Quales Joannes, Petrus, Laurentius, Franciſcus, atque Matthæus; exiſtunt, morum profecto integritate, ac virtutum præſtantia non parum hoc ſæculo admirandi. Sic enim à te omnes educati ſunt, ut inter ipſos nullus ſit, qui vera religione, perfectaque in Deum fide non effulgeat, qui plurima tum in te, tum in reliquos fratres obſervantia, obedientia, ac amore eximio non exardeat. Liberalitate vero, modeſtia, temperantia, manſuetudine, continentia, aliiſque fere innumeris virtutibus nemo certe ex iis, qui vel ſunt, vel fuere, præferendus ipſis videatur. Sed & hæc, & plura quoque hujuſmodi omittam, cum hoc meum inſtitutum non ſit, atque plurimum etiam tuam his modeſtiam offendi ſciam, qui aliorum laudes, quam tuas libentius audire ſo-

ſoleas. Etſi tu igitur nunc is Senator ſis, cui ampliſſima ac divina prope munera debeantur, eſt tamen tuæ liberalitatis qua cunctos perbenigne complecteris, ut hos meos libros, quos tibi nunc ego devotiſſime conſecro, atque voveo, libenter accipias, tenui quidem, & tenuis hominis munuſculum; à ſumma tamen obſervantia, ſtudio, & amore in te meo profectum. Id ſi tibi non erit ingratum, mihi animum ad graviora medicinæ ſtudia plurimum inflammabis. Vale, meque, ut ſoles, ama.

*Venetiis, Anno Salutis humanæ*, M. D. XCI.
*Menſe Martio.*

# PROSPER ALPINUS
## ERUDITIS LECTORIBUS.

*EX Ægypto, in qua ego nonnullos annos medicinæ cauſa olim moram feceram, Deo annuente, in patriam reductus, Patavium quamprimum me contuli, ut Melchiorem Guilandinum (virum in omni genere ſcientiarum clariſſimum, ac in plantarum cognitione nulli hoc ævo ſecundum, mihique plurima neceſſitudine conjunctiſſimum) ſalutationis gratia convenirem: A quo humaniſſime acceptus, aliquot dies apud illum fui, in quibus multa inter nos de Ægypti regione; cœlo, temperie, & de illorum corporum habitu, temperamento, locuti ſumus, de medicis, ac morbis, quibus illa regio abundat, & de medicina penes illos populos uſitata, ac denique de plantis, quæ illis in locis naſcuntur, ſermones aliquos habuimus. Is igitur me poſtea, ut illa, quæ inter nos commentata fuerant, litteris mandarem, obnixe rogavit, & ſuaſit; fore enim, ut non parum utilitatis, ac voluptatis ex his ad medicinæ ſtudioſos accedat. Cui cum non parere ac obſequi, turpe putarem, quanta cura, & ſtudio potui, eoſdem ipſos à nobis per id temporis habitos ſermones in quinque libros, diviſos, ac digeſtos, ſub nomine Ægyptiorum medicinæ (quando, de illa tantum agere*

*noſtrum præcipuum fuerit inſtitutum, neque de aliis, niſi illius gratia) comprehenſos, ſcriptis tradidi. Quos cum à multis deſiderari forte intellexerim, quamplurimis etiam id mihi medicis doctiſſimis perſuadentibus, præſertimque Hieronymo Mercuriali, ac Alexandro Maſſaria hac tempeſtate medicis celeberrimis, ne horum voluntatem aſpernari, & multorum utilitati invidiſſe videar, ipſos in lucem proferre non ſum veritus. Hos itaque, eruditi, lectores, candido animo accipite, legite, ac bene conſulite. Quod ſi ego hos vobis gratos fuiſſe aliquando intellexero, alia his graviora, atque utiliora in arte medendi ſtudia, à me multo labore, ac vigiliis alias elucubrata, atque informata, vobis medicinæ amatoribus communicare non recuſabo. Valete.*

MEL-

# MELCHIORIS GUILANDINI,

## DE

# PROSPERO EX ÆGYPTO

## AUTHORIS IN PATRIAM REDITU

## CONGRULATIO.

*In qua obiter multa quæ in itinere acciderunt, præfationis loco habentur.*

### GUILANDINUS.

GRATULOR ſummopere, Alpine, te ex Ægypto tandem incolumem Patavium rediiſſe, quandoquidem maximum eſſe exiſtimem, hominem multas, quas longiſſima itinera ferunt, moleſtias, crebrioraque & grandiora ſimul pericula à varia iliuſce gentis barbarie ſibi ſæpe oblata, ſuperaſſe, in patriamque ſalvum omnino reverſum eſſe. Quem tuum reditum difficilem reddebant variæ Ægypti locorum naturæ, cœlique calores, quibus noſtra corpora diverſo aſſueta cœlo, multum alterantur, atque læduntur. Quamobrem gaudeo maximopere, atque iterum gaudeo, quod nunc te ſalvum ad nos denuo contuleris, mihique ita hilarem te nunc obtuleris. ALPIN. Atque ego etiam ingenti gaudio perfundor, quod te virum doctiſſimum, univerſis literarum profeſſoribus, & principibus multis excellentis tuæ doctrinæ cauſa acceptiſſi-

mum, invenerim in hac præclariſſima ſtudiorum urbe, optima valetudine tuis ſtudiis vivere, præ gaudioque tanti tui boni, & præ voluptate vix quid loquar ſcio. Gratis etiam majores, quas poſſum, tibi nunc ago, quod ex meo reditu tantum gaudii, ac voluptatis acceperis, mihique tantum tribueris, quem in tua poteſtate eſſe, quicumque ſim, tibi perſuadeas volo. GUILAND. Tibi non minus multas gratias agere debeo pro tua iſthac humanitate. Iter vero arduum, & periculis plenum te olim ſuſcepiſſe exiſtimo. Sed cur in Ægyptum te conferre volueris tantiſque illis te exponere periculis, libenter audirem. ALPIN. Ego fere uſque à pueris hujus ſemper fui ſententiæ, neminem poſſe perfectum eſſe medicum, qui varias regiones, & loca non peragraverit, diverſoſque hominum mores non obſervaverit, atque hoc pace illorum dixerim, qui inſtar avium nunquam nidos ſuos deſerunt, neque ab his latum unguem recedere audent. Variæ etenim regiones varios tum morbos patiuntur, tum medicinas ferunt ad eos perſanandos accommodatas atque etiam varii medendi uſus in variis obſervantur locis, quorum obſervatione medicus fit prudentior, & doctior: qua ſententia adductus ſum, ut ſi in arte medica cuperem aliquid proficere, orbis partem aliquam peragrarem, alioſque morbos in aliis familiares locis, & varias medicinas ac plantas quæ ibi naſcerentur, & diverſos uſus medendi, penes diverſas nationes uſitatos obſervarem, atque cognoſcerem. Cum itaque publice medicinam facerem in proximo Oppido C. S. Petri aliquo remotius abeundum exiſtimavi, atque in hac ſententia multum perſtiti, ſed quorſum verſus proficiſci præſtaret, id vero ignorabam. Quo quidem tempore mihi Deus Opt. Max. optatiſſimam occaſionem præbuit, ut in Ægyptum proficiſcerer medicus cum Clariſſimo Georgio Hemo, qui illo tempore à Sereniſſima feliciſſimaque Veneta Republica Conſul in ea provincia fuerat electus. Ad hoc iter etiam me multum

hor-

hortatus eſt Franciſcus Alpinus Medicus paterque meus cariſſimus. Tandemque in eam veni ſententiam, ut mihi facile foret ex animi ſententia illuc proficiſci. Itaque accepi conditionem, meque tunc ad iter hilari animo paravi. Guiland. Quoniam virtus laudata creſcit, non pudebit me hoc vel te præſente dicere, auctum iri vehementer tuorum ſtudiorum peritiam ac laudem, ob hanc tui animi non vulgarem nobilitatem, qua hanc peregrinationem ſciendi gratia ſuſcipere, ita probe in animum induxeris. Sed his omiſſis, cuperem tuum nunc iter audire, & quo tempore ipſum inceperis, quaque forte etiam eo fueris uſus; omnes ſiquidem longa itinera conficientes, multos labores patiuntur, & multa ſubeunt pericula, quæ poſtea aliis narrent. Alpin. Anno à Virginis beatiſſimæ partu M. D. LXXX. Septembri menſe die xxi. eam, quæ Peccatora appellatur, navim conſcendi una cum Georgio Hemo Conſule deſignato pro Cayro Ægypti, viro ſane pro ſua ipſius humanitate, animique integritate Clariſſimo: quique in Conſulatu ita ſe geſſit, ut cuique cariſſimus fuerit, & illius diſceſſum ab Ægypto non modo Veneti mercatores, ſed vel ipſi Ægyptii ægre tuliſſe, atque adeo luxiſſe viſi ſint. Itaque datis velis Zacynthum ſecundis ventis paucis diebus pervenimus, portumque ingreſſi ſumus. Unde digreſſis non ita ex voto reliqua navigatio ſucceſſit, quandoquidem paulo poſt ita validis procellis tempeſtatibuſque agitari, turbarique cœpimus, ut facile dixiſſes nobis eveniſſe, quod Ovidius cecinit:

*Navita ſollicitus quoque ventos horret iniquos,*
*Et prope tam lethum, quam prope cernit aquam:*
*Quod ſi concuſſas Triton exaſperat undas,*
*Qui tibi nunc toto eſt, nullus in ore color.*
*Tum fœcunda voces generoſæ ſydera Ledæ*
*Et felix dicas, quem ſua terra tenet.*

 Cœ-

Cœpit enim ea nocte, quæ eſt ante diem decimum ſeptimum menſis Octobris, quem diem omnes nautæ ſtellarem, ut ita dicam appellant, ventus Helleſpontius ita adverſo impetu tempeſtuoſe perflare, ut coacti fuerint nautæ proram obvolvere: Qui timentes ab Africis ventis, qui eo temporis flare ſolent, creberrimis, grandioribuſque procellis mare verrentes, ne navis in ſolum ab his abduceretur, naufragiumque fieret, per eoſdem Africos ventos iter ſuum direxerunt: quo ſane ita directo itinere, navis in vaſtiſſimum mare ab Helleſpontio vento, quem nautarum vulgus Græcum Orientalem appellat, raptim, & ingenti impetu ferebatur, ita, ut à terra magis magiſque ipſa elongaretur. Noſtrum vero nos judicium fefellit, quod ſperabamus eum obortum ventum cito caſurum, ab eoque rurſum noſtrum iter, quod per circium ventum fuerat, brevi tempore nos eſſe recepturos, ſiquidem prior ille ventus non adeo cito ceſſavit, quin potius tanta tempeſtate ac furore perauctus eſt, & nobis ita ſæve minari cœpit, ut coacti fuerimus navim velis nudatam mari committere, & temere ab illorum inſano impetu interitum noſtris oculis millies in hora minantium expectare, atque ab his abſque ullo regimine in vaſtiſſimo pelago alternis undis ad libitum agitari. Atque hæc horrida tempeſtas ad diem uſque vigeſimum ſecundum protendebatur, tanto omnium timore, ut nemo eſſet, qui de ſalute ſua ſperaverit quicquam. noſtram aliquantulum demulcebant miſeriam illa Lucretii Carmina:

*Certa quidem finis vitæ mortalibus adſtat,*
*Nec vitari lethum poteſt quin obeamus.*

Placuit tamen miſericordi Deo, ne ab ea tempeſtate interiremus; ut fortaſſe ad aliquam rem etiam viveremus: Cui quas poſſum majores nunc gratias ago ac perpetuo referam; qui me

me ſua clementia ac pietate ex tanto periculo incolumem ſervaverit. Die vero vigeſimo ſecundo menſis Octobris, aurora luceſcente, ad Corcyræ locum eum pervenimus, quem Fano appellant, ventis omnino ſedatis. Et paulo poſt Zephiris placide ſpirantibus inſulæ fretum ingreſſi ſumus ſumma omnium cum voluptate ac gaudio, atque Merleras appellatum portum tenuimus: ab eoque altera die ſummo mane alium in portum pervenimus, à primo parum diſtantem, atque ab eo Corcyram. In qua per diem moram traximus. Poſtridieque Septentrionali exorto vento, ab ejus portu digreſſi ſumus, quo ceſſante non multo poſt ad portum, qui eſt apud Gomenizzas, acceſſimus. adverſis vero noſtræ navigationi ventis diu perſeverantibus, & largiſſimis adhuc pluviis, magniſque imbribus, detenti, quibus quidem Corcyræ inſulæ ſitus ſex quotannis menſibus obruitur, atque aliis ſex ſiccitate exhauritur, coacti ſumus in Corcyræ portum confugere, & ſaluti noſtræ conſulere. Ubi uſque ad nativitatem Domini permanſimus, cujus diei feſtivitate devote ſervata, altera die orto Sole, triremis auxilio noſtra navi è portu deducta, velo ventis dedimus, eodemque die Paxo vidimus. Alteraque die Aparctia vento impetuoſe ſpirante, ſub aurora Zacynthum rurſum vidimus, portumque illum cum magna omnium eam urbem accolentium admiratione, quod accolæ ceterique omnes ex proxima tempeſtate nos interiiſſe ſibi firmiter perſuaſerint. Zacynthi vero toto Januario menſe commorati ſumus. Dieque ſequentis menſis tertia ab eo portu diſceſſimus, meliorique fortuna iter noſtrum recepimus, ac per diem ante cinerem in portum Sudæ, fortiſſimum Cretæ inſulæ propugnaculum, pervenimus, ubi peractis quinque diebus, portum Fraſchiam vocatum, qui ab urbe Creta decem millia paſſuum diſtat, invaſimus. Multi ex Cretenſibus, qui pro certa habuerant noſtram navim Octobri proximo menſe mari abſorptam fuiſſe, ſimulque cum ipſa ali-

quot

quot Cretenſes Caloyeros nobiſcum navigantes, noſtro adventu, tanto ſunt affecti gaudio, ut ipſorum lætitiam publicis campanarum ſonis in templis per multos dies publice manifeſtarent: ubi vero Cretæ multis diebus moram traximus, inter initia menſis Martii, ut noſtro longiſſimo itineri finem tandem imponeremus, vela rurſum ventis dedimus, in altumque navim Circio vento, qui leniter ſpirabat, advehi permiſimus, ceterum tertia die Auſtrinis ventis rurſum vehementer exortis, retrogreſſi in portum Standiam applicuimus, ab eaque nova procella ſalvi fuimus, diſtat & hic portus ab urbe decem millia paſſuum. Ibique tribus peractis diebus, orto Sole, ab eo portu navim ſolvimus, Agreſtique vento, & Favonio impetuoſiſſime ſpirantibus, mare mediterraneum ingredimur, in ipſoque procelloſa navigatione utentes duorum dierum ſpatio Alexandriam procul inſpeximus, ingentique omnium gaudio iter noſtrum tunc finem habiturum ſperavimus, neque nos noſtra decepiſſet ſententia, ni ventus ille non modo omnem ſubito furorem dimiſiſſet, verum pene omnino ſiluiſſet. Mare etenim quam cito ventis omnibus caruit, adeoque ſiluit, ut navis ulterius progredi non potuerit, ob maximam ejus tranquillitatem, à qua valde pertimuimus, ne ab ipſa alia nova tempeſtas oriretur, noſtrique itineris finem, quem oculis proſpiciebamus, prohiberet, & in alia graviora maris pericula nos injiceret. At Dei optimi maximi voluntate factum eſt, ut ope triremis Præfecti Alexandriæ, quem Sangiac appellant, in portum navis duceretur, & die XXII. menſis Marti finem longiſſimæ noſtræ navigationi imponeremus. Alexandriæ vero, Cayri ingenti graſſante peſtilentia, uſque ad Julium menſem manſimus; cujus menſis initio per Nilum flumen navigantes, Cayrum venimus. In qua urbe tribus annis, & adhuc amplius moram traximus. Tandemque hoc anno MDLXXXIV. Ægyptiis littoribus relictis, navi Balbiana vocata, menſibus Octobri,

atque

atque Novembri tantum navigantes, Deo ſumma pietate patriæ redditi ſumus. GUILAND. Omnia certe maris itinera in ſummo periculo verſantur, quando navigantium vita, quia proxima eſt mari, proxima ſemper exitio ſit dicenda, atque etiam quod ſpes proſperi itineris in aëris inconſtantiſſimam naturam referatur. Verum ne te pigeat hæc atque illa paſſum fuiſſe, quoniam fortaſſe hæc olim te meminiſſe juvabit. Apprime jucundum ſemper exiſtimavi, hominem poſſe dicere, hæc atque illa ſum paſſus, ſiquidem eorum eventuum memoria hominem alacriorem ad ferendos fortunæ caſus, prudentioremque efficit. Sed his omiſſis age, quæſo, quid tu tandiu in Ægyto feciſti, quibuſve ſtudiis animum toto illo tempore oblectaſti? Neque enim eum te eſſe arbitror, qui non egregium aliquod nobileque ſtudium ſis ibi proſecutus, quando credendum eſt, plurimas eaſdemque pulcherrimas tibi non defuiſſe occaſiones, quibus aliquid te ipſo dignum in re medica meditari potuiſſes ALPIN. Quid facerem ocioſus toto illo tempore in Ægypto? niſi apud eam gentem qualis exerceretur medicina, atque quales plantæ in eo ſolo naſcerentur, dignoſcere operam darem, ne ſaltem diceretur noctu me Ægyptum adiiſſe; per id temporis, quo ibi moram traxi, publice medicinam exercendo, apud illos medendi uſitatum modum diſcere ſtudui. Et quod temporis etiam ab eo ſtudio atque ægrotorum curis mihi ſupererat, id ponebam, ut tu ex me quoque audiſti, in opere de præſagio medicorum multis jam ab hinc annis à me incepto. GUILAND. Gaudeo te operam Ægyptiorum medicinæ cognoſcendæ ſic dediſſe, ut apud illos frequentatum medendi modum, atque ipſorum uſitata medicamenta plane, animadverteris, & didiceris. Quæ omnia cum adprime ſint digna, quæ à noſtris medicis cognoſcantur, te nunc obnixe rogo, hiſce diebus, quibus Petavii commoraberis, ne grave ſit tibi, mecum de his, in hoc viridario loqui, præſertim vero de morbis

illi populo familiaribus, deque ipſorum medendi uſu, atque demum de plantis ibi naſcentibus; ſic enim in his æſtivis caloribus ſub gratiſſimis hujuſce viridarii umbris tempus cum virtute conſumere nobis jucundiſſimum fore exiſtimo. Alpin. Dabo equidem operam libentiſſime, ut non in hac re ſolum, verum in omnibus aliis tuæ obſequar voluntati, quamquam nullam unquam tuorum meritorum partem ego aſſequi valeam. idque libentius faciam, quod plurimum emolumenti me ſperem ex hac noſtra collocutione pro tua doctrina, & humanitate conſecuturum. Solem vero cum nunc videam pene in Occaſum deſcendiſſe, fortaſſe præſtiterit loquendi principium in proximam diem remittere Guiland. Recte ſane, ego vero vix aurora expectata me in viridarium conferam, teque ut quamprimum venias etiam atque etiam oro. Alpin. Perplacet, ſed tempus eſt, ut abs te nunc abeam, meque à multis meis negotiis nunc expediam, ut mane quam diluculo ad te redire poſſim: interea vale. Guiland. Quando apud me eſſe nolis, ut lubet, ut ante noctem tuis functus negotiis, mane redire poſſis, abi felix.

I N-

# INDEX CAPITUM.

## LIBRI PRIMI.


CAP. I. *De ſtatu Ægyptiorum medicorum.* Pag. 1
II. *Ægypti qualem nunc medicinam exerceant.* 2
III. *Quamobrem hoc tempore Ægyptii artem medicam habeant vitioſam.* 9
IV. *Apud Ægyptios medicos medicam illam propoſitionem uſurpari, quæ eſt, contraria contrariis curari; atque an ipſe eam recte obſervent.* 14
V. *Quæ præſciri debeant, priuſquam ad particularem medicinæ Ægyptiorum narrationem accedatur.* 17
VI. *De Ægypti ſitu, atque illius aëris temperie.* 18
VII. *De anni temporibus apud Ægyptios uſitatis, atque de ipſorum temperie.* 21
VIII. *De aëris mutatione ex ventorum Septentrionalium ſpiratione, atque ex augmento fluminis Nili.* 25
IX. *De Ægyptiorum corporum temperaturis, atque habitibus.* 30
X. *Quali victu Ægypti habitatores nunc utantur.* 33
XI. *De cauſis cur longævi ſint Ægyptii.* 38
XII. *An ad vitæ conſervationem aquæ Nili fluminis uſus vino ſit utilior nec-ne.* 43
XIII. *De morbis patriis, & epidemicis, qui apud Ægyptios obſervantur.* 49

XIV. *De morbis Ægyptiis familiaribus, deque ipſorum cauſis.* 51

XV. *De peſte, quæ ſæpe loca Ægypti invadit, atque atrociſſime devaſtat.* 59

XVI. *Cur peſtis contagium ex locis Barbariæ Cayrum importatum diuturnius ſit, & magis exitioſum eo, quod ex aliis locis provenire obſervatur.* 62

XVII. *Quo tempore peſtis loca Ægyptia invadere ſoleat, & quo tempore ipſa deſinat.* 70

XVIII. *A qua cauſa, Cayri qualiſcumque peſtilentia ſit, menſe Junio omnino tollatur.* 71

---

# LIBRI SECUNDI.

Cap. I. *De uſu mittendi ſanguinem apud Ægyptios medicos frequentato, & cur apud ipſos ſanguinis vacuatio ſit familiariſſimum remedium.* 80

II. *De ratione variorum corporum temperamenti atque habitus, deque Ægyptiorum vario temperamento, & habitu.* 84

III. *In quibus morbis Ægyptii ſanguinis miſſione utantur, atque in quibus corporibus.* 94

IV. *Ægyptios errare nimium frequenti ac copioſæ ſanguinis evacuationi indulgentes, & in pueris mittentes ſanguinem.* 97

V. *Ægyptios medicos non errare ſi in pueris, qui morbis acutis corripiuntur, aliquando ſanguinem mittant.* 102

VI. *In pinguioribus corporibus, Eunuchis, mulieribus, pueris, ſenibuſque quo modo Ægyptii ſanguinem mittant.* 110

VII. *An Ægyptii medici recte ſe gerant in uſu miſſionis ſanguinis in dyſenteria, diarrhœa bilioſa, exhantematibus,*

*tibus, puncticulis appellatis, peſtiferiſque bubonibus, & parotidibus.* 113
VIII. *Ægyptios medicos à cibo ſanguinem mittere, atque an recte faciant etiam illis, quibus ſanguinem mittere debent, potum aliquem propinare.* 119
IX. *Quot modis Ægyptii ſanguinem mittere ſoleant.* 125
X. *De venis, quæ in uſu ſunt apud Ægyptios pro molienda ſanguinis miſſione.* 126
XI. *Ægyptios arterias pro ſanguinis miſſione non ſecus quam venas incidere.* 133
XII. *De arteriis, quas Ægyptii ſecare ſolent, atque quomodo illas ſecent, & curent, & in quibus etiam morbis ipſarum ſectione utantur.* 136
XIII. *De cucurbitulis, quibus in Ægypto medici utuntur.* 139
XIV. *Qualis cucurbitularum apud Ægyptios ſit uſus, in quibuſque morbis iis ipſi utantur.* 141
XV. *An ſolis cucurbitulis corpora recte ac tuto vacuari poſſint, & num in principiis morborum pro vacuatione ſint adhibendæ.* 147
XVI. *An errent Ægyptii nunquam utentes cucurbitulis pro adjuvanda exhantematum eruptione.* 106

---

## LIBRI TERTII.

Cap. I. *De variarum ſcarificationum frequenti apud medicos Ægyptios uſu.* 166
II. *De aurium, narium, labiorum, gingivarum ſcarificationibus, quas medici Ægpptii pro evacuatione frequentant.* 168
III. *Malleolorum ſive crurum ſcarificationem ad moliendam evacuationem auxilium eſſe antiquiſſimum, à Græciſque clariſſimis medicis valde uſitatum.* 173

IV. *Quibus in Italiæ locis hominibus ſanguis crurum ſcarificatione fuerit detractus.* 177
V. *Crurum ſcarificationem non eam eſſe, quam noſtri applicitis cucurbitulis frequentant.* 180
VI. *Inter crurum ſcarificationem, atque venæ ſectionem maximam eſſe convenientiam, ac ſimilitudinem.* 185
VII. *An crurum ſcarificatio vicaria ſit venæ ſectionis.* 188
VIII. *Quomodo Ægyptii crurum ſcarificationem exerceant, atque adminiſtrent.* 195
IX. *In quibus morbis uſus crurum ſcarificationis apud Ægyptios frequentetur, atque in quibus corporibus* 199
X. *An crurum ſcarificatio in ſura, ut Ægyptii faciunt, vel potius in malleolo, ut Gal. docuit, ſit facienda.* 203
XI. *De uſu ſcarificationis partium, inflammatione, tumore, puſtula, colore non naturali, inſigni dolore vexatarum, apud Ægyptios frequentato.* 207
XII. *De variis partium inuſtionibus, quæ ſelectiſſima ſecreta ad varios curandos morbos apud Ægyptios habentur.* 209
XIII. *De ſectione, qua in hydropicis & ſuppuratis Ægyptii utuntur.* 218
XIV. *De lapidis è veſica extractione abſque ulla inciſione apud Ægyptios frequentata, & de dyſenteriæ curatione empirica.* 223
XV. *De uſu balneorum dulcium pro ornatu corporum, atque quid mulieres ad pinguefacienda corpora in ipſis moliantur.* 229
XVI. *Quæ Ægyptiæ mulieres in balneis factitent, ut ipſarum corpora impingueſcant.* 233
XVII. *De dulcium balneorum pro ſanitate corporum apud Ægyptios uſu.* 236
XVIII. *De frictionibus, quibus Ægyptiis in balneis utuntur.* 240
XIX. *De balneorum apud Ægyptios uſu ad varios morbos perſanandos.* 244

LIBER

# INDEX CAPITUM.

## LIBRI QUARTI.

CAP. I. *De medicamentis alterantibus, quæ in uſu apud medicos Ægyptios exiſtunt.* 250
II. *De Medicamentis ab Ægyptiis animi gratia uſitatis, ſperantibus ab his devoratis varia exoptata in inſomniis videre.* 257
III. *De decoctis, quibus Ægyptii, tum in ſanis, tum ægro tis corporibus utuntur.* 264
IV. *De ſyrupis apud Ægytios uſitatis.* 268
V. *De purgantibus medicamentis à medicis Ægyptiis uſitatis.* 270
VI. *Uter nobilium, vel plebejorum Æyptiorum purgandi uſus ſit laudatior, ſive an purgando medicamenta leniter purgantia prævalidis magis præſtent.* 278
VII. *Apud nonnullos Ægyptios in uſu eſſe ſtatim ab aſſumpto purgante medicamento frigidam aquam multam propinari.* 285
VIII. *De theriaca, atque aliis compoſitis medicamentis, quæ in uſu ſunt apud Ægyptios.* 287
IX. *Theriacæ compoſitio, quam ſingulis annis pro Turcarum Rege componunt, quam tharac faruc appellant.* 290
X. *In quo Ægyptiorum theriacæ deſcriptio differat ab ea, quæ ab Andromacho Seniore olim fuit memoriæ prodita.* 294
XI. *De aliquibus ſimplicitur medicamentis theriacæ compoſitionem ingredientibus conſideratio.* 302
XII. *Errores, quos committunt Ægyptii in componenda theriaca, atque de ipſorum theriacæ præſtantia.* 307
XIII. *De quibuſdam aliis compoſitis medicamentis, quibus Ægyptii etiam utuntur.* 310

XIV. *De*

XIV. *De clyſteribus apud Ægyptios uſitatis.* 312
XV. *De ſecretis auxiliis, quorum uſum ad febres Ægyptii frequentant.* 315

# FINIS.

# PROSPERI ALPINI
## DE
# MEDICINA ÆGYPTIORUM.
## LIBER PRIMUS.
### CAP. I.
### *De ſtatu Ægyptiorum medicorum.*

GUILANDINUS, ALPINUS.

CUM hæc dies ſereniſſima jam illuxerit, & opportune nos in hoc viridario ſimul conceſſerimus, locum ſecretioris hujus receſſus quietiſſimum, opportuniſſimamque occaſionem nacti, de medicina Ægyptiorum jam aliquid commentemur, de qua quidem prius quam agamus, à medicorum, quibus ea regio abundat, narratione principium faciemus. ALPIN. Jamjam è via huc veniendo, eminùs te in viridario ambulantem, profundeque cogitantem proſpexi, & haud parum miratus ſum, quòd tam diluculo è lectulo ſurrexeris. Neque tamen abs re credo, in viridarium deſcendiſti, ut frigidiuſcula ſcilicet iſthac aura matutina, ac non minus iſtius elegantiſſimi tui viridarii amœnitate aliquantulum te recreares. Sed ne tuum loquendi deſide-

rium amplius oratione mea retardem, ad principium propoſiti tui ſermonis jamjam deſcendo. Sed quid obſecro me de medicis Ægyptiis dicturum arbitraris? an quia multis perſuaſum eſt ibi medicinam primas habuiſſe radices, plurimoſque illuſtres viros tum in medicina, tum in aliis ſcientiis olim in Ægypto floruiſſe; iiſdem etiam hac tempeſtate ornari regionem illam ac florere? GUILAND. Quid ni omnes iſtud ipſum ſentiant? quando uſque adeo etiam ibi bruta multa animalia reperiantur, quibus ars inſita curandi morbos aliquos exiſtimetur? quemadmodum de Hippopotamo equo marino in Nilo flumine degente apud quoſdam legitur. Hunc enim equum in quadam medendi parte etiam magiſtrum eſſe aliqui affirmant. Aſſidua namque ipſe, ut ajunt, ingluvie & ſatietate obeſus, exit in littus, recentes indagaturus arundinum cæſuras, atque ubi acutiſſimum earum ſtipitem cernit, id in corpus adigens, venam quandam ſibi in crure vulnerat, atque ita profluvio ſanguinis excitato morbidum aliàs corpus exonerat, mox plagam rurſus limo obducit. Quamobrem ſunt, qui arbitrantur, miſſionem ſanguinis ab hujuſmodi animali homines didiciſſe, veluti etiam à volucre quadam Ibi vocata apud Nilum quoque naſcente clyſteriorum uſum accepiſſe. Quod ipſam ſæpius ſibi alvum exoneraſſe roſtri aduncitate aqua per anum intromiſſa ſæpe ſit obſervatum. Si itaque beſtias ipſas in ea orbis parte natura medicinam docuiſſe creditur, quid de hominibus erit ratione ac diſcurſu præditis exiſtimandum? Atque eo magis cum priſcis iis ſæculis Ægyptus plurimis doctiſſimis medicis ſemper floruerit? ALPIN. Hippopotamum & alia bruta animalia, de quibus ea medendi miracula prædicantur, ibi reperiri certum eſt: at quod ego de hominibus medicinam profitentibus hiſce annis obſervarim, in medium nunc tibi proferam, pauciſque narrabo, quæ ex his ſcitu digna mihi fuere viſa, ac primum dico, Cayri aliiſque in locis Ægypti plurimos tum viros, tum mulieres reperiri, qui publice per urbem medicinam faciunt, non tamen ullos exiſtere, qui hanc artem aliqua ratione atque Hippocratice faciant. quando ibi nunc non literis, ſed armis opera ab his populis detur: neque id quidem mirum, cum Turcarum imperio

ea

ea gens ſubjecta ſit. qui nullis ſcientiarum ſtudiis delectantur: armis tantum, auro argentoque & veneri indulgentes. de quibus verè videtur Seneca dixiſſe:

*Turpis libido dominatur (ſcilicet nunc) potens venere,*
*Luxuria victrix orbis immenſas opes*
*Jampridem avaris manibus, ut perdat, rapit.*

Deeſt illis ſtudiorum exercitatio, quamquam publicas ſcholas, ſive ſtudia ipſi habeant, in quibus varia ſcientiarum genera docentur; Cayri ſtudii locum Gemelhazar appellant, pro quo tercenta millia aureorum anno quolibet diſſipari ajunt. Siquidem ibi totius Academiæ ſumptus ad libros, ad victum & ad reliqua doctoribus & ſcholaribus neceſſaria quotannis ære publico ſuppeditantur. Ex omnibus vero ſcientiis, atque artibus, quæ ibi docentur, ea ſola pars theologica apud ipſos colitur, quæ Pſeudoprophetæ Mahometis leges, inſtitutioneſque pertractat. Multi ſiquidem, propemodumque infiniti ſunt, qui honoris atque utilitatis gratia in ejuſmodi ſcientiam incumbunt, quam qui adepti ſunt, in ſummo pretio atque honore apud Turcas, alioſque omnes habentur. Hos Cadi appellant, quaſi dixerint, ſacræ legis doctores, quos Turca illius regionis præfectus ſuos quoque judices creat, quibus authoritas conceſſa eſt, ut poſſint quacunque de re in jure civili, ac pontificio judicare; ob quam rem ipſi tum in ſumma veneratione habentur, tum maximas parant opes. In aliis vero artibus atque ſcientiis perpauci ſunt, qui perfecti fieri ſtudeant, omniumque minime in arte medica, quæ cum aliis omnibus ferè in locis ſummo dignitatis gradu ſit, infimum nunc atque viliſſimum tum ob gentis barbariem, tum ob eorum, qui per urbem medentur, ignorantiam, locum tenet. quam niſi hinc ex Europa per Venetos Conſules conducti medici, curandis ibi Turcarum, Arabum, & aliarum gentium Optimatibus, & quamplurimis, quos alii medici deſperata ſalute reliquerant, ad valetudinem reductis extuliſſent, atque illuſtraſſent, omnium mechanicarum artium ignobiliſſima apud Ægyptum jacuiſſet; id autem diligentia, ut dixi, noſtrorum reparatur. Illi vero cum ab omnibus contemnantur, tum etiam lucrum ipſorum exiguum eſt. GUILAND. Cum medici illi ita ne-

negligantur, neque multum lucri faciant, quæ occaſio erit, qua ad medicinam valenter perdiſcendam illi moveantur. Non eſt igitur mirum inter illos paucos perfectos medicos reperiri. Quod cum explicatum à te ſit, nunc reliquum eſt præterea nihil, niſi ut ſuſceptum de medicina Ægyptiorum ſermonem claudas, ac de aliis rebus loquaris. Alpin. Quamobrem? Guiland. Quoniam ex indoctis medicis, quid boni, ac ſcitu digni ex te obſervatum audire poſſum? Alpin. Intelligo, unde tu in eam deveneris ſententiam. Sed hoc fortaſſe non eſt ita exiſtimandum, quando ſcientia atque doctrina ignaros homines, Empirice tamen multa in arte ſecreta poſſe dignoſcere, quis negabit? qualia ſunt multa medendi ſecreta auxilia ſummam ob utilitatem nobiliſſima, apud Ægyptios priſcos medicos olim inventa, hereditariè potius ab aliis præclariſſimis medicis his relicta, quàm aliqua doctrina ab ipſis acquiſita. Quid etenim, ut tibi de multis aliqua proferam, non nè mirum in modum laudandus eſſet ille mittendi ſanguinis Ægyptiorum uſus ex ſectione multarum venarum, quæ noſtris medicis minime ſunt uſitatæ? quales ſunt jugulares, narium, angulorum oculorum, frontis, poſt aures, pollicis atque aliarum multarum corporis partium. Quis etenim medicus is erit, qui neſciat, illarum venarum ſectionem ad quamplurimos tollendos morbos eſſe utiliſſimam? Quid dicam de ſectione arteriarum, quam ad mittendum in multis morbis ſanguinem non minus tutò, quàm in venis ipſi familiariſſime uſurpant. Cùm Galenus interim iis ſectis quaſi miraculo multos ſævos morbos curatos nobis ſcriptum pluribus in locis reliquerit. Quid de aurium, colli, occipitis, labiorum, narium, atque malleolorum ſcarificatione dicemus? Cum ipſi mirabili dexteritate hoc genus auxilii præſtent. Et quid de ſuarum cucurbitularum uſu ab hoc noſtro planè diverſo? Quidque de uſtionum ratione, atque de multis aliis ferme infinitis, quibus ipſi medendo utuntur, medicis præſidiis, deque etiam quamplurimis medicamentis ſimplicibus, ac compoſitis ab his multa cum utilitate frequentatis, erit judicandum? Guiland. Digna iſtæc mihi videntur, ut ab omnibus doctis medicis deſiderentur; mirumque omnibus videri

deri debet, quo pacto hi indocti homines tot, tantiſque nobilibus auxiliis recte uti ſciant; nullo ea diſcurſu ac medicæ artis ratione cognoſcentes. Sed quo ordine his medicis per eam regionem exercere medicinam permittitur, quando ita artis medicæ dogmatum ignari exiſtant? ALPIN. Extat Cayri inter cæteros medicos omnes quidam Ægyptius, quem Achimbaſſi illi appellant: qui medicorum princeps noſtrâ linguâ interpretatur. Hujus officium eſt, illos, qui ibi medicinam exercere velint, de illiuſce artis peritia ſedulò percunctâri, & examinare, atque eis, qui in medendi examine recte reſponderint ac recte ſe geſſerint, publica fide concedere, ut per eam regionem mederi impunè poſſint. Iſtud autem in doctorum numero aſciſcendi munus non datur multis, ut in multis Europæ locis fieri ſolet, ſed uni ſoli tantum, illique præſertim, qui plus auri argentive Præfecto Cayri, quem Baſsà appellant, hac de cauſa ſolverit. Parum etenim id curat hoc tempore Baſsà, an ille, qui Achimbaſſi procreandus eſt, ſit ad illud munus rectè obeundum probè idoneus, adeo nunc apud illos omnia corrupit avaritia; non hoc, inquam, ille curat, ſed an potius aureos multos ipſi offerat. Eodem exemplo & ipſe Achimbaſſi etiam à Præfecto perdoctus eodem avaritiæ vitio ſublatus, pretium à cooptandis accipiens, omnes indiſtincte cum indoctos, tum doctos mederi per urbem ſinit. Qua facilitate numerus tum virorum, tum mulierum medentium in ea maxima urbe Cayri eſt ferè infinitus, cùm quiſque exhibito auro poſſit ab Achimbaſſi medendi authoritatem obtinere. Horum vero, qui per eam urbem medentur, alii promiſcue morbos omnes curare profitentur, alii partis alicujus tantum mala. Veluti ſunt ocularii, qui omnes morbos ac ſymptomata oculos lædentia, ſanant. & dentarii, atque auricularii, tantum malis dentium auriumque medentes. atque alii, qui tantum inteſtinorum ægritudines, alii pudendorum, alii veſicæ & alii uteri curant; in quibus morbis mulieres medicæ viris præferuntur: exiſtimant enim ægrotæ mulieres haudquaquàm poſſe viros ſic recte uteri affectus cognoſcere, ut mulieres ipſæ. Quare fit ut ægrotæ medicas potius, ut à ſuis morbis curentur, quàm me-

medicos adhibeant: ſunt etiam alii qui tantum febres ſanant, quorum alii omnium, & alii aliquarum tantum curationem profitentur: atque hæc obiter dicta ſint de medicis Ægyptiis

## Cap. II.

### *Ægyptii qualem nunc medicinam exerceant.*

### GUILANDINUS.

Intellexi probè omnia, verum id à te ſcire cupio, quid eſt, quod omnes medici Ægyptii Empirici exiſtant, ſectamque Empiricam ſequantur. Alpin. Ut per eos annos, quibus Cayri moram traxi, obſervare potui, potius methodicæ ſimulque empiricæ ipſos addictos judicavi, quando ad indicandam morborum curationem partium læſarum, cauſarum, naturæ, ætatis, virium, habitus cœlique obſervationem eſſe neceſſariam negent, quibuſdamque medendo utantur communiſſimis propoſitionibus, quæ methodicorum ſectam referre videntur. Ipſi etenim affirmant omnia morborum genera, vel è caliditate, vel à frigiditate oriri, vel morborum omnium præcipuam cauſam in calorem præter naturam, vel frigiditatem referunt: Quoniam vero ipſi arbitrantur eorum omnium, qui Ægyptum incolunt; corpora ratione cœli, ſub quo vivunt, valde calidi, ad ſummam vergere caloris intemperiem, ob id perfrigerantium medicamentorum uſum in omnibus ferè morbis ſine diſcrimine habent frequentiſſimum, illiſque temerè & inconſultò medendo utuntur. Obſervare ſedulo ſe putantes famoſiſſimam, vulgatiſſimamque in ſchola medicorum illam propoſitionem, quæ eſt, contraria contrariis curari; Hincque credentes ob illiuſce cœli ſumme calidam temperiem, ibi omnes ferè morbos, vel primo ab ea, quæ præternaturam eſt, caliditate procreari, ve ſaltem ſemper cum aliis cauſis præternaturalem caliditatem concurrere, ob quam cauſam uſum refrigerantium medicamentorum maxime affectant, idque præſertim in febribus: in quibus abſque ullo delectu, valde frgidis medicamentis ſemper utuntur,

tur, maximeque in iis, quæ ex humorum putredine oboriuntur. Quod ſanè contra medicinæ dogmata ab ipſis fieri exiſtimo. Nihil enim frigidorum remediorum uſus, quantum ad febrium cauſas, quæ ſunt obſtructiones meatuum, venarum, vel aliarum partium, ſpectat, aliquid prodeſſe, & multum obeſſe poteſt, cum a frigiditate humorum cruditas, atque obſtructio augeantur, maxime vero quando pituitoſi ſucci ſunt obſtructionis auctores. Tales enim humores ab uſu frigidorum incrudeſcunt magis, & craſſi fiunt magis, & ipſorum copia, ventriculo frigidiore atque ad concoquendum ineptiore ab eiſdem effecto, peraugetur. quàm vero ſint illa refrigerantia medicamenta ab iis frequentata, poſterius ſuis locis dicemus. GUILAND. Malus mihi quoque ille in medendis putridis febribus valde refrigerantium uſus eſſe videtur, quando nemo rationalium medicorum, quorum ſectam omnibus præferendam judico, ignorat, obſtructiones venarum, aliarumque partium in febrientibus à multis ſuccis, vel craſſis, vel viſcidis, fieri, & à multa frigiditate ipſas adaugeri. Galen. in ſynochis putridis febribus, ut apud ipſum in libro nono, meth. medendi legitur, ea laudavit medicamenta, quæ obſtructa liberandi vim haberent, abſque multo tamen calore, ne calor febrilis augeatur. ob idque eligenda illa eſſe, quæ exiguo calore prædita, id tamen præſtare poſſint. Hincque in tollendis obſtructionibus uſum oxymellitis ſummopere commendavit. Ægyptii vero fortaſſè ita frigidis in iis febribus utuntur medicamentis, quod hæ ex bilioſis tenuiſſimiſque humoribus ortum maxime ducunt, qui non attenuandi, ſed incraſſandi ſint, ut Avicennæ aſſeclæ affirmant, hancque fortaſſe ob cauſam illi medici frigida medicamenta adhibent, ut ex quibus genita febris fuit, bilioſi, tenuiſſimique humores craſſiores evadant, ad faciliorемque excretionem eo modo parentur. Hæc erit igitur ratio quamobrem frigidis adeo medicamentis utantur. ALPIN. Si tu corpora illorum hominum quali temperamento ſint, rectè noviſſes, in hanc procul dubio ſententiam non veniſſes; nam, ut ſuis locis dicam, omnium ferè illa loca habitantium corpora diverſo conſtant temperamento, quòd aliquis cœli illiuſce ra-

ratione, credere poſſet, quando pleraque illorum corporum licet ex ſui natura ſanguinea exiſtant, multa tamen pituita, etiam ex victus ratione apud ipſos uſitata, abundare dignoſcantur. Quamquam enim Ægyptii in ipſo ortu interna viſcera valde calida ſub calidiſſimo cœlo ſuſceperint, ex potu tamen aquarum, uſuque continuo ciborum tum frigidorum, tum refrigerandi qualitate magna ex parte præditorum, quibus ferè ſemper utuntur, ab immoderataque venere, atque ab uſu dulcium balneorum, quæ aſſidue frequentant, temperamentum illud calidum paulatim permutant in minus calidum, & tandem in frigidum; itaque fit, ut qui bilioſo naſcuntur temperamento, in ſanguineum mutentur, & qui ſanguineo, in pituitoſum. Hincque quamplurima fœminarum, mariumque corpora ibi repeririuntur pinguiſſima, cum tamen cœli calidiſſimi ratione corpora omnia gracillima eſſe potius deberent. Ex his igitur omnibus illorum corpora refrigerantur. Quo fit, ut omnes ejus regionis accolæ ſtomachum valde frigidum contraxerint, licet ipſi corporis habitu carnoſo, bonique ſucci, conſtare etiam obſerventur. Hujus autem facito ex me conjecturam, qui prius quàm Ægyptum adiiſſem, cum gracillimo corpore ſummeque calido eſſem, ibi ex aſſiduo aquæ potu, cui ob illos vehementes calores continuè indulgendum erat, carnoſum effeci corpus & pingue. quo tempore ſtomachus adeo erat ad frigiditatem converſus, ut ejus concoctrix facultas ad concoquendum imbecillior effecta ſæpe videretur, quam ob cauſam ſæpe acidis cruditatibus vexabar. Quod ſi mihi id acciderat, homini medico, & in temperata regione genito, quid de Ægyptiis ipſis exiſtimandum, qui non ſolum aquam pro potu affectant, ſed omnes frigidos cibos, quique immodicæ veneri dant operam uſumque dulcium balneorum frequentant? quæ omnia refrigerandi facultatem habent; niſi illos crudis multis humoribus abundare? Quod confirmare videntur aſſiduæ ventriculi cruditates, in quas ipſorum quamplurimi incidunt, frequentiſſimique articulorum dolores, qui continue ſparſim per urbem vagantur, ac mulieres, Eunuchos, & omnes abſque diſcrimine invadunt ac affligunt. Ex his igitur colligo, Cayri rariſſimas fe-

febres ab exquiſito humore bilioſo gigni, pleraſque verò à crudo ac pituitoſo excrementorum genere; ideo arbitror uſum refrigerantium mendicamentorum iis febribus non rectè convenire, ob illorum humorum, à quibus generantur, tenuiorem ſubſtantiam, ut Arabes medici volunt, craſſefaciendam, quando eos potius craſſiori ſubſtantia conſtare, quàm tenui ex nuper allatis optime pateat. Non erit itaque frigidorum medicamentorum uſus in febribus putridis ibi vagantibus omnino tutus, ſed ſæpe iis noxius. Illi igitur medici, quod ad febres compeſcendas attinet, probandi quidem eſſent, ſcilicet, ut illum febris ſocium calorem extinguant, peſſime vero faciunt, quòd febrium cauſas minime auferant. Ac potius ipſos dixerim medicinæ adulatores, quando ſolum ægrotantium, caloribus, doloribus, ſiti, occurrere, ſymptomataque ſolum demulcere ſtudeant; perfectam vero curationem, quæ, Galeno docente in lib. 9. meth. med. à cauſis exorditur, negligant. Accidit tamen aliquando, ubi febres vehementiores affligunt, in caloribuſque hecticis, ut recte frigidorum medicamentorum uſus adminiſtratus videatur. GUILAND. Mendoſam ſatis illos poſſidere in medendo artem methodicam, ex his à te narratis intellexi, quam etiam empiricam eſſe facile perſpicitur, quod ea, quæ in hac arte noverunt, potius hereditarie à majoribus tradita acceperint, atque in ipſorum memoria remanſerint, quàm ullo diſcurſu, vel ratione fuerint ab ipſis cognita.

## CAP. III.

*Quamobrem hoc tempore Ægyptii artem medicam habeant vitioſam.*

### ALPINUS.

DIXIMUS, Ægyptios medicos noſtro hoc ævo non exercere rationalem, vel dogmaticam medendi viam, ſed vitiatam, ac multis mendis plenam. GUILAND. Quonam modo eſt ibi vitium iſtud in medicina contractum? ALPIN. Scito, hoc

B tem-

tempore medicos illos finem habere non ſanitatem ægrotantium, quem veri medici ſemper intuentur ſcopum, ſed ut gratiam atque obſequium hominum comparent; ita ut nunc ibi locum habeat illa ſententia:

Terent. in Andr. Scen. I. Act. I.

*Obſequium amicos, veritas odium parit.*

Hos medicos Gal. adulatores appellat, cum haudquaquàm id ipſis ſit cordi, quemadmodum ægrotis recte, ac tuto medeatur, ſed potius quomodo eorundem deliciis inſerviant. Reſpicit itaque ipſorum medendi methodus ægrotorum gratiam, atque obſequium. & ob hanc cauſam victum ægrotis gratum inſtituunt, omnibuſque febricitantibus, ac ſitientibus permittunt, ut quantum volunt, aquæ potu ſe expleant, fructuſque in victu quoſlibet ab ægrotis expetitos non negant, affirmantes, nihil à natura appetitum poſſe ægros offendere, quando naturam ipſam tutius, ac prudentius ad corporis tutelam moveri, quàm medicos, affirmandum ſit. proinde multi ægrotis febrientibus non verentur in victu concedere angurias, cucumeres, cucurbitas, melones, ficus, atque alios, quoſcunque ibi habere poſſunt, fructus, & ut uno verbo dicam, omnia concedunt ægrotis, quæ grata illis eſſe cognoſcunt. De medicamentis itidem hoc idem obſervant, ut tantum illa medicamenta ad ſanitatem parandam adhibeant, quæ ab ægris non abhorrentur, eaque tum qualitate, tum copia ſeligunt, quæ nullo pacto corpora ægrotantium agitare poſſint: ob idque maxime in communi ſunt uſu, ad quoſcunque propulſandos morbos, hujuſmodi medicamenta, manna ſcilicet, caſſia, tamarindi, ſyrupus de granatis ſolutivus, atque roſatus, non exceduntque mannæ, caſſiæ, tamarindorum unciam, ſæpiſſimeque ægrotis hæc offerunt, alii ſingulis, alii alternis, & alii pluribus diebus offerentes; pluribus etenim vicibus eam purgationem præſtant, quod nos unica vice facere conſueſcimus. Ex purgantibus utuntur, myrobalanis, Rhabarbaro, agarico, ſenna, atque aliis hujuſce generis multis, quorum dragmam in ſingulos hauſtus non excedunt; hicque modus purgandi inter pleroſque civium ac nobilium exercetur, atque in hoc ſe rectè gerere videntur, dum cavent à validioribus, Scamoneatiſque pharmacis, in iis pur-

purgandis corporibus. Sunt tamen alii, qui ruſticis medentur, cum iis vero prævalidioribus purgationibus agunt, ſed, ut dixi, non niſi in ruſticis. Mirumque non erit, hoſce medicos his medicamentis potius lenientibus, quàm purgantibus utentes, tardiſſime ægros ſanare; id autem ea cauſa faciunt, ne purganda corpora nimium ab iis agitentur, atque perturbentur; ob quam cauſam plerique clyſteribus medentur, potius quàm medicamentis per os aſſumptis, ut quàm nimine corpora agitent. In materia quoque chirurgica eodem modo ægrotorum obſequia ſequuntur, hincque multum ſanguinis omnibus detrahunt, quod omnes miſſione ſanguinis lætentur; id vero ſæpe in multis, etiam à cibo, ut multis obſequantur, qui ajunt, jejuno ſtomacho, ægrotis non conducere id auxilium, quod nimium vires abſumat. Et in omnibus denique medicamentis eodem ſemper ſpectant, ut quàm maxime ægris obſequantur. GUILAND. Adulatores medicos non ſolum Ægyptus habet, ſed non minus multa Italiæ loca, in quibus multi ignari homines eos optimis quibuſque medicis ea cauſa præferunt, quòd obſequantur ſibi, idque tantam vim ad capiendos ægrotorum animos habet, ut plurimi ſæpe ab Ignaris atque adulatoribus medicis uſque ferè ad exitium perducti, neque tam grandes illorum in medendo errores agnoſcant, neque, ſi etiam agnoſcant, ab his diſcedere velint. Sed quamobrem medici illi olim præſtantiſſimi ad medendi modum hunc vitiatum acceſſerunt? ALPIN. Hic corruptus medendi modus non à priſcorum illorum medicorum ignorantia principium duxit, ſed, ut ex Ægyptiis hiſtoriarum peritis audivi, à barbara priſcorum Ægypto Imperantium tyrannide; tempore enim quo Mamaluchi illiuſce regionis obtinebant imperium, omnia ea loca medicis doctiſſimis florebant, qui dogmatice ſummaque cum ratione medicinam faciebant, ſed tanta erat ea in dominis barbaries, ut optimi illi doctiſſimique medici, vel rebus bene geſtis ſæpe lucri loco ab iis contumeliis afficerentur. Barbara etenim ea progenies, quæ moribus beſtiis erat ſimillima, quòd originem duxerit è Tartaris ruſticiſque, rectam ac rationalem medendi methodum non admittebat. Illorum aliquis dolore aliquo correptus non ſecùs, quàm

 fu-

furens beſtia, ſubitò ut ſanaretur imperabat, quod cum non ſemper ita citó eveniret, peſſime miſeros eos medicos tractabat. Idem obſervabatur in illos, qui ſitientibus ipſis plurimam crudam aquam in potu negabant, vel à calore febrili valde detentis frigida balnea prohibebant, in quibus immergi volebant, & iis multum refrigerari. Si tormina ab aſſumpto aliquo pharmaco ſentiebant, vel multum eo purgarentur; vel faſtidioſe vomerent, in medicos jurgia, & contumelias, miſeros Ægyptios! qui fato quodam ſemper Tyrannis ſubjecti fuerunt. Illi itaque optimi medici rectè medicinam exercentes indigne has contumelias ferentes, modum ſanè perquàm facilem in medendo invenerunt, quo barbaris iis hominibus ſatisfacerent, atque perpeſſas injuſtè objurgationes ac contumelias vindicarent, ac de illorum tyrannide in ipſos exercita hoc modo pœnas ſumerent. Guiland. Piget me tantorum medicorum injuriarum, ſed mirum non erat, eos ita à barbara ac ferina ea gente contumelioſe pati, quando virtuti vitium, & ſapientiæ ignorantia opponatur. Ab illorum enim barbaro dominio illis ſæculis non ſolum medicinam, ſed etiam omnes alias ſcientias ab Ægypto in alias orbis partes commigraſſe exiſtimo, atque ideo nunc Turcarum loca ſtudiis ſcientiarum omnino vacare. Sed perge modum enarrare, quo ad fugiendas & ulciſcendas illorum contumelias uſi fuerunt. Siquidem haud parum eſſe judico, homines illos in tanta calamitate poſitos, viam inveniſſe, qua id periculi effugere potuerint. Alpin. Tunc hac ratione mederi eis cœperunt, hæcque fuit ab his indagata methodus; Namque eis ægroto curando propoſito, primò, quo ille morbo, vel miti vel magno vexaretur, atque quibus ſymptomatis corriperetur, eaque mitiane an magna eſſent, ſcire operam dabant: quibus rectè perſpectis ac cognitis, omnes curationis indicationes præcipue conſiderabant, hinc morbos tantum atque ſymptomata reſpiciebant, cauſis omnino neglectis, vel leviſſime cognitis. morbo enim, ſi ſymptomatibus iis vehementibus careret, contrariis mederi omni ratione ſtudebant, veluti exempli gratiâ, febre vexato, abſque multis gravioribus ſymptomatis, victum primo frigidorum atque humidorum inſtituebant,

quem

quem penitus morbum extirpare, iis ignaris beſtiis facile ſuadebant, proinde omnes fructus, qui humidi eſſent ac frigidi, eis collaudabant, ut ſunt anguriæ, cucurbitæ, cucumeres, poma, & ex oleribus beta, malva, bammia, colocaſſia, lactuca, endivia, ſuncus atque alia hujuſcemodi temperamenti ac facultatis multa. Pro potu frigidiſſimam quamcunque aquam, largiſſimeque ad ægrotantium libitum, concedebant. In materia vero chirurgica in quacumque febre, quòd omnes illos barbaros ad largam ſanguinis evacuationem inclinatos admodum cognoſcerent, multum ſanguinis detrahebant. Et ex medicamentis alterantibus ea laudabant, quæ refrigerarent, atque humectarent, atque de purgantibus, evacuationem per epicraſim, lenientibus medicamentis, à quibus nihil Barbarorum corpora turbarentur, moliebantur. Febris vero omnia ſymptomata demulcere vel omnino abigere ſtudebant, calori enim æſtuoſo interne frigidis aquis, vel ſyrupis, vel decoctis, vel fructibus, & frigidis epithematibus occurrere conabantur; ſitientibus, quantum vellent, ægrotis aquæ permittentes, in appetentiis, quoſcunque cibos ab ægrotis expetitos concedentes, vigiliis, valide ſomnum provocantibus, qualia ſunt opiata omnia, obſiſtebant, dolores vehementes tollebant, iis medicamentis, quæ inſigni frigiditate partium ſenſum adimunt, qualia ſunt ſtupefacientia à noſtris appellata, atque ſic in ſingulis aliis febrium ſymptomatibus facere cœperunt: hicque fuit modus curandi, quo ægrotos blandè curare ſe ajebant, eoſque medici illi ſuo gladio jugulabant, verique inde facti ſunt medicinæ adulatores, ut illorum tam importunam effugerent tyrannidem, atque miſeriam, quando ægroti obſequii vi arbitrarentur rectè à medicis illis tractari. Ortuſque eſt malus is medendi modus ab Ægypto Imperantium tyrannide, quem poſtea omnes alii, qui conſequuti ſunt, medici rectè obſervarunt, mortuiſque doctiſſimis iis medicis, ſimulque cum iis hujus artis doctrina, poſtea pauciſſimi reperti fuerunt literarum ſtudiis dediti; ſiquidem dominorum ob barbariem literarum profeſſoribus inimicam, academiæ, ac ſtudendi commoditates defecerunt, eaque cauſa ſtudentium etiam numerus defecit, omnino præſertimque in philoſophia &

medicina, indeque Ægyptus expers ſcientiarum, literarum profeſſorumque tunc facta eſt. Deindeque ille medendi modus, jam multis ætatibus ibi frequentatus, ac per illas urbes receptus, aliis omnibus medicis, qui poſteà fuere, communicatus fuit, neque difficulter ab iis perdiſcebatur, cùm pauca quædam tenenda eſſent. Hic igitur modus medendi, quem illi homines aſſecuti ibi optimi medici exiſtimantur, tale principium habuiſſe, a multis dicitur. In eo vero ſicuti multa corrupta, atque arte Hippocratica indigna obſervantur, ſic multa etiam veram præclariſſimorum medicorum antiquitatem redolentia reperiuntur, quæ digna ſunt ob egregiam, quam preſtant in medicina utilitatem, ut ab omnibus doctiſſimis medicis audiantur, atque perdiſcantur. In qua vero parte medicinæ iſthæc eluceant, nuper dictum eſt, & inferius qualia particulatim exiſtant, ſuis locis dicemus. Sed priuſquam ad ea accedamus, multa prius erunt cognoſcenda, quæ ad majorem clarioremque dicendorum cognitionem facere videntur, atque in primis, ne tempus fruſtra conteramus, conſiderandam tibi viro doctiſſimo eam propoſitionem propono, quam illi medici mordicus obſervare medendo creduntur, quæ eſt, contraria contrariis curari. Quam propoſitionem vel mulieres ipſæ medicinæ & rerum omnium ignaræ perbelle ibi ſe putant obſervare.

## CAP. IV.

*Apud Ægyptios medicos medicam illam propoſitionem uſurpari, quæ eſt, contraria contrariis curari, atque an ipſi eam rectè obſervent.*

### GUILANDINUS.

CUM Ægyptii in medendo utantur ea propoſitione, quæ eſt, contraria contrariis curari, videntur hac in re non omnino carere rationali medicina, quando ea quoque omnes rationales medici ægrotis medeantur, morbos curantes iis medicamentis, quæ eis ſunt contraria. ut Gal. in lib 11. meth. cap.

cap. 12. teſtatum reliquit. Quamobrem & illos, qui poſito hoc principio medicinam ibi faciunt, ob id inter rationales medicos eſſe recenſendos, aliquis aſſereret. ALPIN. Huic medicæ propoſitioni non modo ejus loci medicos inniti, ſed ipſas etiam mulieres, certum eſt; quinimo Cayri ſi volueris tertianam notham febrem, agrimonio, apio, vel petroſelino, vel chamedrio, vel aliis curare, ut obſtructiones, à quibus oritur, atque fovetur ea febris, auferantur, non modo medici, ſed mulieres inclamabunt non eſſe id faciendum, quando febris, quæ calidiſſima eſt intemperies, ſolis refrigerantibus remediis curari debeat, quibus medicamentis calida intemperie præditis potius febris augeretur, nedum tolli poſſet. Hanc igitur ob cauſam ea vituperant, atque ſuſpecta habent, quæ ſuperius aperientia narravi: quæ licet morbo ſimilia videantur, tamen ejus cauſis contraria exiſtunt, quibus ſublatis febris tollitur, iiſdemque perſeverantibus nunquam febres illæ finiuntur, idcirco dicenda ſunt illa eadem medicamenta per hunc modum morbo contraria. Neque tamen eo, quòd medendo utantur ea, quam dixi, communitate, rationales appellandi ſunt medici. Tibi enim doctiſſimo viro notiſſimum eſt, methodicos tantum appellatos medicos, uſos fuiſſe iis communitatibus, qui neque locum patientem ad curationis indicationem aliquid prodeſſe autumarunt, neque cauſam, neque ætatem, neque tempus, neque cœlum, neque virium robur, neque ægrotantis habitum, neque temperamentum, ſed à ſolius affectus indicatione remedii indicatione ſumpta, ea communitate febrem, exempli gratiâ, nuper in medium propoſitam curant. Sed errant in cognoſcendis morbo contrariis remediis. Namque putridæ febres, quæ ab obſtructionibus genitæ ſunt & foventur, ut rectè curentur, debemus uti iis, quæ tum morbo, tum cauſis ſint contraria, qualia ſunt, quæ refrigerant, humectant, aperiunt, atque abſtergunt, quibus ſanè ſi obſtructiones cedant, febris proculdubio tollitur, iiſdem vero ob humorum lentorem & craſſitiem curationi obſiſtentibus, atque non cedentibus contraria valentiora prioribus requiruntur, ſcilicet quæ majorem vim habeant obſtructa aperiendi, ut propterea, quod omnia valenter aperientia calida ſint, ad

ad calida ſit deveniendum: ubi vero cauſæ febrium putridarum haud admodum curatu ſunt difficiles, ſufficient ea, quæ tantum ſunt morbo contraria, quæ ſimul aperiendi vim habeant, & ubi cauſæ non facile cedunt, morbo ſimilibus, quoad caliditatem, & cauſis contrariis, quoad aperiendi facultatem uti debemus. At in febribus, quæ cauſis conjunctis vacant, ut ſunt hecticæ ab ephemeris, vel putridis febribus genitæ, medici ſolis morbo contrariis uti debent: ambobus vero tum cauſa tum morbo curationem indicantibus, nos remedia ſequimur, quæ ambobus ſunt oppoſita. hincque cichoreacea omnibus putridis febribus convenientia auxilia judicantur, quia tum febri, ea qua prædita ſunt frigiditate, reſiſtunt, tum cauſæ, ob eam, quam adepta ſunt obſtructa, aperiendi, facultatem. Si vero morbus mitis, ac non vehemens ingruat, iis quæ cauſæ contraria ſunt magis quàm morbo uti oportet, quemadmodum in morbo, tum vehemente, tum magno, medicamenta debent magis morbo eſſe contraria. Hincque Galenus prudentiſſime docuit in lib. meth. med. ſi multa ſimul curationem indicent, ei medicos attendere oportere, quod magis urget, aliis tamen non neglectis. Ægyptii vero ſecus in curandis morbis agunt, ſemper à morbo ſumpta curationis indicatione, utuntur iis, quæ morbo contraria eſſe arbitrantur, morbi cauſis omnino neglectis, proindeque in omnibus febribus nullo diſcrimine frequentiſſimum habent medicamentorum valde refrigerantium uſum, quòd ipſa morbo validiſſime obſiſtere arbitrentur. In putridiſque decipiuntur, peſſimeque, ut arbitror, ſe gerunt, valde frigidis utentes, quia frigiditate intenſâ obſtructa augentur, & cruditas humorum crudorum fovetur. Guiland. Mirari nos non decet, ſi ii medici etiam ea communitate, quæ eſt, contrariorum contraria eſſe remedia, peſſime, ac vitioſe nunc medendo utantur, cum ferè omnia alia, quæ à priſcis doctiſſimis illis medicis in ipſorum memoria relicta fuere, corruptè ac peſſimè nunc etiam ſequantur. Neque etiam mirum ipſos ad frigidorum uſum ita præcipites ferri, quoniam omnes ob cœli caliditatem ſibi ipſis in animam induxerunt, à calidis eſſe cavendum, ne calida corpora calidorum uſu oblædantur; quod

&

& apud Genuenſes quoque obſervari licet, ii enim biliofa corpora nacti, ita calidorum uſum effugiunt, ut ad contraria potius, ad frigida ſcilicet, non ſecus quàm Ægyptii deflectant. ſecus verò apud Germanos, Boëmos, Polonos, Anglos, Flandros, Gallos, atque alios ſub frigido cælo viventes, fieri conſuevit; Namque illi tantum à frigidis metuentes, in calidorum uſum nimium labuntur. Aromatum etenim uſu, atque generoſiſſimorum vinorum, calidorumque non minus medicamentorum ſibi ipſis hepar, ſanguinemque comburunt. ALPIN. Verum profectò dicis, ſed de his ſatis, nunc ad alia tranſeundum.

## CAP. V.

*Quæ præſciri debeant, priuſquàm ad particularem de medicina Ægyptiorum narrationem accedatur.*

### GUILANDINUS.

QUÆNAM iſthæc erunt, quæ nunc explicanda ſtatuiſti, aliquane præcipua & propria illorum præſidia, quibus ad curandos morbos utuntur? ALPIN. Nondum eò pervenimus, ut poſſimus de iis nunc agere; etenim multa ſuperſunt audienda, priuſquam ad illorum narrationem deveniatur. GUILAND. Quænam igitur iſthæc, inquam, exiſtunt? ALPIN. Multa, quippe Ægypti ſitus, illius temperies cœli, anni tempora, ipſorumque naturæ, & aëris mutationes ex Nili fluminis incremento, Ægyptiorumque corporum habitus, temperamentaque, victus, morbi ibi naſcentes, ipſorumque cauſæ, atque alia, quæ ad medicinam illorum rectè noſcendam facere videntur. GUILAND. Quamobrem hæc? ALPIN. Quoniam cum eorum, quibus ad curandos humani corporis affectus illiuſce regionis homines utuntur, non ſimplicem hiſtoriam tibi ſim proditurus, ſed unà cum ea rerum illarum laudem atque vitium, ut ex horum lectione medicinæ ſtudioſi iis, quæ illi in medicina facienda maxime ſequuntur, tuto, & ex artis præceptis uti ſciant, & ad morborum inſtituendam curationem, ab illis quæ vitio,

ſe, minimeque ex artis ratione ſunt apud ipſos uſitata præſidia cavere queant. GUILAND. Laudo hunc tuum loquendi ordinem, quando præter eorum, quibus Ægyptii utuntur in medendo, utilem notitiam, iſta, quæ prius exponenda proponis, non minorem, cognita, nobis afferent, & voluptatem, & utilitatem. Perge itaque quod vis enarrare, nulla interpoſita mora, ne hæc dies ſine longa linea nobis abeat. quando multa ſuperſunt dicenda, quibus hujus diei reliquum poſſe ſufficere vix credo.

## CAP VI.

### *De Ægypti ſitu atque illius aëris temperie.*

### ALPINUS.

ÆGYPTI regio poſita eſt inter Æthiopiam, Arabiam, & Marmaricam, quæ nunc Barbaria dicitur, atque mare mediterraneum, habet enim à meridie Æthiopiam, à Septentrione mare mediterraneum, veluti ab ortu Arabiam, rubrumque mare ſpectat atque ab occaſu Marmaricam. Cayrus, olim Babylon, vel Babulis, nunc primaria Ægypti civitas, ab æquatore triginta gradibus diſtat, & longitudo ejus eſt, graduum circiter ſexaginta. Sex tantum gradibus cum dimidio hanc civitatem ad tropicum Cancri accedere Ptolemæus teſtatur; maximaque dies ibi eſt quatuordecim horarum, & minima decem. Civitas hæc ad radices montium Arabiæ Petreæ ab Oriente poſita eſt, Septentrionalibus omnibus ventis expoſita, nullo monte ab ea maris parte contecta, tota meridionalis pars ſabuloſa eſt. à quibus omnibus ejus aër ad frigidum & calidum alteratur. Ab Orientalibus vero atque Occidentalibus paruam ſuſcipit ille aër alterationem. Cum itaque hæc regio prope tropicum ſit, mirum non eſt, ſi Sole multum calefiat, præſertimque æſtate, quo tempore Sol radiis ibi terram rectius ferit, copiamque radiorum vel luminis, majorem ejus terræ accolis demittit. Quem calorem ibi multum eſſe, ac vehementem eos populos quando-

que

que perpeti, oſtendunt multa ab ipſis refrigerationis cauſâ inventa, atque uſitata. Eos enim in primis terrena habitare ædium loca apud omnes ob calorem noxium manifeſtum eſt, non minuſque in quaque domo frigidarum aquarum in medio ædium poſiti fontes, eos frigiditate oblectari, ſignificant. His etenim aquarum fontibus per totam æſtatem ipſum domorum aërem refrigerant, prope etiam illos omnes ferè dormiunt. Amplius, civitas hæc altiſſimis eſt fabricata ædibus, quæ ſupra vias uſque adeo latiſſimis expanduntur tegumentis, ut viarum totum pene cœlum ex ſuperiori parte occupent, obſtruantque, ne Sol (quando omnibus horis umbræ vias detinent, atque obtegunt) noxam inferat viatoribus. Vaſtiſſimis etiam fiſtulis, quæ maximis tubis ſunt ſimiles, intra omnes domos poſitis ad frigidum excipiendum aërem utuntur. Hæ ex mediis domibus meatu decem cubitorum latitudinis ferè exurgunt, per mediumque rectiſſime ſurſum feruntur in aërem, perviæque multo latiori ore inſtar campanæ expanſo, ad ſumma veſtigia deſinunt atque pertingunt, quo ore Septentrionem verſus aperto, frigidam auram ſpirantem excipiunt, inferniſque ipſum ædium terrenis locis demittunt. & hoc pacto cujuſque ædis inferna, terrenaque loca refrigerantur. Victus frigidorum ciborum, potuumque apud omnes nimium obſervatus eam regionem immodico aëris calore expoſitam proculdubio confirmat. GUILAND. Iſtæc certè omnia ſumme calidam aëris illius temperiem coarguunt, nihilominus calorem æſtatis tempore ibi talem eſſe audivi, quem facile quiſque perferre poſſit. Temperari enim calores illiuſce temporis à Nili fluminis incremento per id temporis celebrato, atque ab aſſidua Septentrionalium ventorum ſpiratione, à multis proditum eſt. ALPIN. Ni Deus his duabus cauſis ambientis illius aëris æſtivos calores minuiſſet, haudquaquam fieri poſſet, ut animalia ibi viverent. Tanta eſt Dei Optimi Maximi providentia, ut in locis ſub cœlo calidiſſimo vi radiorum ſolis inflammatis, ſit aliquid, quo refrigerentur, ſicut in frigidiſſimis regionibus omni ferè calore deſtitutis, ut aliquid habeatur, quo ea loca incaleſcant. Eaque cauſa in locis Septentrionalibus, ſub frigidiſſimo cœlo pretioſiſſimæ ac

copioſiſſimæ pelles reperiuntur, & lignorum comburendorum copia, quibus ſe à vehementiſſimis illis frigoribus homines deffendant. Aër itaque æſtate proximis radiis ſolaribus rectius terram ferientibus valde accenſus, ab aucta Nili fluminis aqua, Septentrionaliumque ventorum ſpiratione aſſidua obtunditur, ac multum moderatur; ex prædominio vero ipſe eſt calidus & ſiccus, inæqualis, valdeque inconſtans, ſubſtantia tenuiſſimus, maximeque in locis à mari remotis, ut Cayrum, aliæque civitates & loca ſupra ripas Nili poſita. Hic aër hyeme aliquando inſigniter frigidus apparet, & aliquando calidiſſimus, ob ſiccitatem immodicam aëris (ibi etenim rariſſime pluit.) quæ ut rerum naturæ non ignari ſciunt, utramque activarum qualitatum acuit, veluti hæ ab humiditate hebetantur. Quam ob cauſam ob tenuitatem ſubſtantiæ, hyemalis aër frigidior, quàm reuera ſit; ab his populis experitur, quoniam is ob partium etiam tenuitatem corpora penitiſſime penetrat; frigidamque qualitatem introducit, lædenſque ſenſibiles partes, majoris eſt cauſa ſenſus, quám ſit ipſa vis frigoris, maximeque ex omnibus corporis partibus caput ab aëris ejus loci frigiditate oblæditur, multoque magis, quòd antea calido aëre calefactum, meatus valde apertos habuerit, per quos facilius frigidum aërem ſuſcipit, a quo poſtea facile offenditur. Hincque nullum eſt genus morbi ex capitis diſtillatione obortum, quod illi populi non patiantur. Dominatur autem aër ſumme calidus, ipſius cœli, ut dictum eſt, ratione: quod hæc civitas à tropico cancri tantum ſex gradibus diſtet. Qua brevi intercapedine, dum Sol ad illum accedit tropicum, & illorum Zenith fit propinquior, aër ille valde incaleſcit, & niſi Eteſiæ venti tunc à Septentrione ſpirarent, vehementiſſimus & qui vix à noſtris perferri poſſet, caloris æſtus ſentiretur. Hyeme etiam nocturnus aër admodum frigidus obſervatur, qui ab orto Sole paulo poſt parum incaleſcit, in meridieque plurimùm; adveniente vero nocte rurſum in frigidum permutatur, ita, ut aër ille valde inæqualis ſit dicendus, ab ipſiuſque illa inæqualitate plurimi morbi originem ducunt, atque generantur, qui eo temporis per urbem vagantur. GUILAND. Cupio etiam ejuſdem aëris temperiem pro anni

ni temporum ratione à te explicari. Quam ob cauſam te in primis de anni temporibus, quæ in uſu apud eam nationem exiſtunt, atque de ipſorum temperie, loqui optimum fore arbitror. ALPIN. Libenter de his nunc ſermonem inſtituam.

## CAP. VII.

### *De anni temporibus apud Ægyptios uſitatis, atque de ipſorum temperie.*

### ALPINUS.

DIVIDAM annum apud Ægyptios uſitatum ac obſervatum in quatuor, ut noſtri etiam faciunt, partes, ſed ſecus quàm illi; ac primùm à Vere incipiam. Quod anni tempus ibi duobus menſibus temperatum, obſervatur, Januario quippe & Februario. Incipitque Orione & Canicula orientibus, & deſinit ad occaſum Arcturi, quo tempore æſtas incipit, & deſinit uſque ad nocturnum Trianguli ortum: Quæ quidem æſtas duplex ſingulis annis obſervatur, quarum prima eſt inæqualiſſima ac ſummè inconſtans vehementiſſimo cum caloris æſtu, quæ maxime corpora offendit, præſertimque advenarum ejuſce cœli qualitati minime aſſueta: id igitur anni tempus, ut nuperrime etiam dictum eſt, principium facit. Arcturo occidente, ſcilicet in initio menſis Martii, protenditurque ferè uſque ad tropicum cancri, tribus, ſcilicet comprehenſum menſibus, quippe Martio, Aprili, Majo. Altera æſtas, quam ſecundam partem æſtatis appellamus, priori ſtatim ſuccedit, nam ipſa incipit Sole ſignum cancri ingrediente, terminumque habet prope finem menſis Auguſti. Hæcque æſtas priori æqualior, conſtantior, minuſque æſtuoſa, atque minus ſentitur noxia corporibus. Autumnus habet alios duos menſes, ſcilicet Septembrem atque Octobrem. Hyems vero orientibus Pleiadibus, ſcilicet incipiente menſe Novembri, incipit, atque ad Januarium menſem uſque protenditur, Hoc itaque modo annum Ægyptiorum dividi oportere judico, ut quatuor diverſis aëris natu-

ris quatuor anni tempora rectè reſpondeant. Ver Januario, atque Februario ibi obſervari, non eſt mirum, cum ejuſce temporis temperamentum mediocre ac temperatum in aëre percipiatur. Id ipſumque etiam tempus veris, inquam, indicant arbores, quæ per eos menſes ibi germinant, & frondeſcere incipiunt, terraque illa virentibus herbis, ſtirpibus, floribuſque amœniſſima redditur. His autem exactis menſibus primam æſtatem, vel primam æſtatis partem animantibus valde pro ejus inconſtantia, multumque inæquali caloris, & frigoris ſtatu, noxiam ſentiunt. Atque hæc prima æſtatis pars inconſtanter menſibus Martio, Aprili, Majo, obſervatur. Guiland. A quibuſnam cauſis hæc prima æſtatis pars inconſtantiſſima, æſtuoſiſſima, atque inæqualiſſima fit? Memini etenim ego, dum Cayri olim moram facerem, iis utique tribus menſibus me ventos calidiſſimos, moleſtiſſimoſque ſentiiſſe, cum arenarum inflammatarum magna copia, qua aër ita obſcurabatur, ut Sol neutiquam videri poſſet. Illoque etiam tempore quamplurimos vagaſſe epidemicos, atque lethales morbos, maximeque oculorum lippitudines, quas Græci Ophtalmias appellant. Quam ob cauſam arbitror hujus prioris æſtatis partis cauſam eſſe ventos illos ſumme calidos, atque ardentes, à Meridie, lociſque arenoſis inflammatis perflantes; Hoſque ventos Campſim appellabant, quaſi dicerent ventos diebus quinquaginta perflantes; id vero tuis proximis verbis adverſatur, qui dixeris iſtam æſtatis partem non tantum diebus iis, ſed tribus perpetuis menſibus durare. Alpin. Euri Auſtrique venti, ut tu rectè dixiſti, à meridie loca arenoſa, ſummoque calore inflammata tranſeuntes atque in Ægyptum ſpirantes, tantum caloris æſtus, pulverumque & inflammatarum arenarum evehunt, ut ignitas flammas, necnon pulveribus obſcuriſſimas, nubes eo aſportaſſe videantur. Pulvis ille, vel arena copioſa ventis tum aſportata, tum ex ſolo Ægypti ventis arrepta, atque per aërem agitata, non minus quàm aër ſuo calore, corpora lædit, atque offendit, oculoſque maxime, quos mordet & inflammat: Hincque epidemias plurimas & ophtalmias, quæ tunc temporis per illam urbem vagantur, originem habere dicerem. Hi

venti

venti interrupte ac inconſtanter, quandoque tribus, & quandoque quinque, & aliquando etiam ſeptem atque novem diebus (quamquam rariſſimo contingat) ſpirant. Ipſoſque Charonios vocare poſſumus, quod quaſi à Charonte procedant, ſemper plurimos lethales morbos iis populis aſportantes. Quo tempore multas peſtiferas febres, atque phrenitides, homines non diebus, ſed horis paucis perdentes, ſæviſſimaſque quampluri-mas ophtalmias ibi vagari obſervavi. Corpora omnia ita ab his languida redduntur, ut ferè cibos abhorrere videantur, inextinguibilique ſiti continue ardeant. Pro qua ſiti arcenda flumen Nilum eis Deus largitus eſt, cujus aqua præjucundiſſima omnia refrigerantur, atque humectantur. Advenæ noſtri iis perflantibus ventis ad ſubterranea loca confugiunt, in quibus morantur, quouſque ille ventorum ardor reſederit, atque ceſſaverit. Conjunxit hæc incommoda Deus Optimus, cum aliis quibuſdam bonis, nam ubi calidiſſimi ii venti conticuère, ſtatim à Septentrione flare alii incipiunt, qui ſubitaneum inflammatis, atque laxatis corporibus ſolatium præſtant. Si enim illi diu perſeverarent, nemo in ea regione vivere poſſet. Quod autem ad primam æſtatis partem attinet, quam trium menſium eſſe affirmarim, & ad ventos, quos Ægyptii vocent Campſim, quod nomen numerum explicat quinquagenarium, ſcito circa illius quinquagenarii numeri explicationem multos multa locutos fuiſſe. Aliqui etenim illos ventos Campſim appellant, quoniam ipſi interruptè diebus quinquaginta ſpirare ſoleant. Atque aliqui eo nomine quinquaginta eos nuncupant, quod illorum ventorum furor ac æſtuoſa moleſtia ſpacio dierum quinquaginta finiatur. Et alii Campſim ob id eos dicendos affirmant, quod utplurimùm à Paſchate Reſurrectionis uſque ad Paſcha Aſcenſionis ipſi flare obſerventur, quod tempus eſt dierum quinquaginta. Quod tamen falſum dognoſcitur, quando ego obſervavi ſæpius ante Paſcha etiam Reſurrectionis illorum ventorum furorem. Alii, & verius mea quidem ſententia, dicunt, hos ventos Campſim vocatos fuiſſe ex morte Campſi multarum copiarum ducis, quem immodica arenarum copia, quæ ventis illuc aſportata fuerat, cum toto exercitu in Africæ de-

deſerto ſuffocauerat, ut in vita Alexandri Magni legitur. Hæc æſtatis pars eſt corporibus valde noxia, quoniam per id temporis calor interim continuò, & interim frigus in aëre percipitur. In hoc etiam anni tempore per urbem vagatur ille lethaliſſimus morbus, quem Demelmuia appellant, qui paucis horis homines perdit. Altera æſtatis pars hanc ſequitur æqualis & minus calida: eſſet tamen & ipſa calidiſſima, niſi Septentrionales venti continuè tunc ſpirarent, atque niſi Nili fluminis fieret incrementum, quibus aëris æſtuoſa caliditas paululum contemperatur. Hac æſtatis parte, quæ à nobis ſecunda æſtas vocatur, aër eſt multum & ipſe calidus, ſed æqualis conſtanſque à principio ad finem uſque, non ſubito ſed paulatim ſenſimque caloris adferens mutationes; qui quò Septembri menſi vicinior, eò temperatior redditur. Ideo hoc anni tempus morbis caret, & ſalubre eſt. Omnes agricolæ tunc vitam otioſam ducunt, quoniam terra uſque ad peraucti fluminis diminutionem cultui eſt inepta, inundatione aquæ ſupra ipſam non finiente. Atque tunc ſpectacula, ludique, augeſcente flumine ab his celebrantur. Autumnus Septembri, Octobrique menſibus celebratur, in cujus fine ceſſante fluminis inundatione, triticum ſerunt, quod Martio menſe maturum ab ipſis evellitur, atque colligitur. Hujus temporis aër eſt temperatiſſimus, æqualis, morbis carens. Aliis ſequentibus duobus menſibus frigidior fit, atque hyemalis. Raro decidunt pluviæ; quod ſi contingat, tanquam ros eſt: Cayri, inquam, quandoquidem Alexandriæ Peluſiique, & in omnibus locis mari adjacentibus pluit largiſſime, & ſæpe. Novembrique facilius, quam Decembri, id accidit, quòd eo menſe aër ſit frigidior: rariſſime glacies, neque nix, neque grando ibi viſitur, cum aër careat tanta frigiditate qua hæc gigni queant. Hæcque eſt temperies aëris locorum, qui à mari longè diſtant, per omnia anni tempora obſervata, loca mari proxima aëre utuntur minus calido, & minus ſicco, ibique largiſſime, ut dictum eſt, pluere ſolet. Guiland. Tuo de anni in ea regione partibus diligenti habito ſermone mirum in modum ſum delectatus, ſed quoniam dixiſti, Sole tropicum cancri ingrediente, aërem ibi ex immoderate calido atque æſtuo-

ſo,

ſo, ad minus calidum ob ventos à Septentrione ſpirantes, atque ob incrementum Nili fluminis mutari, id illius cœli naturæ videtur maxime contrarium, quando quis crederet, in calida regione Sole terram ad angulos rectos feriente, aërem à magis calido ad minus calidum mutari poſſe. Ideo cupio te de hac eademque aëris mutatione rurſum clarius loqui. ALPIN. Tibi, ut ſoleo, ſemper etiam hac eadem in re ſatisfaciam.

## CAP. VIII.

### *De aëris mutatione ex ventorum Septentrionalium ſpiratione, atque ex augmento fluminis Nili.*

### ALPINUS.

VENTI, quibus ad calorem & frigus aër Ægypti, præſertimque Cayri permutatur, ſunt Meridionales atque Septentrionales. Ab his etenim, ut nuper etiam dictum eſt, ea loca maxime incaleſcunt, veluti à Septentrionalibus refrigerantur. His omnibus tota illa regio eſt expoſita, ſed magis Septentrionalibus, quibus Ægyptus libere ventilatur, a Meridionalibus vero, cum inter ipſum & meridiem montes quamplurimi ſint, præſertimque Lybiæ atque Æthiopiæ, non ita liberè perflatur, raro etenim ipſi perflant, atque non niſi, ut ſuperius dictum eſt, in prima æſtatis parte. Perflant vero à Septentrione ſæpiſſimè in anno, ſed præcipuè tota æſtate. Summa enim Dei ſapientia Ægyptum cœli cauſa valde calidum Septentrionalibus magis, quàm aliis expoſitum eſſe voluit, ut ipſorum refrigeratione aër illiuſce regionis ſummè calidus multum refrigeraretur. Ab Orientalibus autem parum vel nihil illorum locorum aër alteratur, quoniam & rariſſimi, & pauciſſimi exiſtunt, quod tota ea regio montibus ab Oriente ſuppoſita ſit, atque ab his contecta. Et ex his, qui ab occaſu ſpirant, non multum aër alteratur, cum hi temperati ſint. Septentrionales itaque venti, qui menſe Junio flare incipiunt, mirum in modum aërem refrigerant, quoniam longiſſimos ma-

ris tractus, priuſquam illuc accedant, pertranſeunt, in tam longoque itinere ipſi ab aqua maris refrigerantur. Mirari itaque non debemus, ſi hi venti in ſecunda æſtate continue frigus per iter ſuſceptum ſpirantes, aërem illorum refrigerant. Quam aëris ad frigus alterationem fovet etiam fluminis Nili incrementum, à peraucta fluminis aqua refrigerato ſive moderato caloris æſtu. Guiland. Quæſo fluminis hujus ortum, incrementum, ejuſque cauſas, ibi ab iis populis auditas, mihi etiam narrare non pigeat. His etenim probè cognitis, quo pacto Ægyptiis refrigerationem conciliet, facile dignoſcemus. Alpin. Qaumquam ego certò ſciam tibi viro doctiſſimo hujuſce fluminis incrementum, & ejus cauſam ex multorum ſcriptis eſſe planè cognitam, nihilominus, cum iſtud etiam ex me narrari volueris, operam dabo, ut tibi morem geram. Hoc flumen, omnium, ut audito, longitudine maximum à divina ſapientia in arenoſa ſqualidiorique Africa factum eſſe creditur, ut illa mundi pars foret habitabilis. Quando ſummum admirandumque omnibus videatur miraculum, terram Ægypti, Sayeth, aliarumque multarum Africæ regionum loca eſſe fœcundiſſima ob ſolam hujuſce fluminis inundationem, nihil enim terræ, arena excepta, ea loca habent. Deus flumen illud iis populis largitus eſt, ut ea arenoſa loca pingui limo fluminis aquâ aſportato, fœcundarentur, atque irrigarentur. Qui accuratius ejus ortum indagarunt, atque noverunt, affirmant naſci proxime brumali tropico ad radices quorundam altiſſimorum montium, lacum vaſtiſſimum ſexcentûm mille paſſuum circuitus, facientes, à quo flumen Gion ab his appellatum directè Septentrionem verſùs procedit, tandemque in mare mediterraneum deſcendit, ipſumque ingreditur, & ab ipſo propè æquinoctium magnus rivus procedit, per mediumque totius Africæ tranſit ab Ortu ad Occaſum procedens. Quo flumine Nigro à noſtris vocato, hi populi perinde ac Ægyptii utuntur. Nilus vero, ut ad ipſum nunc redeam, terram Ægypti arenoſam, ac omnino ſterilem limo pinguiſſimo aquæ larga inundatione obtegit, fœcundiſſimamque ac cultui aptiſſimam reddit. Deuſque etiam, quód eorum locorum corpora ſumme calida,

&

& ſqualida, præmultoque cœli calore admodum ſitientia eſſent, illis hoc flumen largitus eſt: cujus aquâ omnium pro uſu humano optimâ epotâ, corpora ipſorum ab his aëris ardoribus defenderentur. Gayri vero, ut hujuſce fluminis augmentum nunc dicam, ſingulis annis conſtantiſſime (cujus veram cauſam me ignorare fateor.) menſe Junio, die decima ſeptima, Oriente Sole, flumen illud augeri incipit, & nunquam obſervatum eſt, ejuſdem augmenti principium ab ea die, & hora conſueta deflexiſſe; quod certè magnum naturæ arcanum omnibus videtur. Mox magis & magis perauctum, ſingulis aliquando diebus ad octo, vel decem, vel ad pauciorum digitorum altitudinem creſcit: ad ſummum quatuor & viginti cubitis. Aliquando etiam, quod tamen rariſſime obſervatum eſt, uſque ſex & viginti cubitorum altitudine perauctum fuiſſe, illorum memoria conſtat. Ipſumque decem tantum & octo cubitis auctum ſat eſt pro agrorum inundatione facienda. Terminatur vero totum augmentum menſe Auguſto, & plerumque uſque ad medium Septembrem, vel ipſum augmentum uſque ad iſtud tempus vigere obſervatur, loquor de aqua extra fluminis ripas aucta, quando intra ripas flumen ſemper decreſcat uſque ad Majum menſem; & ex hoc tempore inundatio decreſcere incipit; continuat hoc aquæ decrementum uſque ad medium Octobrem, quo tempore omnis aquæ tumor inundatioque abſorpta eſt, terræque ob id agricolæ ſemina committere ſolent. Decreſcit autem intra ripas Nilus paulatim ac paulatim ad Majum uſque menſem, in quo menſe ejus aqua pauciſſima, & ferè ſtagnans cernitur. De hujus aquæ utilitate, atque de magna voluptate pro his mitigandis caloribus, poſtea loquemur. Verum à quibus cauſis arbitreris tu hujuſce fluminis augmentum iſtud pendere? GUILAND. Ab Eteſiis eo tempore flantibus ventis, ut dicebat Thaletes philoſophus, non arbitror quando nihil in eo flumine cernatur, quod prohibeat, quin ipſum omnem aquam evomet in mare. Neque minus puto, ut Ephorus affirmabat, ſolum Ægyptium, quod inſtar ſpongiæ æſtate expreſſum, aquam hyeme ſuſceptam exudando, poſſit flumen iſtud augere: Minuſque etiam, ut Euripides, atque Anaxago-

ras dixêre, à liquatis Æthiopiæ nivibus id fieri poſſe, quod Euripides his verbis expreſſit, dicens:

*Aqua pulchra deſerens.*
*Fluminis Nili, quæ ex terra defluit,*
*Nigrorum hominum, & tunc tumefacit undas,*
*Quum Æthiopiæ nives liquantur.*

Nives intra tropicos fieri nequaquam exiſtimo, cum nuſquam in Ægypto, cœli longè minus calidi Æthiopico, nives, aut pruinæ præ aëris caliditate viſæ ſint. Equidem multo veriorem judico ſententiam Democriti Abderitæ, Agatarchidis, Diodori Siculi, Plinii atque Hieronymi Fracaſtorii, qui dixêre hujuſce fluminis augmentum pluviis in Æthiopia cadentibus acceptum referri, quæ ibi Sole cancri ſignum ingrediente fiunt largiſſimæ ac copioſiſſimæ quadraginta uſque diebus perſeverantes. Quam ſententiam Fracaſtorius his verſibus memoriæ prodidit in libro de vita Joſeph, dicens.

*Nam ſeptem annos qui deinde ſequentur.*
*Infelix ſteriles, duroſque Ægyptus habebit;*
*Ipſe intra ripas demiſſo flumine Nilus*
*Curret iners ſupraque caput, limumque feracem*
*Non tollet: Sicca arebunt arva omnia, ſicca*
*Solſtitia, & nulli deſcendent montibus amnes;*
*Conſueti pluviarum amnes ſub ſidere cancri*
*Æthiopum populis, nec hyems æſtiva redibit.*

Quod veriſſimum eſſe illius regionis accolæ affirmant, cum ſæpe audiant ex multis ab Æthiopiæ variis locis Cayrum profectis diebus quadraginta ſingulis annis perpetuoque tempore ibi largiſſimos imbres, atque continuas è cœlo decidere, Cayrim toto ferè augmenti fluminis tempore Eteſiæ, ut jam dictum eſt, perflantes ſingulis ferè diebus ab orto Sole, uſque ad meridiem multas nubes nigras, craſſas, pluvioſas in altiſſimos uſque Lybiæ, Æthiopiæque montes propellunt, atque aſportant, in quibus montibus hæ concreſcentes in pluvias vertuntur, quæ ab his in Nilum cadentes, ſunt cauſæ ipſius augmenti. Obſervatur quotidie Cayri dum flumen hoc augetur, qua die multæ nubes ſupra Ægyptum verſùs Meridiem à Septentrionalibus

iis

iis ventis aſportatæ tranſierint, multum flumen augeri, atque ex contrario clara apparente die, nulliſque nubibus in eo cœlo apparentibus, parum creſcere. Et hæc eos nunquam fallit obſervatio. ego igitur fluminis hujus augmentum ab Æthiopicis largis pluviis fieri cum illis doctiſſimis viris unà exiſtimo. ALPIN. Neque immeritò, in ipſorum ſententia te eſſe, opinor, quando ex ea nubium à te nunc narrata experientia, multis obſervationibus facta, ego etiam animadverterim veriſſimum eſſe aſſiduas, largiſſimaſque ibi decidere pluvias, atque imbres, à quibus flumen creſcit. Imbres nuper dictos in montibus Æthiopiæ fieri à quamplurimis mercatoribus, qui loca Africæ propè Nilum poſita peragrarunt, ſæpiſſime audivi. Addo majorem pluviarum copiam in montibus illis, à quorum radicibus id flumen naſci ex multorum mente, dictum eſt, fieri oportere, quoniam ea loca per id temporis frigidiora exiſtunt, Sole ab ipſis quamplurimum elongato, atque excelſos montes habent, quorum juga aërem ſervare admodum frigidum credendum eſt, quia etiam flumen, quod Nigrum appellant, non falſo à multis creditum eſſe Nili rivum, æque ut Nilus creſcere obſervetur. Pluviæ itaque augmenti fluminis hujus cauſæ creduntur. Quod etſi veriſſimum eſſe arbitror, tamen duo de flumine iſto tibi nunc dicenda eſſe judico, quorum cauſas naturalibus principiis poſſe cognoſci, nullo modo fieri poſſe arbitror. Primumque eſt, flumen iſtud in Ægypto conſtantiſſime perpetuo tempore ſingulis annis menſe Junio dieque decima ſeptima, incipere augeri. Secundum eſt, obſervatio futuri hujuſce incrementi: qua ad quotos cubitus flumen ſit perventurum, prænoſcunt, nunquamque à ſuo judicio aberrant, neque falluntur. GUILAND. Quomodo hoc verum eſſe, & quo pacto ipſi augmenti hujus magnitudinem præſcire queunt? ALPIN. Nilum incipere augeri perpetuo tempore menſe Junio, dieque ſeptima decima, omnibus ibi habitantibus notiſſimum eſt, ſed qua cauſa id fiat, ego prorſus ignoro. Menſe itaque Junio ante ſolis ad tropicum acceſſum, multis diebus Ægyptii terram illiuſce fluminis toto integro anno adſervatam, & ſiccatam, arefactamque accipiunt, quam lance expendunt, faciuntque ut ponderum

numerus, addendo ac ſubtrahendo, dragmis ſedulo reſpondeat, ut exempli gratia, terra ſit trium dragmarum pondere, quam in loco ſicco, undique concluſo reponunt, & conſervant, quotidieque librantes, ipſam obſervant nihil auctam, nihilque imminutam pondere eſſe uſque ad diem decimam ſeptimam menſis Junii, in qua die auctam ipſo pondere inveniunt, ex cujus qondere multum vel parum aucto, multum vel parum flumen illud auctum iri prænoſcunt, à diligentique perauċti illiuſce ponderis notitia, quotis etiam cubitibus ipſum ſit augendum certò præſciunt. Hujus obſervationis, atque veritatis teſtes erunt Paulus Marianus Venetus illo tempore pro Gallorum Rege Conſul clariſſimus, & ex ſocietate Jeſu Rever. Baptiſſa Elianus, & Franciſcus Saxus, & Franciſcus Bonus, Joanneſque Varotus Anglus nobiliſſimus, qui in multis obſervationibus interfuerunt. Ex qua vero cauſa hæc terra pondere augeatur, non eſt nunc dicendi locus. Guiland. Hæc certè duo ſunt multâ admiratione digna, de quibus niſi à ſermone de medicina Ægyptiorum proſequendo, atque abſolvendo nunc aberraremus, quando hoc præcipuum ſit nobis inſtitutum, ac propoſitum, cuperem multo copioſiora, ac altiora loqui. quæ quidem in commodiorem occaſionem conſideranda remittemus. Sed tempus eſt, ut ad alia tranſeamus, proinde optimum fore exiſtimo, ut tu nunc de Ægyptiorum corporum temperamentis, atque habitu loquaris, poſtquam ambientis illiuſce aëris temperamentum probè narraſti; atque omnes, quibus ſolet mutari, cauſas rectè es contemplatus. Expecto itaque ut de his ſermonem inſtituas.

## Cap. IX.

### *De Ægyptiorum corporum temperaturis, atque habitu.*

### ALPINUS.

Dare operam, ut Ægyptiorum corporum temperiem indagemus finitam, ſive terminatam, nihil ſanè aliud erit, quàm

quàm tempus fruſtra conſumere: quod ſi tu mihi indicaveris Cayri tantum accolarum temperiem dicendam, non ſecus quàm Xanthus ab Æſopo perdoctus, illis, quibus totum mare ſe potaturum promiſerat, dixerat, ipſum prius à fluminibus ſegregari oportere, reſponderem itidem, ut Ægyptii à cunctis aliis populis ſegregarentur, quod ſanè difficillimum eſt, quando Cayri habitatores ſint Ægyptii, Arabes, Æthiopes, Abiſſini, Indi, Perſæ, Aſſyrii, Damaſceni, Græci, Armeni, Turcæ, Tartari, Pruſſi, Ungari, Sclavi, Mauritani, omniumque aliarum feré nationum. Semper hæc civitas fuit publicum ac famoſiſſimum emporium totius orbis terrarum. Hincque apparet difficultas conſtituendi, atque deſignandi unum aliquod temperamentum, hujuſce urbis accolis omnibus commune. GUILAND. Videtur tamen neceſſarium, omnes, qui eam urbem per multos annos habitarunt, ad aliquod reduci temperamentum, eodem tum cœlo, tum victu uſi, quæ procul dubio nativum temperamentum mutare ſolent. Nam cœlum, cibus potus, & aliæ conſervatrices cauſæ, corpora, neceſſariò, (ut dicebat Gal. in lib. artis med.) alterant, atque permutant. Audio vero ibi triplex genus hominum reperiri, Urbanos, ſcilicet urbem habitantes, Arabes, qui degunt ſub tentoriis, atque demum Agricolas Ruſticoſve villarum habitatores. Non videtur igitur tam difficile eis temperamentum unum conſtitui, atque aſſignari poſſe. ALPIN. Illorum corpora, quod poſterius etiam, atque ex me accuratius audies, ubi rurſum ipſorum, tum temperamenta, tum habitus ſumpta ex miſſione ſanguinis occaſione, cum id apud ipſos valde frequens ſit, conſiderabo, pleraque ſanguinea exiſtunt. Certò enim affirmare poſſumus ipſa cœli ratione eſſe valde calida & ſicca ſtatuenda, cum ſub calidiſſimo & ſicco cœlo habitent, omniumque maxime ruſticorum, & ſecundo loco, Arabum demumque Urbanorum: Quorum caliditatem & ſiccitatem minuunt, & permutant uſus frequens, & aſſiduus potus aquæ, ciborumque refrigerandi facultatem habentium, atque immodicæ veneris. Quæ omnia ita poſſunt pro refrigerandis corporibus, ut calidiſſima corpora ſumme frigida reddere queant. Idque in meipſum

ipſum facto periculo verum eſſe cognovi. Nuſquam gentium memini me vidiſſe in tanto numero ita perpingues homines, quales Cayri obſervantur. Ex viris plurimos uſque adeo pingues inſpexi, ut mammas haberent longè mulierum maximis mammis majores, craſſiores, ac pinguiores. Balneis etiam ibi ex dulci aqua paratis, quibus aſſiduo utuntur, corpora illorum maxime refrigerantur. Ex his itaque colligo, pleraque illorum corpora ſanguineo, vel pituitoſo temperamento conſtare. præſertimque mulierum atque Eunuchorum. Ex corporis partibus præcipuis hepar calidum & humidum plerique obtinent, atque temperatum, quare multo ſanguine abundant. Stomachum vero frigidum, multaque pituita refertum. atque hoc tum ex cœlo, tum ex victu, nam ab ambiente ſumme calido quemadmodum hepar peradmodum incaleſcit, ita ſtomachus frigeſit. dicebat enim non immerito Divinus Hippoc. *hyeme ventres eſ-*
Aph. xv. S. 1. *ſe calidiſſimos, & æſtate frigidiſſimos.* Quare ex aëris multa caliditate, naturali corporis calore, tum extra ad extimas corporis partes evocato, tum exoluto, ſtomachus frigidior redditur. ex uſu vero victus refrigerantis quis dubitat corpora ad frigidum mutari? Habitus illorum eſt, vel moderate carnoſus & pinguis, vel valde pinguis. loquor de urbanis, quando Arabes habeant corpora graciliora, atque minus pinguia; Omniumque maxime ruſticorum, quorum corpora tum gracillima, hirſuta, ſqualida, & ferè combuſta à Sole conſpiciuntur. Guiland. Ex cœlo, cujus nunc qualitatem perfectè ex te percepi, poſſum illorum corporum temperamenta, qualia tu conſtituiſti, confirmare, ſed ex victu, quem hactenus non intellexi, nequaquam. Proinde cupio cæteris in aliam occaſionem rejectis, ut tu victum illorum mihi enares, quo non ſolum ea, quæ de ipſorum corporum temperamentis tu in medium attuliſti, laudare poſſim, ſed multo plus etiam quibus morbis ob hanc rationem ipſa ſint obnoxia, dignoſcam. Alpin. Verum dicis: At non minus ex cognito ipſorum victu, longævæ illiuſce gentis rationem ſpeculari poteris, quando præcipuam illorum longævitatis cauſam in ipſorum vivendi modo conſiſtere, ego exiſtimem. Victum itaque, quem ipſi affectant, tibi detegere operam nunc dabo.

Cap.

## CAP. X.

### *Quali victu Ægypti habitatores nunc utantur.*

### ALPINIS.

ÆGYPTII tenui, admodumque ſobrio victu utuntur: ſæpius tamen quàm noſtri, in die comedunt, ter ſiquidem quaterve ſingulo die cibum ſumentes quantitate & qualitate paucum, unicoque ac ſimplici cibo ſunt contenti, ciborum varietatem abhorrentes. neque multum carnium uſu delectantur, atque plerique illorum aquam epotant, lege illis interdicto vino. Sunt tamen etiam multi Chriſtianorum, Turcarum, atque Hebræorum, qui vinorum potationibus non ſecus quàm Ultramontani indulgent. Uſus carnium apud Ægyptios eſt temperatiſſimus, atque non minus ſimpliciſſimus, omnes ferè arietum caſtratorum carnibus veſcuntur. Aliqui ipſorum pullis gallinaceis frui nunc cœperunt, à noſtris mercatoribus perdocti, tamen in carnium uſu ſunt parciſſimi. GUILAND. Qualis igitur eſt cibus illis familiaris, quo perpetuo aluntur, cum ipſos carnibus parciſſime veſci dixeris? Forſitan leguminum, lacticiniorum, piſcium, fructuumque uſum illos pro cibo frequentare, atque iis cibis ali dices. ALPIN. Omnes humido cibo oblectantur, ipſumque affectant, hincque orizam in jure carnis caſtratorum paratam, lenteſque, piſa, & albos ciceres, melochiam, malvam, atriplicem, betam, caules, bammiam, cucumeres noſtrates, & quos Chatè appellant, colocaſſiam, ſcilicet ejus radices, melones, angurias, dactilos, muſas, ficus noſtrates, & ſicomori, armenica, perſica, uvas, mala aurantia, limonia, citria, granata. Ex carnibus, ut nuper etiam dictum eſt, arietum caſtratorum, quæ præ cæteris omnibus ibi in pretio habentur, pullos gallinaceos. multi pauperum carnes bubulorum, aliquando etiam camelorum eſitare conſueverunt. Et ex piſcibus, quorum uſus ibi eſt aliquanto familiarior, comedunt lupum, cephalum & multos alios ex Nilo flu-

mine expiſcatos, crocodili etiam carnes non ſecus quàm aliorum piſcium multi mandunt. In locis prope mare poſitis omnia piſcium genera, in multa copia optima reperiuntur, quibus omnibus ipſi veſcuntur, ſalitis quàm maxime ac interim ſemiputridis, Ex lacte quamplurimos cibos parant, omniaque genera lacticiniorum apud ipſos ſunt in uſu frequentiſſimo; atque hæc de cibis particularibus, qui in uſu apud eos ſunt, dicta ſufficiant, hoc uno tantum cognito, ipſos ciborum varietate non delectari, ſed cibo ſimpliciſſimo. Multi enim ſunt, qui prandium vel cœnam perficiunt, ſola anguria vel pane triticeo, quo omnes veſcuntur. ibi etenim nulla alia panis genera cognoſcuntur, quàm ex tritico parata. vel ſolo juſculo ex radicibus colocaſſiæ, vel bammiæ fructibus, vel melochia, vel oriza, vel lentibus, vel cum alio legumine parato, vel ſacchari cannis viridibus commanſis, vel ſolis uvis, vel ficubus, vel cucumeribus, aliiſque ſimilibus. Guiland. Suntne apud illos optima olera atque fructus piſceſque & carnes, quibus illi veſcuntur? Alpin. Omnia olerum genera, illorumque fructus omnes noſtris ſunt longè multò humidiores, atque hinc etiam inſipidiores, quando omnia hæc terram non modice irrigatam, at multis diebus inundatam producere, te vidiſſe certò ſciam. Tanta eſt ejus terræ ſiccitas & ariditas, ut ſi ea à terra abigenda ſit, terraque ipſa fœcundior reddenda, non ſat eſt ipſam tantum modice aqua irrigari, ſed quamplurimis diebus largiſſima copioſimaque aqua inundatam, atque tectam manere. Hincque hortorum viridariorumque diebus ſingulis terram ſæpius aqua inundare vel demergere ſolent, ut fœcunditati aptiorem reddant; ea item cauſa omnia illorum olera, atque herbas eſſe valde humidas, atque noſtris inſipidiores arbitror, quibus animalia, quæ paſcuntur, carne fieri valde humida, excrementoſa, atque guſtui minus ſuavia, non eſt mirum. Piſces in Nilo naſcentes tametſi pingues atque guſtui ſuaves ſint, nihilominus ad ſanitatem tuendam peſſimi putantur; nam flumen illud ſaxoſum fundum non habet, ſed limoſum, neque admodum celeri ac vehementi motu agitatur, ipſius aqua limoſa & cœnoſa exiſtit. Quæ omnia non obſcura eſſe indicia inſalubrium

pi-

piſcium in eo flumine naſcentium Gal. in lib. de ſuccorum bonit. cap. 19. memoriæ prodidit. Pro potu omnes Ægyptii Mahometis aſſeclæ ſuaviſſima illiuſce fluminis aqua utuntur, quæ aliis omnibus bonitate videtur præferenda. Chriſtiani verò atque Hebræi etiam vinis utuntur. GUILAND. Hippocrates in lib. de aëre, loc. & aq. docuit optimam aquam eſſe quàm puriſſimam, cujuſvis coloris; atque mali tum ſaporis, tum odoris expertem. Qualis vero ſit puriſſima Gal. in lib... de ſimp. med. facult. cap. 5. his verbis docuit, inquiens: *Aqua, quæ eſt puriſſima, tribus ſenſibus judicatur, guſtu videlicet, viſu, olfactu: guſtu, ſi nullam plane qualitatem præ ſe ferat, ſed videatur ab omni qualitate immunis: Viſu, ſi pura, ſincera, & exquiſite clara: olfactu, ſi eorum nihil eſt, quæ in aquis vitioſis eſſe olfactus teſtatur, ut aciditas, putredo, acredo, ſalſedo, aliquodve aliud vitium, quod nomine caret:* Docet etiam cognoſcere, omnium optima atque peſſima aqua quo pacto dignoſcatur, in primo de ſanit. tuenda. cap. 2. dicens: *Quod ſi quis eſt, qui ex notis potius vim ejus prænoſſe malit, cujus fons è petra ſcaturiens contra Septentriones fluit, Solemque averſum habet, hanc ægrè concoctum iri, tardique tranſitus eſſe, putandum eſt: eadem nimirum calefiet, frigefietque tardè: Contra. cujus ad Orientem Solem fons erumpit, quæque per meatum aliquem mundum, aut puram colatur terram, eademque calefit ac refrigeratur ocyſſime.* hanc omni ætati utiliſſimam eſſe exiſtimandum eſt. Hiſque notis peſſima ab optima aqua dignoſcitur, quibus certi ſumus, aquam Nili fluminis probè clarefactam optimam judicari, quando ipſa ſit omnium puriſſima limpidiſſimaque, ſubdulci ſapore, nulloque malo odore. ALPIN. Quis non credet illiuſce celeberrimi fluminis aquam omnium ad uſum humanum optimam ac præſtantiſſimam eſſe, ipſa tum longo itinere (Nilus etenim in locis propè ſub tropicum capricorni poſitis naſcitur, ultraque alterum tropicum, ſcilicet cancri, in mare uſque mediteraneum labitur) tum quoniam univerſam terræ plagam à Sole exuſtam, quam inhabitabilem antiqui eſſe arbitrati ſunt ob caloris nimium æſtum, pertranſiit, in longiſſimoque itineris tractu ferè à Sole percoquitur, & è motu vel agitatione, quæ in tam longi itineris pro-

 ceſſu

ceſſu ſit, & à collapſu ſive deſcenſu à ſummis montibus facto, flumine ab excelſis locis ad ima præcipitato probè attenuetur & purgetur. Quod vero non ſaxoſum alveum id flumen habeat, ſed pinguiſſimæ terræ, atque optimæ, ipſam aquarum omnium minime frigiditate poſſe nocere, erit judicandum. Quibus notis Avicenna aquam illam multis laudibus commendandam literis tradidit. GUILAND. Rectè loqueris, ſed hoc tempore quo pacto illam, quæ turbidiſſima eſt, claram efficiunt, ad uſumque idoneam reddunt? Galenus etenim in lib. 1. de ſimp. med. facult. dixit. Ægyptios olim ipſa per fictilia vaſa percolata uſos fuiſſe. ALPIN. Alium quoque nunc modum apud ipſos adhiberi, ac frequentari vidi, quo aquam illam puram, ac claram efficiunt. Ipſi etenim ſtatim camelis in utribus è flumine domum aſportatam aquam in magno fictili vaſe oblongo, alvum latiorem ac rotundam obtinente, binaſque aquæ amphoras continente, reponunt, eaque ibi repoſita, & projecta conſertim, quinque dulcibus amygdalis modicè contuſis labra vaſis inungunt, & ſubito manum cum amygdalis in pugnum obſeratum concluſis, ſimul cum toto cubito in aquam demergunt, valideque hinc inde per aquam cubitum pugnumque impetuoſe movent, atque agitant, donec ipſa longè multo turbidiorem reddiderint, indeque è vaſe detracto brachio, amygdalis intra aquam relictis, ipſam clareſieri ſinunt; quæ ſpatio trium horarum probè clareſcit. quam è magno illo vaſe in parvulis fictilibus rurſum reponunt, in quibus & clareſcit magis, & refrigeratur. Plerique incolarum hac aqua ita clarefacta pro potu, atque cibo utuntur. Alii multi eam pluribus diebus reſidere ac purgari, permittunt, ut puriſſimam, atque quàm tenuiſſimam reddant. quæ proculdubio omnium eſt aquarum præſtantiſſima. Rectè quidem ipſi, quoad conſervandam ſanitatem, ſe gerunt, illa utentes aqua, quæ ita eſt tenuis, ut epota ſubito omnes partes corporis penetret, quamplurimi ab epota illa aqua, ſtatim largiſſime ſudant. Aliqui mingunt copioſius, atque alii per alvum dejiciunt. eſt enim partium tenuiſſimarum leviſſima, atque à Sole concocta, ita ut ob id mirum non ſit illam immodicè diu noctuque epotam corpora non lædere.

Quin-

Quin imo calida corpora ipſa multum juvantur, nam internorum illorum viſcerum calorem, atque incendium contemperat. Hinc quum Cayri Jo. Jacobus Manne Medicus doctiſſimus, & ego de curanda cujuſdam Turcæ domini Sangiach renum calida intemperie conſuleremus, cum ego pro illo affectu ſerum lactis caprini commendarem, ridens ait, ecquid ſero lactis indigemus, ſi Nili aquam habemus? Hoc ego tunc riſu dignum eſſe judicavi, ſed multis poſt annis facta de ejus aquæ facultate experientia, non irridendam ſententiam doctiſſimi Medici, quinimo ſummopere laudandam ac commendandam eſſe, cognovi. GUILAND: Gaudeo tantas laudes aquæ Nili fluminis audiviſſe, minuſque ob hanc cauſam miror, ſi ejus regionis accolæ ſibi ipſis perſuaſerint, aquam illam intra ipſorum corpora ſuſceptam in ſanguinem mutari. Siquidem omnes uno ore clamant, ipſam in noſtris corporibus non alium humorem, quàm ſanguinem generare, & hoc illi à Deo datum fuiſſe, ubi Moyſi præceperit, ut aquæ in ſanguinem mutarentur. Ex quo tempore creditur, hanc aquam vim ſanguinis obtinuiſſe. Hanc divites omnes epotant, tum ſimplicem, tum ſaccharo & ſucco limonis miſtam. Sed hæc ſint ſatis de illorum cibo & potu: perge tu reliqua mihi enarrare. ALPIN. Omnes ejus regionis homines vigiles exiſtunt, pauciſſimique ſomni; Venerem copioſam exercent. licet enim per legem illis plures, tum uxores, tum ſervas mancipia habere pro veneris uſu. Hilares exiſtunt, otioſam quamplurimi vitam agentes, exceptis Arabibus & ruſticis, qui aſperiorem vitam degunt, dulcium balneorum uſum omnes cujuſvis ſexus & ætatis ibi frequentant, corporis ornatus gratia, atque refrigerandorum corporum ab itineribus inflammatorum, non minuſque pro demenda corporum illorum humorum plenitudine.

## Cap. XI.

## GUILANDINUS.

### *De cauſis, cur longævi ſint Ægyptii.*

Audio in Ægypti locis homines vivere longiorem vitam, quàm alibi, quando ipſorum permulti annos plus centum vivant. Communis ferè omnibus iis habitatoribus vita annorum nonaginta ſolet eſſe. Cauſam igitur vitæ apud ipſos longioris te mihi nunc referre cupio, quando hominis vitam conſervare, & corrumpere ea, quæ vulgus medicorum res non naturales, & Gal. cauſas conſervatrices, appellat, quiſque noſtrum non ignorat. Quæ ſunt aër, cibus, potus, motus, quies, ſomnus, vigilia, excretio, atque retententio, animique paſſiones. Ab aliqua igitur harum cauſarum, vel à multis ſimul conjunctis longiorem illorum hominum vitam pendere arbitror, ſed à quibus præſertim id fiat, ex te audire deſidero. Alpin. Ægyptios longævos eſſe, veriſſimum eſt, atque ex cauſis nuper dictis non minus: de his etenim Galenus cap. 35. lib. art. med. hæc ſcripſit: *Alteratur igitur corpus à nonnullis quidem neceſſario, à quibuſdam vero non neceſſario, Dico autem neceſſario, quia nulla eſt evitandi ratio, non neceſſario autem reliqua. Nam aërem quidem nos ambientem ſemper attingere, comedereque, ac bibere, & vigilare, & dormire eſt neceſſarium. Ex his itaque ea corpora alterantur, ac mutantur, atque conſervantur.* Quamobrem aërem, cibum, potum, iis populis longiorem vitam concedere proculdubio exiſtimo. Effectus namque communes à communibus cauſis pendere omnes ſciunt, ob id ab aëre, cibis, potuque longam illorum hominum vitam fieri arbitror, quod aëre, cibis, potuque nihil ipſi habeant inter ſe communius, ſed obſervato ac cognito ipſorum aëre calido & ſicco inæquali, ſimulque cum cibis, quibus veſcuntur, & etiam potu, anceps ſum, an vitæ apud eos obſervata longitudo ab his pendeat, vel non ab aliis. Teque idcirco rogo, qui tum aërem

rem illorum locorum, tum victum incolarum nuper narratum audiſti, ac noviſti, cujus hac de re ſis ſententiæ, mihi manifeſtare velis. ALPIN. Cauſam, ob quam hi populi noſtris longiorem vitam degant, in primis eſſe, judico, ſobrium ipſorum victum, abſtinentiamque tum à copia, tum varietate carnium, atque uſum optimæ æquæ Nili fluminis in potu, atque in cibis. Si quidem omnes Europæi, qui crapulas, atque vina frequentant, brevius vivunt. Germaniæque ob id & Poloniæ accolas cœlo Ægyptio contrario utentes, quia multis carnibus veſcuntur, vinorumque ebrietatibus aſſiduè operam dant, breviorem agere vitam non eſt mirum: Plerique etenim (ut audio) non excedunt annum ſuæ ætatis ſexageſimum. Contra Ligures longævi ſunt, quàm plures enim Genuenſium nonageſimum uſque vel conteſimum etiam annum attingunt, temperatiſſime enim vivunt, viniſque pauciſſimis utuntur, atque ebrietates abhorrent. Ob has igitur cauſas homines Ægyptios longævos fieri arbitor. GUILAND. Non videntur mihi hæc uſquequaque veritatem continere, neque ita facile te poſſe medicis perſuadere, arbitror, uſum carnis & vini eſſe cauſam, ut noſtra corpora (quæ illo victu aſſidue utuntur) ſint brevioris vitæ, quàm Ægyptiorum obſerventur, quæ pauciſſima carne veſcuntur, & minime vinis indulgent, aquamque in potu frequentant. Hoc ſanè parodoxum ab omnibum judicatum iri ſentio: Namque quis credet cibos melius nutrientes, probioremque & copioſiorem ſanguinem gignentes corporibus brevioris vitæ eſſe cauſam, atque alia minus, pejuſque nutrientia, & paucioris ſanguinis ad durabilitatem conducere? Hæc certè tibi quoque à veritate aliena eſſe videbuntur. Quis enim medicorum dubitat, vel ignorat, uſu optimarum carnium, optimique vini naturalem calorem augeri, atque roborari, mutatumque à ſuo naturali ſtatu, imminutumque carne & vino citò revocari, priſtinæque ſanitati reſtitui? In omnibus etiam morbis præcipuam victus rationem, in qua carnes primum locum ſibi vendicant, omnes medici laudant, maximeque ubi vires collabuntur, quibus quàm citò probior multuſque ſanguis gignitur, quo calor naturalis augetur, atque fovetur. Vinum vero quam citò nu-

triat,

triat, reſolutumque calorem reſtituat, peraugeat & foveat, neminem medicorum ignorare certò ſcio. Quid igitur dicemus, optimarum carnium, vinique uſum cauſam eſſe, quin minus corpora vivant, quando eo victu naturæ vires augeantur, atque conſerventur? Hoc profectò qui affirmabunt impoſſibile, dicere poſſibile videbuntur. ALPIN. Litem mecum nunc cœpiſti pergravem, cum me proculdubio multum aberraſſe hac in re exiſtimes. At nunc etiam edico tibi, dubii cauſa à me propoſitum, paradoxum non eſſe, ſcilicet homines uſui carnium, vinique indulgentes minus vivere, quàm illos, qui ab his abſtinent, aliaque in victum aſſumunt, neutiquam vini potationibus operam dantes. Porrò ut de hoc nunc mihi certior apud te ſit fides, conabor rationibus tibi illud perſuadere. Nam ſecus ejus regioni hominibus accidit, ac cœli ratione eſſe deberet: Si quidem calidiorem regionem accolentes citius mori deberent, iis, qui frigidiora loca inhabitant, ratio utique ſuaderet, ut hinc non immeritò Nicolaus Leonicenus in lib. Ariſtotelis de long. & brevit. Vitæ hæc ſcripta reliquerit: *Aſclepiades inter medicos rari nominis memoriæ prodidiſſe videtur, Æthiopes quidem trigeſimo ætatis anno ſeneſcere, apud Britannos vero multos ad centeſimum uſque & vigeſimum pervenire ætatis annum: quoniam Solis calore apud Æthiopes reſolvantur, areſcantque corpora, apud Britannos vero compacta, denſaque fiant cœli algentioris cauſâ, & exhalationi caloris nullum relinquant locum.* Si vivunt igitur Ægyptii multis annis in calidiori illo cœlo, non ab aëre, qui multo calore corpora illa reſolveret, arefaceretque, ſed á victu longævos evadere dicendum erit, præſertimqe à multarum carnium uſu parciſſimo, atque ab aſſiduo & continuo uſu aquæ illiuſce fluminis omnium aquarum optimæ. Quod quidem ex hoc fieri facile ſciri poterit. Namque veluti uſus moderatiſſimus, quem ipſi ſequuntur, optimæ carnis, modicum ſanguinem generans, nativum calorem fovet, conſumptumque humidum ſubſtantificum reparat; ita immoderatus frequens, vel aſſiduus, atque continuus non modo humidum non reparat; caloremque auget, ſed eum ſæpe ſuffocat, corrumpit, atque diſſolvit. GUILAND. Quonam modo id fieri poterit,

terit, cùm multus ſanguis genitus humidum ſubſtantificum deperditum reſtauret caloremque nativum non minus peraugeat? ALPIN. Duobus ſanè modis hoc fieri ex me audies; & primo, quoniam multus carnium uſus multam ſanguinis copiam generat, quæ ſi reparandæ humiditati ſubſtantificæ, calorique reſtaurando, & augendo apponatur, tantum abeſt, ut humidum caloremque ea alimenti copia augeat, ut magis ſæpe ſuffocet, atque diſſipet. Quo ſane modo Gal. dixit. in lib. de cauſ. morb. *parvam flammam multo oleo ſuffocari & extingui.* Secundo, quia multa carnis copia in ſtomacho ſuſcepta à calore ipſam alterante, atque in alimentum permutante, ut fiat pro nutriendis partibus alimentum opportunum, omnino vinci, atque mutari non poteſt. Ideo illud alimentum non modo calefacit, ſed refrigerat. Hincque doctiſſime Galenus in libro tertio de temp. docuit, omne nutrimentum, quatenus eſt nutrimentum, calorem animalis augere. & ex hoc fieri, quod ab ipſo calore vincitur, probeque concoquitur, & mutatur in ſubſtantiam partium nutriendarum, ut ipſis omninò ſimilis fiat, quod ibi ita ſcriptum reliquit: *Si namque ex nutrientium ſunt genere, ſiquidem vincantur, calefaciunt; ſi non vincantur, refrigerant.* Et quomodo fiat, in libro de cauſ. morb. cap. tertio, ita ſubjunxit. *Immodicum alimentum refrigerare, ſi enim ligna univerſim & multa ſupra parvam flammam coacervaveris, ob immodicæ quantitatis exceſſum, ipſam extingues.* Quibus hæc etiam addidit: *ſic optimi cibi, quique plurimum animali afferunt nutrimentum, ſupra modum aſſumpti morbos frigidos generant.* Modica vero ſumpta caro probè vincitur à calore naturali, & ob id nativo humido ſimilis facta, ipſum nutrit, fovet, & auget. eoque aucto vitam quoque foveri, ac conſervari, certum eſt. Hinc illiuſce regionis populi, quoad carnium uſum temperatiſſimi, longævi fiunt. Addo etiam plurimos illorum vino non uti pro potu, lege illis interdicto, quod quantum valeat ejus uſus aſſiduus & copioſus, ad hominis ſanitatem pervertendam, Galenus ibidem iis verbis docuit, dicens: *Quamquam vinum modicè hauſtum, ut quod maxime proprium alimentum ſit, nativum calorem adaugeat, tamen morbum attonitum, Epilepſiam,*

 *læ-*

*læſiones motus, ſenſuſve immodicè ſumptum ipſum facere.* Et in ſecundo libro de ſympt. cauſis dixit: *tremore corripiuntur, qui ſe vino meraco amplius impleverunt, vel multis cruditatibus laborarunt, vel longo tempore cibis repleti.* Et in tertio etiam de temper. ait: *Proinde nec vinum ipſum ſemper animal calefacit, æquè, ut nec oleum flammam accendit, tametſi aptiſſimum eſt ignis nutrimentum, immò, ſi imbecillæ & exiguæ flammæ confertim multum oleum infundas, ſuffocabis eam, prorſuſque extingues potius, quàm augebis, ſic igitur & vinum ubi plus bibitur, quàm ut vinci poſſit. tantum abeſt, ut animal calefaciat, ut etiam frigidiora vitia gignat.* Ideo cum illorum locorum accolæ ſobrie vivant, lacte, oleribus, fructibuſque veſcentes, minimeque in eſu carnium, neque in vinorum potationibus delinquant, mirum non eſt, ſi ipſorum corpora multum ſanguinem gignentia (quod in pleriſque illorum obſervatur) longam agant vitam. Vinorum generoſiſſimorum uſum temperate etiam adhibitum iis poſſe prodeſſe non ſatis mihi conſtat, quando non calore pleraque ipſorum corpora indigeant, ſed frigore, ne amplius nativus calor in bilioſis corporibus exolvatur, ſed retineatur. Atque ne ſanguis bilioſior magis etiam fiat. Uſus enim illiuſce aquæ præſtantiſſimæ multorum illorum corporum ſanguinem, cœli occaſione calidiſſimum, temperatiorem reddit, atque ipſum cohibet, minuſque aptum morbis efficit. Hinc Germaniæ, Poloniæ, Galliæ, Angliæ, Flandriæ, & aliorum frigidorum locorum quamplurimi, ut etiam dictum eſt, ob aſſiduas ebrietates, quibus aſſiduè operam dant, paucis annis vivunt. Multi etiam in Italia quotidie à medicis obſervantur, qui ob crapulas, & ebrietates, tum pauco tempore vivunt, tum vitam miſerrimam quamplurimis morbis continuè afflicti, tranſigunt. Ipſorum alii podagricis doloribus, alii convulſionibus, vel tremoribus, vel vertiginibus, vel aliquo illorum morborum à caloris naturalis imminutione, atque imbecillitate naſcente, ferè per totam vitam vexati.

## CAP XII.

### *Ad vitæ conſervationem aquæ Nili fluminis uſus, num vino ſit utilior, necne.*

### ALPINUS.

QUAMQUAM omnia de longæ Ægyptiorum vitæ cauſis te rectiſſime locutum fuiſſe, atque planè de his veritatem attigiſſe certo ſciam, nihilominus liceat adhuc mihi, de ejuſdem aquæ utilitate dubium aliquod tibi reſolvendum proponere, quando ex iis, quæ nuper in medium propoſuiſti aquæ uſus ad corporum illorum calidorum vitam producendam, uſu vini accomodatior, atque utilior eſſe videatur. Quod iis contrarium omnino videtur, quæ de uſu aquæ Hippoc. & Galenus literis mandarunt. namque aqud eos conſtat ab aquæ potu corpora parum juvari. ex Galenoque hæc in libro tertio de rat, vict. in morb. acutis, de uſu aquæ leguntur: *Tarde igitur jure optimo meat aqua, difficulter concoquitur, atque ægre deſcendit, quamquam alioqui & optima ſit, & culpa omni vacet.* Hic etiam ex Hippoc. mente docet, aquam, quamquam omnium puriſſima ſit, multo tempore manere in ventriculo, fluctuationeſque utplurimum parere, atque in bilioſo ventriculo etiam corrumpi, difficulterque in hepar, thoracem, pulmones, reneſque diſtribui: ob idque ipſam, neque ſputum educere, neque urinam, neque ſudorem, neque alvum ciere, neque ſitim tollere, (quòd ipſa moretur in amplis ventriculi inteſtinorumque cavitatibus, nec penitus imas partes permeet, neque eas humectet.) neque alere, neque vires roborare, ſed hypochondriis valde eſſe noxiam, præſertim hepati lienique obſtructis, vel in tumorem elatis. Quamobrem cum hæc de aquæ facultate vera utique ſint, quis ille erit, qui non viderit, aut noverit, Ægyptios falſò ab aquæ etiam illiuſce uſu fieri longævos dici poſſe, quando, ut jam audivimus, pauciſſime iis corporibus conducere ac prodeſſe poſſit, ſed potius ſit multum incom-

moda, ac noxia. Quis igitur audebit affirmare, uſum aquæ in iis corporibus in potu frequentatum uſui vinorum præferri utilitate debere? nemo, ut arbitror, in medicina initiatus, id affirmabit, quia hoc ex Galeno diffinitum eſt in libro ſexto epidem. comment. 4. text. ſecundo, hiſce utique verbis: *Siquidem vinum aquæ præſtat, non ſolum ad concoctionem, quæ ventriculo fit adjuvandam, ſed etiam ad concocta diſtribuenda, ad ſanguinem creandum, ad nutriendum, ad lotium citandum, & ad corpora diſſlanda in rectè valentibus.* Valde itaque hinc dubium videtur, quod aqua ad potum aſſidue uſitata poſſit corporum conſervationi conferre, quinimò magis contrarium facere ejus uſum, ut apud Galenum noſtrum nunc legimus, aqua vinum præſtare. neque immeritò dictum eſſe, quando aqua neque concoctionem adjuvare poſſit, quod frigida ipſa exiſtat, atque à calidis omnis coctio fiat; neque concoctorum diſtributionem, cum minime tenuiſſimarum ſit partium, difficulterque ac tarde viſcera permeet: neque ſanguinis procreationem cum ipſa fiat à calido, ſanguis enim & ipſe facultate calidus dicitur: neque nutritionem, cum ipſa non alat; neque urinarum, ſudorumque excretionem, neque corporum difflationem, quia ut nuperrime etiam dixi, tenuiſſima ſubſtantia non conſtat, qua citò facileque corporis partes penetret, atque tranſeat: Atque ſi optimam hæc facere aquam verum ſit, quid de mala dicendum erit? nonniſi peſſime conferre ipſam nobis poſſe. Quàm multos enim morbos, ſæviſſimoſque ex earum aquarum uſu oriri, in libro de prævidendis morbis a me dictum eſt. Sed cum hæc vera exiſtant, quæſo, quomodo poterit uſus illiuſce aquæ Ægyptiorum longævitati conducere? Cupio itaque hac in re me valde ancipitem tuæ ſententiæ acquieſcere, quam nunc audire expecto. GUILAND. Neque omnibus corporibus aquam improbandam, neque laudandam judico, quinimo magis credendum, atque affirmandum exiſtimo, aquæ uſum multis proficuum eſſe, & multis etiam noxium: Hinc in quibuſdam corporibus aquam vino utilitate eſſe præferendam, & in quibuſdam vinum aquæ. Calidioribus ſiquidem corporibus, cui dubium erit magis fore proficuum aquæ, quàm vini uſum. quoniam à vini potius calidita-

ditate læderentur, quàm juvarentur. Quam rem non ego, ſed Galenus tuus docet cognoſci, ac obſervari pro corporum temperaturarum, habituumque varietate oportere: quam ob cauſam, vinum damnat, tum in pueris, tum in iis, qui ſunt calidi humidique temperamenti. quibus aquam multum conferre affirmat, ipſamque pro iis ſumme laudat, ut apud ipſum in primo libro de ſanit. tuenda cap. undecimo, legitur: apud divinumque Hippocratem non minus in libro ſexto epidem. comment. 4. text. 15. his profectò verbis: Percalidos natura refrigeratione potûs æquæ quiéſcere. Et Galen. in ejus eommentario, dixit Hippocr. eam ſententiam fore intelligendam ad ſumme calidis corporibus. quod clarius explicavit in libro quinto, de ſanit. tuenda cap. 12. cum dixit: *Vinum autem frigidis ſicciſque naturis utiliſſimum eſſe, prius dictum eſt.* An vero calidis, omnibus idoneum non ſit, ſed utilior his aquæ potio ſit, ſicuti in libro de popularibus morbis, ſive Epidemion legimus, nunc exiſtimandum. Fortaſſis enim abſurdum omnino cuipiam videbitur juvenem, qui athleticus vel militaris ſit, aut etiam foſſor, meſſorve, aut arator vel denique, qui robuſtum aliquod opus exercet, aquæ tantùm potione uti: atque in hoc falli Hippocratem, cum calida temperamenta aquæ potionem poſcere, abſolute pronuntiet. Mihi vero Hippocrates non abſolutè id, ſed id naturis ſumme calidis, quæ utique propter intemperiem tales ſint, dixiſſe videtur. Et ſi quiſpiam contradixerit nobis, quòd ei non videatur aquæ potu corpora juvari poſſe, quia ipſa quamquam omnium aquarum ſit optima, multum in ventriculo moretur, fluctuetque, & tarde meet per corpus, jecurque atque lienem obſtructos vel tumefactos adaugeat, inutiliſque obſervetur ad omnem corporis evacuationem, ſcilicet ad ſputorum eductionem, alvi, urinarum, ſudorumque excretionem adjuvandam, atque non minus ad concoctionem & diſtributionem concocti alimenti, demum quòd etiam ipſa minime corpora alat: Reſpondebitur, hoc planè verum non eſſe, quoniam aquæ reperiuntur, quæ concoctionem adjuvant, non minuſque alimenti diſtributionem, citò viſcera permeantes, ſanguiniſque generationi favent, atque nutritioni, non minus, quæ adjuvant omnem

corporis evacuationem. Alpin. Quo pacto id eſſe poterit, quando aquæ facultas frigida ſit, quæ ſemper concoctionem, ſanguinis procreationem, nutritionem, quæ omnia à calore fiunt, impediet, & ſubſtantia præterea ejus craſſa ſit, difficulterque corpus permeet, qua utique evacuationes promovere poſſe non videtur, quando quidem ſi hæc præſtare debeat, neceſſarium ſit, ipſam tenuium eſſe partium, ut anguſtos meatus membrorum pervadere queat? Guiland. Aquæ optimæ reperiuntur, quæ neque inſigniter frigidæ ſunt, quæque dulces exiſtunt, quales eſſe cœleſtes Hippocr. in lib. de aëre, locis, & aquis, c. 4. memoriæ prodidit, qui de his ita ſcripſit: *Aquæ igitur leviſſimæ, & dulciſſimæ, & tenuiſſimæ, ac ſplendidiſſimæ ſunt*, Non minuſque aquæ nuper dictæ Nili fluminis clarefacta, dulces, tenuiſſimæque, ſplendidiſſimæ, atque leviſſimæ exiſtunt. Quæ ſanè omnes, præterquam quod ex dulci ſapore non valde frigidæ eſſe creduntur, ſunt etiam tenuiſſimæ, ita, ut celerrime corporis viſcera permeent. Audio etenim (quod olim, cùm Cayri moram facerem, etiam obſervavi) in ſingulis ferè corporibus ab ipſis epotis aquis ſtatim vel copioſas urinas, vel ſudores, vel per alvum dejectiones obſervari, atque in hypochondriis nullam fluctuationem ab ipſis oſtendi, loquor de iis, quæ Cayri habentur, & potantur, quando Alexandriæ aquæ conſtent ſubſtantia craſſiori, quæ peſſimæ exiſtunt, tardiſſimeque viſcera permeant. Alpin. Confirmo tuam ſententiam, atque me in omnibus corporibus obſervaſſe, citiſſime illas aquas Cayri clarefactas, vel per alvum, vel per urinam, vel ſudorem exiiſſe, non ſecus quàm ſerum lactis ac aquæ thermales facere obſervantur. Omnes advenæ, cùm Cayrum ſtatim venerint, in primis diebus ſemper, ob illiuſce aquæ potum, diarrhæam pati ſoliti ſunt. Mihi vero aquam illam per urinam, atque ſæpiſſimæ per ſudorem exire contingebat. In æſtivis caloribus nocte qualibet ſæpeſſime ob ſitim intenſiſſimam, qua omnes tunc temporis ex calore ambientis cruciantur, largiſſime ſæpiſſimeque ex ea aqua bibebam, à qua ſemper in copioſiſſimum ſudorem ſtatim erumpebam, ita ut quoties ex ea ebiberem, toties ſemper exudarem. Hyeme vero, atque aliis anni temporibus

ribus non ita calidis, non per ſudorem, ſed per alvum, atque veſicam aquam illam epotam ferè totam excernebam. Non omittam tibi narrare, me hujuſce aquæ largiſſimo potu uſum à dolore renum vehementiſſimo atque acutiſſimo ex calculis orto ſanatum fuiſſe. Porrò cum interim illo jam dicto renum dolore afflictus valde ſitirem, multa vaſa fictilia frigidæ ac puriſſimæ illiuſce aquæ plena in ferratis meis feneſtris aëri expoſita proſpiciens, uno ipſorum avidiſſime arrepto, item altero, atque mox tertio, totam aquam devoravi, quæ ad minus ſex librarum pondere fuerat. à qua aſſumpta ſomno, labore doloris defeſſus, capior, quo paulo poſt expergefactus minxi, cum multa copia aſſumptæ illiuſce aquæ quinque lapillos phaſeolorum magnitudine, quibus excretis ſtatim à dolore liber evaſi. Guiland. Perplacet exempla, ſucceſſuſque hos audiviſſe, quos utique veros eſſe judico, cum ea aqua ſit tenuiſſimarum partium, neque multum frigida, ſed potius concoctam eſſe omnes pro certò habere deberent, cum Nilus totam illam mundi partem permeet, quæ omnium orbis terrarum, ut nuper etiam dictum eſt calidiſſima eſt, atque terram habet pinguiſſimam cujuſvis frigoris expertem. Itaque cum hæc vera ſint, quiſque noſtrum poterit affirmare, epotam eam aquam poſſe optimi ſanguinis procreationem adjuvare, quæ ſummum bilioſorum illorum corporum hepatis calorem obtemperando, cauſa eſt, ut non bilis multa, ſed multus temperatus ſanguis gignatur. Juvabit non minus concocti alimenti diſtributionem, ob ejus partium tenuitatem, qua quaſcumque partes corporis penetrat; qua etiam ſubſtantiæ tenuitate minime in ventriculo, aut hypochondriis moratur, neque fluctuationem parit, neque hypochondria lædit, quinimo iecori lienique inflammato auxilio eſt. Experientâ didici, potum ejus aquæ valde conferre melancholicis ab hypochondriis effectis. Hac eademque ratione ad omnes excrementorum excretiones utilis eſt. An vero nutriat, quando latiſſima ſit apud omnes medicos ſententia, à quam non nutrire, videtur & ipſa ad nutritionem inutilis cenſenda. Sed Ægyptii affirmant contrarium verum eſſe, quia hi omnes aquam illam totam in ſanguinem in noſtris corporibus

mu-

mutari arbitrantur, ac pro certo habent. Vimque gignendi ſanguinem ajunt obtinuiſſe, poſtquàm, Dei conceſſione, à Moſe aquæ in ſanguinem olim fuere mutatæ. Confirmantque hanc ſententiam, quòd cernant corpora pleraque illorum incolarum habitu bene carnoſo, copioſi temperatique ſanguinis obſervari. Non minuſque etiam quod ipſa dulcis exiſtat. quem ſaporem, rem haud planè à nutritione alienam ſignificare dicunt. Sed utcunque ſit, hoc unum ſcimus, ejus aquæ uſu corpora illa optime, ac ſalubriter vivere. & ob id falſam judico Galeni ſententiam, qua omnem aquam noxiam potius, quàm utilem affirmat. ſi enim hoc verum eſſet, quomodo tot infinitarum regionum populi vivere utique poſſent, continue aquam potantes. Infiniti propemodum ſunt populi tum in Africa, tum in Aſia aquam ſolam potantes, qui rectiſſime valent, corporaque habent boni tum ſucci, tum habitus. præſertimque in locis calidis, atque in ſumme calidis corporibus aquæ uſus eſt ſaluberrimus. Sed non modo in ſanis, at in ægrotis non minus aquæ uſus adprime opportunus ac utilis óbſervatur. Cum omnibus ferè ægrotis aqua in potu pro vino ſubſtituatur. Plures exiſtunt, qui vini uſu omnino omiſſo, aquam frequentantes in potu, à podagra, aliiſque multis morbis præſervati ſunt. Quamobrem, ut ex dictis concluſionem colligam: dico aquam optimam dari, quæ neque admodum frigida eſt, & quæ tenuiſſima ſubſtantia conſtat, quæque utiliſſima erit corporibus calido temperamento refertis, veluti frigidis naturis eadem ratione incommoda, atque inutilis erit judicanda, in quibus ipſum vinum præferendum abſque dubio erit. At de his ſatis. Ad alia enim à te tranſeundum puto, fortaſſeque his hactenus auditis non foret inutile, neque noſtro ordini averſum, te nunc eorum corporum morbos recenſere, quando nunc aëris, ipſorumque temperamenta, & victus rationem omnem audierimus. ALPIN. Rectè ſuades, atque nunc tibi morem geram. Quoniam hæc, priuſquam præſidia apud eam gentem uſitata tibi narrare incipiam, nos noviſſe utile erit.

CAP.

## CAP. XIII.

### *De morbis partriciis, & epidemicis, qui apud Ægyptios obſervantur*

### GUILANDINUS.

ÆGYPTIORUM corpora haud multis malis eſſe obnoxia cogito, quod ipſa aëre fruantur ſicciore, qui pauciorum morborum ſolet eſſe canſa. Atque etiam quia eos populos ſobrie vivere nuper dictum eſt, quem victum corpora ab ægritudinibus præſervare quiſque noſtrum non ignorat. ALPIN. Aliter evenire audies, quando ad gignendos morbos plures aliæ etiam concurrant cauſæ, neque omnes ejus regionis habitatores æque vivere poſſunt. Multi enim inopia coacti, quorum numerus ibi ferè eſt infinitus, peſſimis tum cibis, tum turbida ac putrida aqua ali coguntur. Multi etiam ibi reperiuntur, qui vino utuntur, non modo ex Chriſtianis & Hebræis, qui omnes vinum ut noſtri affectant, ſed ex Turcis etiam aliqui, præſertimque milites, etſi lege interdictus apud omnes Mahometi aſſeclas vini uſus ſit, non tamen à vino temperare poſſunt, ſed longe Germanis, Poloniſque magis vino & ebrietatibus operam dant. Cayri quotidie Turcæ vino ebrios ab aſinis domos ſuas portari conſpiciuntur. Vinis vero plerique utuntur è Creta inſula, Rhodo, Cypro, aſportatis, quæ omnium ſunt generoſiſſima: omnia enim alia ex Italia, Corcyro, Zacyntho, advecta, præ nimio cœli calore, acida fiunt. Quamobrem cum ibi multi malo victu utantur, aëriſque inæqualitate, & venere immoderata, non erit mirum, eos quoque in multos morbos incidere. Proinde non expers morborum Ægyptus erit, ſed quamplurimis, diverſiſque ac periculoſis morbis ſemper ſcatebit. GUILAND. Suntne apud ipſos multi morbi proproprii, vel patrii, quos endemicos Græci appellant? ALPIN. Multi ſanè, quales ſunt oculorum lippitudines, quas Græci ophtalmias appellant, lepræ, Elephantiaſes, phrenitides exi-

tioſiſſimæ, homines paucis horis perdentes, variolæ peſtilentes in pueris, articulorum dolores, omniaque genera morborum quæ à capitis defluxu ad inferas partes excitantur, herniæ, renum & veſicæ calculi, phthiſes, obſtructiones, hepatis lieniſque & ſtomachi imbecillitates, febres tertianæ, ardentes, hecticæ & peſtilentes GUILAND. Non arbitror patrios iis ſolum eos morbos dici debere, cùm apud alias quoque nationes ipſi obſerventur, namque in multis aliis locis omnes nuper dicti morbi obſerventur. ALPIN. Verum eſt eoſdem morbos aliis non minus populis eſſe infeſtos, ſed non perpetuo tempore, ut apud Ægyptios. Apud multos enim populos opthalmias vagari aliquibus temporibus reperiemus, non tamen ſemper. Semper etiam homines hernioſi, leproſi, atque elephantiaſi correpti, eaque præſertim, qua pedes fere pedibus elephantum omnino ſimiles habere cernuntur. Neque exitioſiſſimas phrenitides paucis horis ægrotos perdentes ubique reperiri arbitror. quando Gal. in lib. 3. epidem dixerit, nunquam vidiſſe ſe phreneticos mortuos ante tertiam diem. nihilominus tribus, quatuorque horis multos periiſſe phreneticos vidi, quorum caſus poſterius ſuis locis tibi referam; neque ſingulis annis, ut alibi fit, bis in anno in pueros peſtiferæ variolæ vagantur, neque continue arthritici quamplurimi homines, quales ibi exiſtunt, reperiuntur, neque renum veſicæque à calculis læſi, neque ſingulis annis certo tempore vagantur febres peſtilentes exitioſæ plurimæ, neque innumera hominum caterva à cruditatibus ſtomachi ubique affligitur, ac vexatur. Ob quam morborum nuper dictorum familiaritatem, ni Ægypto proprios vel patrios eos appellare volueris, dices tamen iis populis ipſos eſſe admodum familiares. GUILAND. Vaganturne per eam urbem Cayri iſti morbi quandoque epidemici? ALPIN. Ophtalmiæ, febres peſtilentes, nuper dictæque phrenitides, variolæque peſtiferæ epidemicæ graſſantur. Alii vero morbi ſparſim per urbem obſervantur, quos ſporades Græci nuncupant, quod ſparſim, & non gregatim homines pervadant. Etſi omnes, quaſi endemii etiam ſint, ſive patrii, quia cæteris aliis morbis nuper dictis iis populis ſint magis familiares. GUILAND. Cupio te

nunc

nunc illos rurſum mihi clarius dicere, atque ipſorum cauſas. Quibus à te narratis, de peſte, quæ ſæpe eam gentem infeſtat ſæviſſimeque devaſtare ſolet, te ſermonem habiturum cupio, quod illud morbi genus, quo tempore in regione moram traxiſti, Cayrum invaſiſſe, multumque devaſtaſſe, audierim: obquam rem te de eo morbo admodum ſcite ac diſtinćte loqui poſſe judico. De patriis itaque, vel de iis populis familiaribus morbis, qui tum epidemice, tum ſparſim graſſari per eam urbem ſolent, nunc ſi videtur, ediſſere.

## CAP. XIV.

### *De morbis Ægyptiis familiaribus, deque ipſorum cauſis.*

### ALPINUS.

ALEXANDRIÆ Autumno graſſantur febres peſtilentes multæ, lethales, quæ ferè quamplurimos invadunt, cum urinis pulſibuſque & colore febrili uſque adeò parum à naturali ſtatu mutatis, ut ſæpe medicos atque ægrotos decipiant. His vero notis pleræque dignoſcuntur: in principio enim vomitus multi bilioſi, ac virulenti obſervantur, à quibus cibum aſſumptum continere nequeunt, aſſiduiſque corporis agitationibus inquietudinibuſque vexantur, ſtomachique angore anguntur. In pleriſque etiam obſervantur multæ ſymptomaticæ dejećtiones, liquidæ, biloſæ, variæ, admodum ægre olentes, ſive fœtentes. Plures cibum abhorrent, neque valde ſitiunt, et linguæ ipſis ſint ſiccæ, aſperæ, & nigræ. Incolæ quàm advenæ difficilius corripiuntur, atque ab his intereunt. De harum febrium cauſis illiuſce urbis medicorum variæ ſententiæ obſervantur. Si quidem aliqui ipſorum ajunt, à ventis naſci, qui à proximo urbis lacu ſpirant. Prope ipſam à meridie poſitus eſt Mareotis lacus, circuitus ut audio, tercentum mille paſſuum. Hi etenim venti vim habent putredines inſignes gignendi, quod putres veneficoſque è lacu halitus Alexandriæ populis ipſi inducant.

cant. Aliqui earum peſtiferarum febrium ortum referunt potius in putridos, veneficoſque halitus, qui à ſubterraneis urbis locis, cavitatibuſve paluſtri ac peſſima aqua plenis aëri tunc permiſcentur. Urbs etenim hæc tota ſuper columnas marmoreas numero fermè infinitas poſita, & fundata eſt, ita, ut fundamenta hæ ſolum omnium domorum ſint, quæ univerſam omnium ædium baſim ſubſtentant. Ideo loca urbis omnia ſubterranea, inania, ac pervia exiſtunt, ut affirmant aliqui: quod ea cauſa factum fuit, ne urbs terræ motibus foret obnoxia: vel aliis ita putantibus, ut aquam à Nilo flumine per rivum in urbem manantem populus copioſiſſimam in ſubterraneis illis magnis cavitatibus ad uſum per annum conſervaret Singulis annis perauɛti fluminis illius rivus, Caleg vocatus, in eas urbis cavitates copioſiſſimam aquam evomit, quæ ſequenti æſtate ferè tota abſumitur, pauciſſimaque remanet, quæ cœnoſa, paluſtriſque reddita, corrumpitur, veneficaque evadit, ex qua tunc multi vapores ſurſum elevati aërem inficiunt, qui peſtiferarum illarum febrium cauſa exiſtit. Quod neque credendum eſt, quia eo tempore ad paucam eam paluſtrem aquam corruptam multa nova ex rivo nuper dicto tunc aucti fluminis accedit, atque ei permiſcetur, quæ utique antiquæ vitium, malamque qualitatem corrigit. Quamobrem veriorem cauſam illarum febrium eſſe autumo, ut multi alii quoque confirmant, uſum ejuſdem nuper dictæ antiquæ aquæ in potu & cibis. Quæ ſanè quouſque novæ confluxæ aquæ, qua ipſi ad cibum & potum tunc uti incipiunt, permiſta remanet, antiquaque rectè non reſidet, neque ab ipſa novo illuc confluxu rectè expurgatur, ſemper uſum ſuſpectum ad eos ſævos morbos reddit. Ideo antiqua aqua paluſtris ac putrefacta novæ permiſta, ad potum & cibum uſitata inſignes parit in corporibus putredines, à quibus eæ peſtilentes febres facile fiunt. Hyeme oculorum lippitudines ibi multæ vagantur. Plurimaſque Cayri eaſdemque per omnia anni tempora homines invadere ob nitroſum pulverem, qui continuè oculos habitantium mordicat, & calefacit, obſervatur, longè maximeque in æſtatis prima parte, quo tempore calor ambientis aëris ſummè calidi oculos inflammat, taliumque morbo-

borum numerum auget. Sparſim vero urbem toto anno hæ oculorum inflammationes vagantur; atque epidemicæ plurimæ in prima æſtatis parte calidiſſima, inæqualiſſimaque ob vehementiſſimum Meridionalium ventorum calorem, atque inflammatarum arenarum copiam, quæ ab iiſdem ventis aſportantur. Eo enim anni tempore è centum hominibus quinquaginta ſaltem lippientes obſervantur. Multi præſervantur ad his inflammationibus oculorum ſæpius in die algidâ aquâ large oculis lavatis, vel roſacea, vel aliqua ſtillatitia, vel Nili fluminis clarefacta. Eodem etiam tempore vagantur ibi epidemicæ febres piſtilentes multæ, atque ille apud eam gentem horrendiſſimus morbus, Dem el muja ab iis appellatus, qui pauciſſimis hortis hominem perdit: Cujus morbi exemplum, quod apud nos novus ſit morbus, tibi ſubjungere optimum eſſe puto. Erat enim Gayri Paris Chriſtianus omnibus Venetis mercatoribus valde familiaris, annos natus quinquaginta, temperamento bolioſo & habitu gracili, qui una die febre ephemera, cum capitis dolore correptus, ſudavit toto corpore multum, excepto capite, quod nihil ſudavit, & febre integrè eſt judicatus. Dolor tamen capitis remanſit citra febrem: mane ſurrexit, ſolitaque munia obiens illa die, circa finem dolore perſeverante, in angulo dextri oculi rubor cum parvo tumore apparuit ſine dolore. Noctem præ ſolito dolore inquietam duxit, rubor tumorque oculi evanuit, diſparuitque; tamen erat immunis omnino à febre, nulliſque aliis ſymptomatis, quàm à nuper dicto dolore ipſe conflictabatur abſque ullo calore febrili: circa meridiem ab aſſumpto cibo dolor perauctus eſt, cœpit febrire, fereque continuò vomuit cum cibo multa virulenta, voceque defecit articulata, valde gemebat, non audiebat, non cognoſcebat, manuum phrenetica geſticulatio, floccos carpebat, feſtucaſque colligebat. Reſpiratio magna, inæqualis, rara per intervallum edita. Pulſus inæqualiſſimi, duriſſimi: Hypochondria in principio mollia, mox valde tenſa. Extrema omnia frigida, minimeque recaleſcentia, ſtertebat, conuulſus eſt, atque ſubibitò obiit. Tempus, quo febriit ante exitium, non exceſſit duarum horarum ſpatium. Plurimi ſunt, qui hilariter cœnan-

tes inſtar apoplecticorum moriuntur, phreneticorum etiam notis. Notæ vero humorum cerebrum lædentium miſtæ ſunt ex his, quæ tum pituitam, tum ſanguinem, vel bilem ſignificant. Omneſque ſimul ſignificare videntur cerebrum ejuſque membranas invaſiſſe, tum calidos humores, tum frigidos, eſſeque ex his factum apoſtema. Quam ſanè affectionem miſtam ex lethargo & phrenitide judicare poſſumus, illamque eſſe, quam Græci Thiphomaniam appellant. Quod & nomen non minus Arabicum, quo hunc morbum nominant, explicare videtur. Nam ipſi hunc morbum appellant Dem el muja. Dem enim Arabica lingua ſanguinem denotat, & muja, aquam, quaſi morbum dixerint ex ſanguine & aqua genitum. His humoribus conjungitur inſignis putredo ac venefica qualitas, quæ ſubitanei atque celerrimi exitii eſt cauſa. GUILAND. Neque mirum videtur mihi in hoc anni tempore, quod eſt prima æſtatis pars, fieri hujuſmodi cerebri inflammationes, ex illis humoribus pituitoſis ac bilioſis, vel ex ſanguine, atque ipſas ſequi etiam exitium quam citiſſime. Nam cui medico erit dubium, primæ illiuſce æſtatis partis conſtitutionem auſtrinam, ſummè calidam potuiſſe ſubvehere à toto corpore in cerebrum maximam
Com. 2. partem humorum, in illis corporibus exuperantium? Quo ſanè
in text. 73. modo Gal. in lib. 1. epidem, multos phreneticos factos fuiſſe narravit ex bile, ab auſtrina conſtitutione in caput ſublata. Proprium eſſe videtur auſtrinorum ventorum ſubvehere ad ca-
Aphor. 5. put humores, atque ipſum lædere. ut Hippoc. in lib. 3 Aphoriſm. docuit, cum inquit: *Auſtrini flatus caput gravantes, ſenſuſque habetantes, & reliqua.* Cum itaque in illa æſtatis parte vigeant hujuſmodi venti calidiſſimi, mirum non erit, ſi capita illorum habitantium quàm maxime lædantur, ab eoque calore inflammentur, multiſque ab ipſo calore in caput ſublatis vaporibus, humoribuſque à toto corpore in caput à colore, veluti à cucurbitula attractis, atque inſigniter putrefactis ab immodica ambientis aëris caliditate. Exitium etiam tam cito illos ſequi, non à copia illorum humorum, ſed à venefica qualitate, ab intenſiſſima putredine genita, ut Gal. in phrenetico ab Hippoc. in lib. 3. epidem. deſcripto tribus diebus mortuo accidiſſe, me-

memoriæ prodidit. Illiuſce vero urbis habitatorum corpora ſuccis pituitoſis, & multo ſanguine, atque amara bile abundare à te ſuperius dictum eſt. Sed hæc obiter dicta à me ſint; tu vero, ne vacuum tempus demus, perge reliqua mihi enarrare.

ALPIN. Rectè ſanè dixiſti, ex illa primæ æſtatis conſtitutione auſtrina ſumme calida, inæquali, atque ab eorum humorum exuperantia fieri eas cerebri lethaliſſimas inflammationes, in quibus fit paucis horis exitium, ob intenſiſſimam putredinem illorum humorum, cerebrum ejuſque membranas peſſime oblædentem, ita, ut ſubitò virtus animalis extinguatur, atque cum ea vitalis, continuò communicata cordi à cerebro læſione. Singulis annis ſemel Ægyptii hoc malo conflictantur. Aliquibus annis plus, ubi plus à Campſinis ventis moleſtantur, atque ubi minus ii perflant, minus etiam id morbi genus ipſi patiuntur, quo innumeri ſemper intereunt. Eodem etiam tempore graſſantur in pueris plurimæ variolæ peſtiferæ, contagioſæ, quæ oriuntur à veneficis vaporibus in aërem tunc à putrida aqua rivi fluminis, Caleg vocati, ſublatis. Singulis etenim annis aucto eo flumine ad altitudinem decem & octo cubitorum, aqua ab ipſo in rivum Caleg vocatum ingreſſa, perque ipſum tranſiens, totam urbem permeat, fluitque ſemper per ipſam à tempore, quo Nilum nuper dicta altitudine auctum eſſe dixi, quouſque flumen ipſum creſcere deſiit, quæ, finito augmento, fluminis, in alveo Caleg remanet, pauloque poſt ſtagnans facta, putreſcit, viridiſque primo cernitur & mox nigra, admodumque fœtida apparet. Cujus putredo contracta in ipſa (quando fluminis augmentum terminetur menſe Octobri, vel ad ſummum Novembri, & Junio rurſum menſe augeri incipiat) adveniente prima æſtatis parte, adhuc magis augetur, intenſeque putris reddita, halitus in aërem exhalet corruptos valdeque veneficos, à quibus aër infectus, pueros omnes partem rivo proximam habitantes in peſtilentes eos morbos incidere eſt cauſa. Quam ob cauſam omnes civitatis habitatores illam rivi partem habitare timentes, ne ipſorum filii ab illo venefico aëre moriantur. aliò confugiunt. Hæcque ſunt mala, quæ Cayri epidemice graſſari ſolent. Multa alia exiſtunt, quæ ſparſim multos offendunt, quales ſunt lepræ,

præ, elephantiaſis, herniæ, arthiritis, catharri maligni ad pulmones, phthiſes, in viſcerum obſtructiones, inflammationes, & ſcirrhoſi tumores, ſtomachi cruditates, flatus hypochondriaci, melancholiæ, renum veſicæque calculi. Lepra atque Græcorum elephantiaſis in multis pauperibus ſemper cernitur. Qui inopia aquam cœnoſam, ſemiputridamque epotant, atque pro victu carnem bubulam, camelorumque & piſces ſalitos ſemiputres, in ſtagniſque & lacubus, captos. caſeumque quendam immodicè ſalitum ac ſemiputrem (eſt enim is omnium ciborum pauperibus familiariſſimus, tum quia ob inſignem ſalſedinem illorum appetitui ſit acceptiſſimus, tum etiam, quia ibi viliſſimo pretio venditur. Hunc Gibnehalon appellant.) Ex quo victu ipſorum corpora multum ſanguinis fæculenti, peruſtæque flavæ bilis, & pituitæ craſſæ, viſcidæ, ſalſuginoſæ generare ac coacervare, neceſſarium eſt. A quibus humoribus, ad cutim protruſis eos excitari morbos cuilibet noſtrum manifeſtum eſt. Vagatur & altera elephantiaſis, ut nuper etiam dictum eſt, qua correpti, pedes multis magnis duris tumoribus tumidos, magnos, atque deformes habent, elephantium maxime ſimiles, cruribus tumefactis etiam conjunctos; quibus tamen æger nihil doloris ſentit, ſed ad ambulandum ineptus redditur. Multos vidi ipſorum, qui ipſi pedibus calceorum loco ligneis capſulis indutis, incedebant paſſu lentiſſimo ac difficillimo. Hoc morbo correpti multi Cayri cernuntur, ex malo victu, quem affectant, ſcilicet ex piſcium Nili, ac multorum lacuum ſtagnantium, ſemiputridarumque aquarum, & colocaſſiæ radicum, bammiæ, melochiæ olerum uſu, quo multam pituitam craſſam, lentamque gignunt, quæ ad pedes defluxa illos ſcirrhoſos ædæmatoſoſque tumores pedibus creat. Non minuſque multas carnoſas hernias parit. Atque ab hac eademque cauſa innumeris fieri viſcerum obſtructiones, tumoreſq. ſcirrhoſos arbitor. Herniarum omnes ſpecies ibi ſemper vagantur, plurimæque magnæ anguriæ magnitudine cernuntur. Autumant, aquoſas oriri ab uſu aſſiduo illarum anguriarum, quas appellant Batechel muja. Hæc auguriarum ſpecies intra corticem, non pulpam, ut in aliis viſitur, ſed ſolam aquam dul-

dulciſſimam cum ſeminibns obtinet: quarum aquam, (cui in illis caloribus omnes libentiſſime indulgent, (aſſidue ebibitam ad teſtes deſcendere ob partium ipſius tenuitatem, atque ſcrotum implere ajunt. Ex flatibus non minus multæ herniæ obſervantur ab imbecillo calore ſtamachi, ab uſuque leguminum, radicum, fructuumque, à quibus multi craſſiores flatus ortum habent, qui multis hypochondria quoque tendunt, atque alias etiam partes. Ab uſu aſſiduo aquæ in potu, & crudorum frigidorumque fructuum, olerumque, & ab immodica venere, uſuque frequenti dulcium balneorum & ab intenſis cœli caloribus pleriſque ſtomachus frigidior redditur. Hincque multi illorum aſſiduas ſtomachi cruditates patiuntur, quorum numerus ferè infinitus Cayri conſpicitur. Ego enim cum in via (ut apud ipſos conſuetudo eſt, ut ſemper cum obviàm alicui medico fiunt, ipſi brachium porrigant, ut pulſus tangat, etſi ſani omnino etiam ſit, atque ab eo intelligant ipſorum ſtatum vel ſanum vel ægrotum,) mihi aliquando neceſſe fuiſſet cujuſpiam Turcæ Domini pulſus tangere, ut ei corporis ſtatum detegerem, hac arte ſum uſus, ut (quando omnes ferè ejus loci homines opinentur, pulſus obſervatione medicum poſſe, uſque etiam annularem, ut ita dicam, digitum manus, dolentem dignoſcere.) ſemper inſpecta facie naturalem ſuum colorem, habitum, figuram habente, poſtquam pulſum rectè tetigiſſem, dicerem illum rectè ſe habere quoad ſanitatem univerſi corporis, ſed tantum omnium ipſius corporis partium ſtomachum non omnino ſanum, ſed ſæpe à cruditatibus læſum, qui frigidior imbecilliorque ſit, nequeatque cibos omnes probe concoquere; ſemperque hac arte uſus plurimum honorem apud ipſos ſum conſecutus, qui me optimum medicum inde crederent. Arthritici multi ibi exiſtunt, ex multis humoribus crudis, quibus ob victum pleraque corpora abundare ſuperius dictum eſt, & à multis etiam frigidis ſtatibus in articulos decumbentibus, à capitiſque deſtillationibus creberrime ab inæqualiſſimoque aëre caput maxime lædente, excitatis, ad articulos delabentibus. A qua vero cauſa multi habeant articulos, debiles atque ad ſuſcipiendos humores faciles, non eſt ſcitu difficile, quando illi utuntur im-

modica venere, & frequentiſſime dulcibus balneis, quæ quanto articulos debilitent, atque laxent, tu recte noſti. Accedit etiam multa hyemalis aëris frigiditas, quæ ob tenuiſſimum, ſiccumque, inæqualemque aërem vehementior quàm ſit, à corporibus ſentitur. Demum conſueſcunt etiam multi veſtibus iiſdem tantum uti hyeme, quibus utebantur per æſtatem, & multi nudis pedibus toto hyeme ambulant; quæ omnia articulos lædere ſcimus. Renes permulti contraxerunt ex immodica venere valde calidos, ac debiles, in quibus cum multa confluat ea, qua corpora illa ſcatent, cruditatum copia, non erit mirum eos ſæpiſſime calculis conflictari, & ulcera etiam in iis pati. Calculorum etiam maxima iis occaſio eſſe ſolet, aqua non rectè purgata, clarefactaque, quæ quia diuretica eſt, facile ad renes permeat, terramque ſecum ducit, quæ amplius calore ſiccata, in calculos mutatur. Hique morbi omnes exiſtunt, qui ſparſim per urbem illam ſemper vagantur. Guiland. Scio etiam ibi multos melancholicos reperiri, quos ſanctos multi eſſe autumant. Alpin. Innumeri ii propemodum exiſtunt, qui vitam agere omnino à peccatis immunem profitentur, ſanctitatemque habere exiſtimantur, atque vivunt in locis aſperis Deo ſervientes, moreque Heremitarum. Hique in ſummo honore, apud omnes Mahometis aſſeclas habentur. Divitias ſpernunt, & mundi voluptates ac commoda fugiunt; abhorrentes vitam inhoneſtam, cœlibemque amplexantes. Humaniſſime cum omnibus cujuſvis religionis ſe gerunt, errores omnes acriter accuſantes, mundumque homini eſſe miſeriam prædicant. Mœſti ſemper exiſtunt; à Deo multa ſupplicia ob mortalium flagitia expectantes. Habent corpora nigra, ſqualida, gracillima mumiarum arefactis corporibus omnino ſimilia. Quæ melancholica exiſtunt, conſumpto calore naturali ob immodicum ambientis aëris calorem, & tenuiſſimum victum, aſſiduas vigilias ac labores multos. Sed his nunc finem imponamus, quando opportunum tempus ſit, de peſte illorum locorum nunc loqui, de qua nihil in narrandis morbis Ægyptiorum meminimus. Sæpe tamen ipſa ea loca, Cayrumque maxime atrociſſime devaſtat, ipſorumque gentem depaſcitur.

Cap.

## CAP. XV.

### *De peſte, quæ ſæpe loca Ægypti invadit, atque atrociſſime devaſtat.*

### GUILANDINUS.

ÆGYPTIORUM loca ſæpiſſime à peſte atrociter devaſtari multis notum eſt, atque illam ex proximis finitimiſque locis ſæpe in illa aſportari, in ipſiſque ſponte rariſſime naſci, neque multos latet. Sed tu de ipſa verius, qui ipſam rectè obſervaſti, loquere. ALPIN. Illiuſce gentis peſtem aliis omnibus ſæviorem, atrocioremque eſſe exiſtimo, pro erronea Turcarum Ægyptiorumque credulitate, qua omnes pro certo habent, ſingulis à Deo præconſtitutum eſſe exitium, exitiique qualitatem, ita, ut in bello morituros nullo pacto à peſte interimi poſſe arbitrentur. Et ſolum peſte eos mori poſſe, quibus quidem ab ipſa exitium præfixum ſit. Qua vana credulitate omnem peſtiferum morbum negligunt; atque parvi faciunt, nihilque ab eo timent, pro certo credentes, ſi illis vitam eo morbo finiendam deſtinatum ſit, quin ab eo moriantur, nullo pacto ipſos poſſe effugere, neque in bello, neque in mari, neque alio modo mortem ſibi pertimeſcendam. Atque hinc peſte Ægyptum depopulante, urbem Cayrum ſæviſſime depaſcente, nemo ipſorum in ipſa fugam arripit, neque una cum peſte infectis verſari timet, neque veſtibus, aliiſque laneis, lineiſque pannis peſtis contagio infectis uti abhorret. Veſtes enim, aliaque peſte interemptorum defunctorumque ſuppellectilia, ſubito in emporiis publice venduntur, quod magis mirum videtur quiſque ea emit abſque ullo peſtilentis contagii timore. Quæ ſanè lues nullo pacto ab iis formidata, cum de ipſius contagio nulla habeatur ratio apud ipſos, fit vehementiſſima, ſæviſſimaque per univerſam urbem citiſſime expanditur, & diſſeminatur, tantamque tyrannidem in ipſos ac ſtragem exercet, ejus contagio ob hominum hac in re negligentiam, in plurimos pro-

pagato, mirumque etiam in modum aucto, ut Cayri anno à Virginis Beatiſſimæ partu 1580. ſex ſeptemve tantum menſium ſpatio quingenta millia hominum, ut audio, peſte perierint. Hoc boni habent ibi peſte infecti, atque ægroti, quod à nullis deſeruntur, quinimò medici omnes peſte correptis libere, non ſecus, quàm aliis in omnibus morbis, medentur, citraque ullum timorem aſtantes ipſorum curam habent, non ſecus quàm ægrotis ab alio ſalutari, minimeque contagioſo morbo facerent. Guiland. Mira loqueris, at ſuæ ignorantiæ à peſte exitium ſubſequens illis pœna fit, ac ſupplicium. Quid ſtultius eſſe poteſt, quàm oculis cernere peſtilenti contagio plurimos interemptos eſſe, atque non credere, vel dubitare ſaltem ſibi ipſis idem contingere poſſe, quaſi credere nequeant ignem omnia combuſtilia comburere poſſe? Certe ſtultiſſima ea eſt opinio, planeque erronea ac falſa, quam non immeritò apud eam ſtultiſſimam gentem multorum hominum ſtrages, ac ruina ſequitur. Quid etenim, nonne naturæ etiam repugnat, dicere quoslibet homines ab excellenti aliqua putredine affici non poſſe, quam non æque omnes corripi ab ea poſſint, prædeſtinatamque cuilibet exitii qualitatem eſſe, liberaque non eſſe animalia, at ad particularem moriendi modum prædeſtinata? Ceterum hæc omittamus, quando hujus diſputationis hîc non ſit locus. Nunc ex te audire cupio, illorum locorum peſtilentia à qua cauſa fiat, atque utrum ab aëris putridi inſpiratione ex ſtagnantibus lacubus, vel ab inſigni, vehementiſſimoque calore corpora, ob pravum victum peſſimis multis humoribus ſcatentia inſigniter putreſcant, vel demum ſi peſtis aliunde contagio illuc potius aſportetur. Alpin. Plerumque peſtilens contagium in Ægytum ex multis locis peſte infectis aſportari ſolet. Rariſſimeque ab aëris vitio peſtis illa naſcitur. Et hoc nonniſi ubi Nilus immodice ea loca inundat. Aqua etenim longiori tempore terram occupante fit, ut univerſum illud ſolum lacus invadit paluſtris ac ſtagnans, qui accedente primæ æſtatis calore auſtrino, multo inſigniorem recipit putredinem. Vel aër illorum locorum ſuapte natura calidus, & ſiccus, fluminis larga Nili inundatione perſeverante, immodice humidus redditur;

tur; quod aëris temperamentum ad gignendam peſtilentiam eſſe valde opportunum ac facile Gal. in 1. lib. de temp. memoriæ prodidit. Ab halitibus vero putridis ac corruptis paluſtrium locorum Ægypti, lacuumque aquarum corruptarum ſingulis annis ſi multi eſſent, quales ſequi ſolent immodicas fluminis inundationes aliquando ibi factas, peſtis annis ſingulis ibi ex aëre fieret. Ex caliditate aëris immodica peſtilentiam obortam fuiſſe nemo hactenus ibi vidit. Obſervatum vero eſt, ab inſigni aëris calore potius omne peſtiferum contagium extinctum eſſe, nunquam tamen à calore primæ æſtatis, quòd ſua inæqualitate, atque calore ſuffocante potius putrefactionis generationi non parum faveat. Plerumque igitur id genus morbi ibi contagio ex aliis locis aſportari ſolet, rariſſimeque ab aëris vitio. Neque minus verum eſt, per ſeptennium ibi peſtem naſci, vel reviviſcere. Ex tribus vero locis præcipuè peſtis in Ægyptum accedit, ſcilicet ex Græcia, Syria, & Barbaria. Quæ autem ex Græciæ, & Syriæ locis illuc vehitur, Cayrumque corripit, ſatis mitis, & minus fera pauciores homines interimere obſervatur, brevique tempore tollitur: Sed quæ à Barbaricis locis in eam urbem invehitur, omnium eſt pernicioſiſſima, ſæviſſima, longiſſima, plurimos populos deſpaſcens, atque ſtragem multam ipſis inferens. Qualis fuit, quæ Cayrum, ut ſuperius etiam dictum eſt, anno 1580. ex Barbaricis locis menſe Octobri invaſit, ſæviitque per univerſam eam urbem atrociſſime, tantamque ſtragem intulit, ut ad Junium uſque menſem (quo tempore peſtis contagium, qualecumque ſit, deſinere conſuevit) periiſſe dicantur ad minus quingenta millia hominum. GUILAND. Forſitan id contingere majoris minoriſquè illorum locorum ab urbe iſta diſtantiæ ratione dicendum erit. Quando Barbarica ea regio Ægypto, tum procontigua ſit. Aliaque loca Græciæ & Syriæ, præter quod diſtant, etiam ipſa ab Ægypto, mari quoque ſeparata ſunt. ALPIN. Minime profectò hujuſce rei cauſa eſt, locorum ab urbe Cayro diſtantia, quoniam etſi urbs Bizantium, à qua ſæpiſſime peſte infecta peſtilens contagium aſportatur, ab ipſa Ægypto multum diſtet, tamen ut tu probe noſti, Syria multo propin-

 quior

quior eſt, quàm Bizantium. Cur itaque contagium peſtilens Cayrum ex Barbaricis locis aſportatum diu affligtet, miſerrimeque urbem hanc diruat, & devaſtet, ejuſque omnem ferè populum depaſcatur, atque ex aliis locis nuper dictis aſportatum minus ſævire ſit obſervatum, breviuſque tollatur, & minorem ſtragem pariat, ex te nunc audire deſidero, qui altioris in abditis naturæ arcanis contemplationis te noverim. Ideo iſtuc ex te diſcere expecto.

## Cap. XVI.

*Cur peſtis contagium ex locis Barbariæ Cayrum importatum, diuturnius ſit, & magis exitioſum experiatur eo, quod ex aliis omnibus locis provenire obſervatur.*

## GUILANDINUS.

Ne videar nunc propoſitæ dubitationis laborem velle ſubterfugere, etſi rectius ad te is ſermo attineret, qui in iis locis longiorem quàm ego moram traxeris, nihilominus non deſinam tibi ſatisfacere, de propoſiti dubii cauſa meam ſententiam in medium proferendo. Cauſam itaque cur peſtis ex Barbaria illuc profecta, ſit diuturnior, ſævior & exitioſior, exiſtimo eſſe præſtantiam excellentiamve peſtilentis illiuſce putredinis, cujus contagium veſtibus lineis, laneiſque multis pannis (quas merces plurimi ab iis locis Cayrum ſæpe advehunt) aſportatum, ob eam cauſam excellentius eſſe, atque citius eos invadere, multamque in ipſos tyrannidem exercere, diutiuſque vigere poſſe ratio expoſtulat. Putredine igitur peſtis Barbariæ locorum exiſtente præſtantiori, venenoſum ipſius contagium aſportatum validius ſæviuſque eos populos invadere, quàm ex locis Græciæ Syriæque illuc profectum, quodque fiat in his locis peſtis, ejuſque venenum non ita excellens, non eſt mirum. Alpin. Veram ſanè nuper propoſiti dubii cauſam dictam ex te

te fuiſſe exiſtimo, ſed nondum tamen dubium explicatum ac reſolutum eſſe videtur. Quando non demonſtraveris quam ob cauſam peſtis Barbaricæ putredo vehementior ſit dicenda ac judicanda illâ, quæ in Græciæ, Syriæque locis obſervatur. Multoque magis, quod facile aliquis dicere poſſet, Græciæ & Syriæ, peſtis putredinem Barbaricâ majorem potius judicandam, quoniam utræque hæ regiones aëre utuntur minus calido, multoque humidiore. Quem quidem aërem ad excitandam peſtilentiam eſſe aptiſſimum & facillimum Gal. in 1. lib. de temp. & in primo de diff. feb. teſtatum reliquit. Hinc Ariſtoteles in libro 3. de hiſt, animal. dixit, corpora ſanguinea, quòd aliis ſint temperatiora, facilius computreſcere. & Hipp. in 3. lib. aphoriſm. docuit putredines humidis temporibus & pluvioſis fieri, atque videri. Quas quidem aëris qnalitates magis habere Græciam, atque Syriam, quàm Barbariam multi noverunt. Nam ſcimus, Barbariæ aërem cœli calidiſſimi ratione calidiſſimum, atque ſicciſſimum eſſe, & Græciæ, Syriæque illo temperatiorem, atque humidum magis, ob id eorum locorum corpora ad putreſcendum erunt valde apta, & facilia, atque ipſorum non minus putredo illâ erit excellentior, quæ in Barbariæ corporibus excitatur. quia ut etiam nuper dictum eſt, ſicciora illa ſunt corpora, minuſque ad putreſcendum apta, quinimò magis ut putreſcant valde difficilia. GUILAND. Hoc tamen non eſt ita facile credendum, quando calidioris ſicciorisque corporis putredo longe multo difficilior, mea quidem ſententia, ea ſit judicanda, quæ in corporibus minus calidis & humidis, ad putreſcendum facillimis ac aptiſſimis excitatur. Quæ res tibi clarior videbitur, ſi me altiori magis ſtylo ipſam contemplari ſiveris ALPIN. Nihil eſt, quod ego nunc libentius magis faciam, quàm te de eadem re loquentem, audire. ſermo etenim tuus mihi ſemper non minus pro tua doctrina utilis, quàm gratus eſſe debet. GUILAND. Neminem noſtrum eſſe arbitror, qui ignoret, peſtem ſive peſtilentiam eſſe corporum ingentem ac ſummam putredinem, perniciosiſſimi veneni qualitate præditam, quæ ſæviſſimam ſtragem in loca ab ipſa infecta inducit. Quam duplicem habere cauſam, ex qua

Aphor. 11. & 16.

qua ſit, cognoſcitur, ſcilicet putrefaciens, atque putreſcibile, ſive cauſam efficientem, & materiam. Quæ efficiens ſit cauſa, non eſt ſcitu admodum difficile, quando omnes medici affirment, ipſam, eſſe calorem non naturalem, ſive extraneum, naturali contrarium, planeque inimicum. Naturalis enim calor corpus conſervat, & quicquid in ipſum agit conſervationis cauſà agit. Extraneus verò, innaturaliſque ad corruptionem omnia operatur, atque hic eſt, qui putredinem efficit, naturalem calorem corrumpendo ac diſſipando, cum ita comparatum ſit, Galeno in 4. lib. de ſimp. med. facult. docente, ut res quælibet in propria ſervetur natura ex calore proprio, quo diſſipato neceſſaria ſequitur corruptio, cum humores nequeant proprio calore deſtituti, imputres manere ac ſervari, ut in lib. 2. de diff. feb. Gal. ſcripſit, inquiens: *Neque enim fieri poteſt, ut aliquis quiſpiam ex humoribus talis permaneat, qualis erat ab initio, nedum qui ita depravatus, ut naturæ cultum non amplius ſuſcipiat, ſed alterum omnino ſequitur, ut ſcilicet coquatur, apponatur, aſſimiletur ſolidis partibus animalis, aut corrumpatur, & putre fiat.* Qualis vero ſit hic calor, in eodem libro, his verbis ſubjunxit paulo poſt, inquiens: *Nam rectè ſentire videtur Ariſtoteles, ab aliena caliditate oriri putredinem. vocat autem alienam, externam non inſitam, neque nativam in quocumque genere rerum, nam hæc concoquere apta eſt, externa autem corrumpere & putrefacere.* Noſcitur vero hic calor, vel extrinſecece, vel intrinſece; Extrinſece, ab aëre immodice calefacto; ob quam cauſam aëre exiſtente immodice calido etiam putredines propagantur. Hincque fortaſſe Gal. in lib. 3. de temp. dixit: *At quæ corporis noſtra naturam putrefaciunt, calida poteſtate exiſtunt.* Ex quo quidem aëris calore interdum ortam fuiſſe peſtilentiam in hunc modum in primo lib. de diff. feb. teſtatum reliquit, dicens: *Contingit autem quandoque præcedere ambientis aëris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea peſtilentia, quæ Athenienſes invaſit, ut Thucidides inquit:* Sed in tuguriis ſuffocantibus æſtatis tempore habitantium corpora corruptione laborant; intrinſece vero calor hic extraneus excitari ſolet, prohibita caloris naturalis reſpiratione. quod ſignificant omnes putridæ febres,

Cap. 14.
Cap. 8.
Cap. 9.
Cap. 4.

bres, quæ à putredine humorum ab obſtructis vaſorum meatibus orta excitari ſolent. Omnes enim humores, ſive craſſitie ſive copia obſtruentes, aliquo tempore neceſſario putreſcunt. Fit etiam à quocumque calore immodico naturalem diſſipante, atque corrumpente. Per calorem etiam extraneum nos intelligere debemus, omne illud, quod naturalem calorem diſpergit, ac extinguit, ut halitus venenoſi, non tantum caliditas aëris immodica, quæ ad putreſcendum concurrit ſolum in corporibus, quæ multis peſſimiſque humoribus ſcatent, non tamen ſemper. Hæcque de cauſa effectiva putredinis à me obiter dicta ſint. De eo verò, quód putreſcit, dicimus, humores omnes, omneſque corporis partes putrefieri poſſe, calore ipſarum naturali ab extraneo corrupto & diſſipato, vel eodem ipſo etiam calore partis nativo vincente morboſam cauſam; quam putrefactionem noſtri ſuppurationem & concoctionem appellant, quarum illa in abſceſſibus ſuppuratis, & hæc in febribus putridis obſervatur. Altera vero putrefactio, quæ fit natura vel in parte, vel omnino ſuperata, ut in vehementiſſimis inflammationibus, quæ in gangrænas, ſphaceloſque, diſſipato ac extincto proprio partis calore ab extraneo, permutantur, obſervari ſolet. Omnes itaque tum partes corporis, tum humores computreſcere poſſunt. ALPIN. Crediderim ego humida, quæ tantum exiſtunt, poſſe putreſcere, ac ſicca nequaquam, cum putredo ſicco potius tanquam contrario tolli obſervetur, ut Gal. in nuperrime abs te recitato libro ita ſcripſit: *Promptiſſime enim putreſcunt, quæcumque calida ac humida, & multa ſunt in calidis locis, niſi diſflari, ſimul ac refrigerari contingat.* & in primo lib. de temp. ait: *Deprehendas ex Borea (qui ſiccus naturâ & frigidus ventus eſt) omnia quàm diutiſſime imputria durare. Contra putreſcere facillime auſtrino flatu.* Eſt enim is ventus calidus & humidus. Idemque affirmavit in primo lib. epidem. his utique verbis; *Auſter diſſolvere corpora conſuevit, humoreſque fundere, adeoque putrefacere ſimul, ubi cum largioribus ſit conjunctus imbribus.* At manifeſtiorem hanc rem fecit in lib. 3. epidem. dicens: *Et putredo omnis ex materia quidem gignitur humida, ex cauſa vero efficiente, extraneo & præter naturam calore.* Sed quid Ga-

Cap. 4.

Comm. I. text. 26.

Com. 3. text. I.

Galeni teſtimonio egemus, cum omnibus medicis manifeſtiſſimum, atque apud ipſos obſervatiſſimum ſit, carentia humiditate non putreſcere, quamquam corrumpi queant? Carnes etenim aceto, ſaleque imputres ob id ſervari per multum tempus, quòd minus ob hæc humidæ reddantur, cuilibet noſtrum notum eſt. Hinc colligam ſolum humida putreſcere poſſe, minimeque ſicca GUILAND. Recte ſanè dixiſſes, ſi actu quæ ſunt humida & ſicca intellexeris, cùm fieri nequeat, ut aliquod putreſcat, quod omnino ſiccum actu deprehendatur; neceſſe enim ei eſſe aliquam humiditatem, in quam putredo accendatur. Nihilominus poſſunt multa putreſcere actu humida, quæ ſicca etiam ſint poteſtate, veluti vinum putreſcit, flava, atraque bilis, poteſtate omnia ſicca. Bilioſæ enim febres, inflammationeſque eriſipelatodes flavam bilem putreſcere ſignificant. Humida vero actu, atque poteſtate facilius putreſcunt, ut ſanguis, lac, & alia multa. Difficiliuſque aliquo modo ſicca, & impoſſibile eſt actu poteſtateque ſicca poſſe putreſcere. Hæcque ſufficient de præcipuis cauſis ad putrefactionem concurrentibus. Demonſtratumque eſt putredinis cauſam effectricem eſſe calorem extraneum, & materialem, & omnia quæ actu habent humiditatem aliquam, facillimeque putreſcere actu & poteſtate humida, ut ſanguis, difficulterque ſicca poteſtate, & humida actu, ut bilis, minime vero omnium putreſcere actu, & poteſtate ſicca, ut oſſa. Ab his igitur diſcam, putredinem peſtis Barbaricæ regionis habitantium eſſe vehementiorem, intenſioremque eâ, quæ è Syriæ locis erumpit. Apud me enim conſtat, priorum huminum corpora calidi ſiccique eſſe temperamenti, ut indicare ſatis aperte videtur habitus ipſorum omnium fere corporum ſqualidus, gracillimus, durus, ac nigri, exuſtique coloris: Græcorum verò atque Syrorum corpora calida & humida exiſtunt, temperata, multique ſanguinis, & habitus carnoſi moderateque pinguis, floridique non minus coloris. Ideo hæc ob humiditatem facillima ſunt, ut putreſcant, & illa ob ſiccitatem ad putreſcendum difficillima. Quæ cum ita intenſe ac excellenter putreſcant, putredinis intenſiorem gradum, lapſus à ſuo naturali ſtatu, certe explicat, qui in iis ma-

maximus eſt. Nam ſicca omnia corpora non ex quavis cauſa facile, ut humida, putreſcunt, ſed ex prævalidiſſima cauſa, quâ neceſſario prævalidam putredinem illam etiam judicabimus. Hinc hyeme atque in ſenibus febres exortas majores iis, quæ in æſtate, atque in juvenibus fiunt, affirmamus. quod iis magnus lapſus obſervatur, qui illarum eſſe prævalidas cauſas explicet. Barbarica itaque corpora ſicca ac ſqualida, peſte correpta, neceſſe eſt affirmare, ex magno in ipſis lapſu obſervato, cauſas putredinis habuiſſe prævalidas: & conſequenter putredinem factam intenſiorem ac excellentiorem illâ, quæ in temperatis corporibus ( qualia ſunt Græcorum, & Syrorum. ) fit; in illis enim ad putredinem ob ſiccitatem magnus, & in his ob humiditatem parvus lapſus obſervatur in quibus parvas ad putrefactionem, & in illis prævalidas concurriſſe cauſas dicendum erit, ut in febre æſtatis, & hyemis. in hac enim ad concitandam febrem prævalida cauſa eſt neceſſaria, veluti æſtate quàm facile ex qualibet cauſa homines in febres incurrunt. Quam prævalidam cauſam putrefacientem corpora Barbarorum præ ſqualore ac ſiccitate ad putreſcendum valde inepta, neceſſario eſſe calorem extraneum in iis corporibus ſuſceptum exiſtimo: ſi enim pravo ipſi victu uterentur, ſuſpicio eſſet de intenſiſſimo ambientis calore, ut ab ipſo ita excellentem ſuſciperent putredinem, veluti apud Athenienſes olim ortam fuiſſe peſtilentiam ex Gal. nuper dictum eſt. Cæterum cùm vel ab aëre, vel ab aliqua alia cauſa hic externus naturali contrarius calor ea corpora putrefaciens, accedat, obſcura non eſt cauſa, cur illi ita intenſius ab ea putreſcant. Quando jam priori cauſæ, (quam ego omnino ignoro.) alia conjungatur, quæ, cur in illis corporibus intenſiores illæ generentur putredines, declarat. Namque omnibus manifeſtum eſt, humores omnes, parteſque corporis proprio calore deſtitutas, ab alieno vel extraneo computreſcere. ut Gal. docuit in lib. 4. de ſimp. med. facult. atque, ut nuper quoque dictum eſt, humores naturali ac proprio ſuo calore deſtitutos ac privatos, putredinis expertes ſervari non poſſe, ſed neceſſario putreſcere. quo fit, ut qui humores magis ſuo calore deſtituuntur, & qui minus, majorem, atque minorem neceſ-

ceſſario ſubeant putrefactionem. Cur igitur iis probè auditis cur Barbarica corpora ſub continuo calidiſſimo cœlo degentia, tam intenſam contrahunt putredinem, admirabimur? quando maximus continuſque, quem ſemper experiuntur, calor abſque aliqua refrigeratione, illorum corporum naturalem calorem diſſipet, & diſſolvat, ipſaque corpora extraneo ad putreſcendum agenti ſubjiciat, atque etiam cum frigore careant, non diffletur, ac refrigeretur. Aër enim ſumme calidus, continuè marceſcit, peſſimuſque fit, atque corporum calorem innatum corrumpit ac diſſolvit. quo diſſoluto intenſiſſimas fieri putredines non eſt mirum, atque ab his peſtiferos morbos, qui caloris adjumento, & latius expanduntur, & acutiores ſævioreſque evadunt, non ſecus quàm dicunt medici, venenorum calidiora, magis, & minus calida, minus ad nocendum eſſe efficacia. Hincque colligunt multi, in locis ſub frigidiori cœlo poſitis homines mitiorem peſtilentiam pati, ut in Boëmia, Germania, Polonia, & aliis frigidioribus orbis plagis obſervatum eſt. ibi etenim peſtilentiam mitiſſimam, ac ipſis admodum domeſticam patiuntur. Cum igitur Barbari ex continuo immodicoque cœli calore (ſummè enim calida regio eſt Barbaria) naturali calore imbecilli, ac pauco fruantur, mirum non eſt, ſi ipſorum corpora excellentiſſimas ſuſcipiant putredines; & Græci & Syri temperatiori cœlo utentes, ſi multum innatum habentes calorem, non ita intenſas excipiant putrefactiones, quoniam apud ipſos calor extraneus debilis eſt, & inſitus multus, veluti apud Barbaros inſitus paucus, & extraneus multus. mirumque ob id non eſt, ſi Barbarorum corporum peſte infectorum putredo ſit præſtantior eâ, quam Græci, Syrique patiuntur. & ejus non minus contagium apud hos minus excellens ſit, ad homineſque inficiendos præpotentius apud illos, excellentius, acutius, prævalidiuſque. atque hæc de vehementia peſtilentis illorum putredinis, contagii fortitudine, ac imbecillitate, ex efficientis cauſæ ratione indagata dicere volui. Nunc vero de eadem re ex materiæ putreſcentis occaſione differamus; Nam multa exiſtunt, à materia, quæ ibi putreſcit, cognita, quæ eam peſtiferi contagii præſtantiam majorem & minorem confirmant.

mant. Siquidem corporum humores ibi putreſcentes majori ex parte, cœli utique ratione biliosi, atque exuſti exiſtunt, qui quantò ſunt ad putreſcendum difficiliores, eò putrefacti intenſiorem acutioremque putredinem excipiunt. Quod quidem clariſſime ſignificant ſymptomata, ac morbi ex putrefacta bile, ac atra bile, vel exuſtis humoribus orta: quæ omnia acutiſſima, vehementiſſima, atque horrendiſſima exiſtunt, ut medicis praxim exercentibus notiſſimum eſt. In febribus à putredine bilioſorum exuſtorumque humorum ortis, ſæviſſima ſymptomata, ac horrendiſſima obſervari, quæ ægrotos male habent, citiſſimeque aliquando interimunt, cuique planè clarum eſt. Accedit quod putredo in ſicca materia ſuſcepta, longe illâ, quæ in humida accenditur, acutior, atque diuturnior exiſtit, ut cognoſcere poſſumus in omnibus formis arte factis, tum in ſicca, tum in humida materia receptis, in hac enim quæ excepta ſunt, facile corrumpuntur, atque citò delentur; in illâ, maxima difficultate, atque longo tempore. Cui enim ignotum eſt, figuram in cera facile imprimi, atque facile corrumpi, ac deleri, in ferro & lapide quàm difficillime, & tardiſſime? Non videtur itaque à veritate alienum affirmare, contagium peſtis Barbariæ in corporum humores ſicciores accenſæ acutius, excellentius, diuturnius, Græco ac Syriaco, quod à putredine promanat in corporum humores humidiores, (quando hæc corpora calida & humida, & illa calida & ſicca exiſtant.) eſſe judicandum; ideoque in Ægypto ex Barbaria advectum, vehementius incolas pervadere, atque ipſos atrociter depaſci, diutiuſque quàm alibi vigere atque perſeverare, inſignemque ibi hominum ſtragem inducere. Haſque puto cauſas, cur peſtiferum contagium ex Barbariæ locis peſte infectis illuc aſportatum, citius plurimos homines invadat, quàm ex Græciæ Syriæque locis profectum, atque diutius ibi vivat, atrociuſque eam gentem feriat, atque perdat. His auditis, audiendum etiam eſt tempus, quo ibi peſtis manifeſtetur, & non minus cognoſcendum eſt, quanto tempore duret, quando audierim, Junio menſe, Sole æſtivum tropicum permeante, omnem peſtilentiam ibi conſumi, atque aboleri. Ideo iſtud mihi nunc

narrare non te pigeat. Alpin. Libentiſſime à te nunc expetita dicam; atque nunc, ne tempus fruſtra conteramus, etiam loqui incipiam.

## Cap XVII.

### *Quo tempore peſtis loca Ægyptia invadere ſoleat, & quo tempore ipſa deſinat.*

### ALPINUS.

Pestis Cayri, atque in omnibus locis Ægypti invadere eos populos, ſolet ineunte Septembri menſe, uſque ad Junium: his enim omnibus menſibus à Septembri ad Junium uſque peſtis aliunde per contagium illuc aſportata, eam gentem invadere ſolet. Quæ primis in his menſibus accedit, omnium eſt ſæviſſima, maximeque ſi è barbariæ locis proficiſcatur, univerſam etenim ipſa illam urbem aſperè depaſcitur, multos, propemodumque infinitos mortales perdit. Minus ſæva eſt, quo tardior illuc acceſſit, viderique incipit, ita ut, quò tardiùs venerit, eò mitior ac brevior ſit judicanda: quoniam cum anguſtum habeat temporis ſpatium, quo ſerpere per populum poſſit, nequit omnes ſuas in homines illos vires oſtendere. Junio vero menſe, qualiſcumque & quantacumque ſit ibi peſtilentia, Sole primam Cancri partem ingrediente, omnino tollitur, quod multis planè divinum eſſe non immerito videtur. Sed quod etiam valde mirabile creditur, omnia ſupellectilia peſtifero contagio infecta tunc nullum contagii effectum in eam gentem edunt, ita, ut tunc ea urbs in tutiſſimum ac tranquilliſſimum ſtatum reducatur ex ſumme morboſo; atque morbi particulares, ſporadici à Græcis vocati, tunc apparere incipiunt, qui nuſquam gentium tempore peſtis apparebant. Guiland. Sed nunquid aliis tribus ſequentibus menſibus peſtis illuc profecta populum illum corripiat, atque quam ob cauſam omnis peſtilentia menſe Junio abigatur, atque omnino deſinat, libenter etiam nunc ex te audirem? Alpin.. Junio, Julio & Auguſto menſe numquam, ut

Ægyp-

Ægyptii affirmant, viſa eſt peſtis illuc ex infectis locis profecta, quæ eos populos invaſerit. Quam vero ob cauſam ab Ægypto illo menſe omnis peſtilentia, quantacumque & qualiſcumque ſit tollatur, nunc venari ac indagare conabor. Arduam ſanè ac difficillimam hanc cognitionem eſſe exiſtimo, proinde non ita facile à me excogitata cauſa proferenda eſt, ſed prius ipſam veritati comparare, ac rectè contemplari debeo, & mox in lucem proferre. GUILAND. Sapienter iſtuc illo pacto facies, ſed quoniam tamdiu ibi cum ea gente verſatus es, non dubito illiuſce effectus veram ac certam cauſam te ab iis accepiſſe, atque didiciſſe, vel per te ipſum ratione atque eventibus indagaſſe. Cupio igitur te nunc de his audire.

## CAP. XVIII.

*Qua cauſa Cayri qualiſcunque peſtilentia ſit, menſe Junio omnino tollatur.*

### ALPINUS.

NIHIL eſt, neque fit aliquid eo in menſe, ſcilicet Junio, quod urbem à peſtifero morbo infectam in ſalubrem ſtatum mutare dignoſcatur; Nili fluminis excepto augmento, quod ipſum conſtantiſſime die ſeptima decima menſis Junii aëris illiuſce temporis mutatione ab immodico caloris æſtu inæqualiſſimo, ab Auſtrinis, Euriſque ventis, ut nuper dictum eſt, concitato, ad aërem minus calidum, ſed æqualem, & continuum, ſive ab Auſtrina morboſa conſtitutione in Septentrionalem ſalubrem facta. Namque aër tribus fere menſibus ante æſtivum Solſtitium, quo tempore univerſum peſtis contagium abſumitur, interruptè calidiſſimus, fereque ſuffocans animalia, ex Auſtrinis Euriſque ventis interruptè, ut ſuperius ſedulo narratum eſt, calidiſſimum ſpirantibus, obſervatur, inæqualiſſimuſque etiam, quia ii venti non diu perſeverant, ſed paucis quibuſdam tantum diebus, plerumque tribus ſpirare ſoleant, & mox deſinere, à quibus ſubitò venti alii perflant, admodum corpora refrigerantes. Atque ab his paucis poſt diebus rurſum ſum-

ſumme calidi redeant, aëremque non parum ab aliis refrigeratum ad immodicum calorem confertim mutant. Quamobrem aër calidiſſimus, æſtuoſiſſimus, inæqualiſſimus, peſſimuſque iis tribus menſibus ingruit, & qui ipſum itidem ſequitur, accedente Soliſtitio æſtivo, etſi valde & ipſe calidus ſit, eſt tamen continue æqualis, uniformis, non confertim, ſed ſenſim ac ſenſim mutationes, quæ cœli ratione fiunt, inferens. Accedit etiam per id tempus Septentrionalium ventorum, quos noſtri Eteſias appellant, ſpiratio. Incipiunt etenim, Sole ſignum cancri ingrediente, è Septentrione ii venti ſpirare; qui totis Julio, & Auguſto menſibus conſtanter, placidiſſimeque perflant, & toto fere Junio menſe, Campſinis ventis abſorptis, iidem Septentrionales venti orti, conſtanter ſpirare incipiunt, hique proculdubio exiſtunt, quos Gall. aliique Prodromos vocant. Hæcque per id temporis incipiunt obſervari, à quibus fortaſſe non immeritò cauſam extinctionis peſtis, morboſique in ſalubrem ſtatum mutationis pendere arbitror, quando nulla alia ex conſervatricibus cauſis, quas vulgus medicorum res non naturales appellat, aëre excepto, ibi eo tempore appareat, in quam morboſi ſtatus in ſalubrem mutationem referre poſſimus. Ideo neceſſarium erit, hujuſce mutationis cauſam aëris mutationi acceptam referre: & quoniam tunc aër mutatur ab æſtuante calore, inæquali, in minus calidum, & æqualem, atque continuum, mirum non erit, ſi quemadmodum prius aëre à Campſinis ventis, calore ſuffocante, atque inæqualiſſimo, quippè modo calidiſſimo, modò frigido effecto, ac vigente, morboſus ſtatus obſervabatur; ita eodem in minus calidum, atque in æqualem, & continuum mutato, etiam morboſum ſtatum in ſalubrem mutari, non immeritò dicendum erit. Corpora enim in hoc aëris ſtatu valde calido, continuo, ac omnino æquali, ſemper calefaciente, difflantur, aperiuntur, evacuantur atque exſiccantur. Nam quiſque per id temporis ſæpiſſime per diem largiſſime exudat, quo fit, ut peſtiferum etiam contagium ab aëris inſigni & aſſiduo calore exolvi, atque diſſipari non injuriâ ſit credendum. A Nili fluminis facto augmento, aërem in hunc ſtatum mutari poſſe aliquibus forſitan

tan videbitur, quòd eodem tempore, ſcilicet Sole Solſtitium tenente (cùm annis ſingulis flumen creſcere incipiat die decima menſis Junii) conſtantiſſime obſervetur, hunc aëris ſalubrem ſtatum vagari. Quod ſanè ita non eſſe oſtendit illo tempore, quo ibi omne peſtilens contagium abſumitur. Nili incrementum obſcuriſſimum, ac pauciſſimum eſſe, ex quo aër non poterit uſque adeo alterari, ac à priori ſtatu mutari, qui pòſſit morboſum ejus ſtatum corrigere, aut omnino tollere. Itaque illiuſce fluminis incrementum eſſe in cauſa, ut peſtilentia illa deſinat, non erit credendum, quando alio tempore evaneſcit peſtis, & alio flumen ſuum ſuſcipiat augmentum: quod aërem multum alterare queat. Peſtis extinctio nihilominus conicidit cum fluminis augmenti principio, ſed quia incrementi initia tenuia ſatis ſunt, atque ita obſcura, ut vix ab omnibus dignoſcantur, per id temporis inceptam eſſe illiuſce auctionem ita, ut vel nihil, vel parum aër præſentis ejus temporis, à priori ſtatu mutatus ſit. Quomodo itaque aër vel nihil, vel parviſſime mutatus tantam vim habere potuerit, qui poſſit mutare ſtatum peſtilentem in ſaluberrimum? certè nemo hoc affirmare audebit, niſi dixerit etiam tolli peſtilens contagium ab occulta aliqua cauſa; veluti principium quoque augmenti fluminis illius per ſingulos annos, eodem menſe, die, & hora conſtantiſſime ac ſemper obſervatum, ab eadem occulta cauſa pendere multi non immeritò affirmant, quando hujus perpetuo incipientis augmenti cauſam poſſe naturæ principiis indagari, ac verè cognoſci, nullo modo poſſe fieri mihi videatur. Hincque ancipites non immeritò fieri, quod Nili aquæ illud augmentum ex pluviis Æthiopum principium habeat, quoniam nullibi pluviæ ſemper fieri incipiunt eadem tum die, tum hora, ut poſſint eadem die ſemper flumen aliquod augere; quod ſi verum eſſet, utique dubitare omnes poſſent, cauſam generationis pluviarum, in aëris temperiem inconſtantiſſimam referri debere. Quare non videtur verum eſſe, peſtis illam diſſolutionem tempore eodem, quo flumen augeri incipit, obſervatam, poſſe à Nili augmento cauſam habere. An vero ipſa referri poſſit in Eteſiarum ſpirationem, quando hi venti tunc ſpirare incipiant,

placidiſſimeque per totam æſtatem continuent? Sed non deſunt aliqui, qui ventos (quòd ipſi incipiant accedente Solſtitio cancri,) eſſe Eteſias denegent. Namque omnes, qui de his ſcripſere, eos flare incipere à canis ſideris ortu affirmant, ut Gal. in lib. de cauſ. procatarct. atque in 1. epidem. memoriæ prodidit. De his vero Plinius in lib. 2. Nat. hiſt. ſcripſit, ita dicens: *Ardentiſſimo autem æſtatis tempore exoritur Caniculæ ſidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui 15. ante Auguſti Calend. eſt. hujus exortum dieb. octo ferme Aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant. Poſt biduum autem exortûs, iidem aquilones conſtantius perflant diebus quadraginta, quos Eteſias vocant.* Cum igitur Cayri hi venti conſtanter flare incipiant ſub Solſtitio æſtivo, non poterimus ſtatuere eos eſſe Eteſias. GUILAND. Non ob id tamen ita facile negandum erit, quod Cayri venti illi ſolitum tempus, quo in Italia Eteſias flare multi ſcripſere, antecedant, ferè per menſem non eſſe Eteſias, quando alia eorum ventorum ſigna obſerventur. Nam ex Septentrione ipſi ſpirant, conſtanterque flant diebus quadraginta, & multo pluribus etiam, non aſpereque, ſed ſumme placidé ſpirant, dieque ab ortu Solis incipientes, auram frigidiuſculam efficientes: quæ omnia tales ventos denotant. Quam vero ob cauſam ibi incipiant ſub Solſtitio æſtivo, & Italiæ in locis eo tantum Solſtitio peracto ab ortu caniculæ per aliquot dies, ibique longiori quoque tempore, quàm hic òbſervetur, ſpirent non eſt noſtrum nunc conſiderare, ac contemplari. Neque planè veram eſſe Ariſtotelis ſententiam in lib. 2. meteororum literis traditam, hinc dubitari poſſet, quando is dixerit, à reverſione Solis à Solſtitio Cancri, dum Leonem ingreditur, Septentrioni multo calore communicato, ab eoque eorum locorum nivibus glacieque liquatis, flatus inde excitari, à quibus Eteſiæ ortum habuerint. Quando in Ægypto Sole ad tropicum accedente, Eteſiæ fiant. Quod ſi ita eſſet, proculdubio aut eodem tempore, tum in Italia, tum in Ægypto obſervarentur, aut prius in Italia ſentirentur, quàm ad Ægyptum perveniſſent. Sed cum prius ibi conſpiciantur, dicendum erit ab eadem effectrice cauſa ab Ariſtotele ſignificata, ſcilicet calore, eos ventos naſci, ſed non à liqua-

Cap. 1. tom. 1.

liquatis nivibus, glacieque locorum Septentrionalium, ſed Græciæ aliorumque Aſiæ minoris, quæ ſunt Ægypto proxima, quæ habent excelſos montes, à quibus nives calore liquatæ halitus Ægyptiis locis mandantes, illos profectò ventos efficiunt. Non puto igitur ab re nunc ex te dictum eſſe, illos ventos incipientes flare in Ægypto, Sole Cancrum ingrediente, & perdurantes fere toto menſe Auguſto, eſſe Eteſias. Tu modo perge ad inceptæ reliquum orationis. ALPIN. Ab his igitur ventis aërem alteratum, eſſe cauſam, cur peſtis illa diſſolvatur, multi illorum affirmant. Quod etiam non videtur penitus à veritate alienum, quando id multis etiam rationibus nobis perſuaderi poſſit, in primiſque ex contrariorum naturæ ratione: namque nulli dubium eſt, auſtrinos eos ventos, quos diximus ab iis populis Campſim nuncupari, natura ac qualitate opponi Septentrionalibus Eteſiis vocatis: Quod cum verum ſit, non erit mirum, diverſum planeque contrarium ſtatum, cum Eteſii venti dominantur, aërem habere, ab eo, qui Campſinis oppoſitis ſpirantibus prius obſervabatur. Ideo ſi his vigentibus in aëre ſtatus aëris fuerat morboſus, procul dubio ipſis abſorbtis, Eteſiiſque oppoſitis flare incipientibus, conſtanterque flantibus, in oppoſitum, qui eſt ſalubris, ipſum mutari debere affirmandum erit. Accedit natura Eteſiarum, quæ adverſatur peſtilentibus conſtitutionibus, quemadmodum auſtrina putrefactionibus favere, obſervatur. quod Gal. in primo lib. de Cap. 4.
temp. ita ſcriptum reliquit. *Deprehendas ex Borea, qui ſiccus naturâ & frigidus ventus eſt, omnia quàm diutiſſime imputria durare, contra putreſcere facillime auſtrino flatu.* Amplius particulatim Gal. hos ventos aëri ſalubritatem inducere in multis locis non docuit; in lib. enim 3. epidem. dixit: *Si Eteſiæ in æſtate fiant, multa mala prohibere, quæ iis non flantibus fierent*: ideo de peſtilenti ſtatu inquit. *Quo tempore ſi Eteſiæ ſpiraſſent, morboſum humani corporis ſtatum omnem abſterſiſſent*, Æſtatem Eteſiis carentem admodum morboſam eſſe pluribus in locis ſcriptum reliquit. Et proinde Hipp. æſtatem peſtilentis naturæ deſcribens, ait: *Æſtas ſerena erat & calida, magni erant æſtus. Eteſiæ parvæ diſperſim ſpirarunt.* Ex his igitur dicere poſſumus

3. Epid. com. 3. text. 71.

K 2 illiuſce

illiuſce peſtis abolitionem vel extinctionem ab Eteſiis tunc flare incipientibus, aëremqae in oppoſitam temperiem mutantibus, non parvam occaſionem, vel cauſam habere poſſe. Dicunt etiam multi, quod calor æſtatis immoderatus diu durans, abſque quod contrario aliquo frigido vento difflетur, ac ventiletur, non poterit diu ſervari, quin corrumpatur vel putreſcat, veneficamque acquirat qualitatem. Non poſſe vero peſtem illam extingui atque deleri ab Eteſiarum ſpiratione, hinc etiam dubitari poteſt, quòd peſtis in multis locis, quamquam Eteſiæ valde ſpirarint, non fuerit extincta: ut in peſte anni 1575. Patavii obſervatum eſt. Itaque cum ex nuperrime dictis de his dubius non parum hac eadem de re ſim, obſecro, ne te pigeat, de cauſis, quibus illam apud Ægyptios peſtilentiam deleri putas, tuam ſententiam proferre. GUILAND. Peſtilens contagium totum per illud temporis perpetuò annis ſingulis extingui, ſcilicet menſe Junio, cum Sol primam cancri partem ingreditur, id ex aëris mutatione accidere mihi videtur, quando nulla aliarum ſanitatem conſervantium cauſarum obſervetur ibi eſſe, quæ id facere queat. Aërem vero ipſum ex morboſo ſtatu in ſalubrem mutari tunc temporis ex particulari temperie ſuſcepta, alienum eſſe à veritate non judico. Is etenim, uti ex te audivi, eo tempore fit priori minus calidus, quamquam valde & ipſe calidus ſit, ſed continuus, æqualis, eodemque modo perpetuo conſtans, qui ſi quas ſuſcipit alterationes ac mutationes, illas non confertim, ſed ſenſim ac ſenſim recipit: Quo ſanè tempore ab ipſo corpora (cum remiſerit calor ille æſtuoſus à Campſinis ventis evectus, ſuffocans) melius ſe habent, eumque calorem facilius ac melius perferunt: quoniam is tunc habet calorem à cœlo, cui illa corpora jam aſſueta ſunt, inipſoque nata, non autem à ventis, veluti antea fuerat, advenam temperiem ipſorum aëri inducentibus. Hincque æqualis & conſtans fit, quòd à ventis mutationem nullam ſuſcipiat. Illo itaque aëre tunc multum calefaciente, atque perpetuo eodem modo perſeverante, corpora ipſorum admodum exudant, aperiuntur, atque ſiccantur. quibus tum in ipſis corporibus, tum in veſtibus, aliiſque omnibus ſupellectilibus, omnis excrementitia

titia humiditas diſſolvitur, atque conſumitur, eaque maxime, in qua peſtilens illud contagium fundatur, atque ab ipſa fovetur. A vehementi aëris caliditate omne contagium diſſolvi poſſe, vel omnes mulierculæ ſciunt, quæ laneos pannos, ceteraque domorum ſupellectilia quovis contagio infecta, per multos dies Soli, ut ab his contagii omnem ſuſpicionem abigant, exponunt, neque longa experientia, ut cognitum eſt, ſua ſpe unquam fruſtrantur, reddentes hæc omnia ab omni contagio munda, ac libera. Atque hinc mirum utique non eſt, ſi hi populi infecti peſtifero contagio, aëri ſumme calido, æquali, corpora multum difflanti, aperienti, tum per inſenſibilem tranſpirationem, tum per copioſum, aſſiduumque ſudorem evacuanti, & exſiccanti expoſiti, ab eo liberi fiant. Certum enim eſt, ac apud omnes ibi obſervatiſſimum, omnia corpora per id temporis ſumme difflari, ſudoribuſque aſſiduis copioſiſque, ac inſenſibili tranſpiratione exſiccari. Quæ quantum conducant ad abigendam è corporibus omnem putredinem, neminem medicorum ignorare certò ſcio, qui tamen in Gal. ſcriptis ſit verſatus. Namque is in 1. lib. de diff. feb. hos duos eſſe præcipuos ſcopos ad præſervanda corpora à peſtilentia dixerat, his verbis: *Erat autem eorum ſumma, ut oſtendit idem Hippocr. ipſa putrefactio. quod cum nos prævidiſſemus ſtatim ab initio, quæcunque corpora humida videbamus, omni via exſiccare conabamur. quæ vero ſicciora, in iis antiquum habitum conſervabamus. at in quibus ſuperfluitates redundabant, hæc purgationibus ſanabamus: Obſtructiones autem foraminum aperire, atque abſtergere ſtudebamus.* Pauloque poſt dixit: *una ſiquidem ac prima eſt in omnibus communis intentio, quod corpus quàm maxime ſuperfluitatibus vacet, atque optime ſpiret.* Quam obrem, quod ea aëris temperies admodum corpora exſiccet, atque difflet, exiſtimo non immeritò fore putandum, inde abſumi eam peſtilentiam, ejuſque omne contagium, exſiccato ſcilicet vel diſſoluto ab eo calore aëris humido in pannis, & omni ſupellectili veſte, qua putredo, ejuſque contagium fovebatur, atque iis corporibus evacuatis, exſiccatiſve, atque difflatis. ALPIN. Hæc veritas videtur non parum obſcura, ac dubia, cum in prima æſtate, Cap. 4.

 vel

vel æſtatis parte, in qua ſummam vigere peſtilentiam diximus, oporteret etiam eandem corporum vigere ſalubritatem, quando aëris tunc ſumma caliditas queat & ipſa omnem contagii humiditatem à pannis, cæteriſque aliis ſupellectibus conſumere ac reſolvere, non minuſque illorum corpora, tum per ſudorem copioſum, tum per inſenſibilem evacuationem exſiccare, atque difflare. GUILAND. Intelligere arbitror ex his, unde tibi orta ſit hæc difficultas, reſpondeoque, aërem primæ æſtatis partis etſi calidiſſimus ſit, ea utique efficere non poſſe, tum præ immoderata caliditate ferè animalia ſuffocante, tum præ ejus inæqualitate, namque ut dixi, poſtquam æſtuantiſſimi Campſini flârint, ſubito oppoſiti validiſſime ſpirare ſolent, frigidi, quibus neque contagii humiditas conſumi poteſt, cum calor diu non perſeveret, neque corpora exſiccentur, neque difflentur ob eandem cauſam. Calor etenim ejus prioris ſtatus non eſt aptus, ut putredinem deleat, ſed potius ipſam concitet, quando ab eo nativus calor ſumme labefactetur, ac exolvatur. Nam corpora ſuperfluitatibus ſcatentia, ad hoc; ut à putredine ipſa vindicari poſſint, non ſolum exſiccatione, quæ fieri poteſt ibi præ intenſo calore molita evacuatione vel per ſudorem, vel per halitus, opus habent, verum non minus difflatione atque naturalis ſpiritus, caloriſve reſtauratione, aliter calor nativus diſſipabitur: in aëre vero immoderatè calido corpora evacuationibus exſiccari poſſunt, & difflari, ſed non reſtaurari vitales ſpiritus, qui ſola refrigeratione, quæ fit frigidi aëris inſpiratione, nutriuntur, foventur, atque reſtaurantur. Hincque ſecundæ æſtatis aſſiduus calor calidus, continuus, æqualis ac uniformis poterit corpora exſiccare, ipſorumque meatus aperire, atque Eteſiis ſimul frigidum temperatum ſpirantibus toto illo tempore, corporum etiam vitales ſpiritus poterunt teſtaurari, ac foveri. Nili vero augmentum eodem tempore inceptum poſſe huic aëris ſalubritati conducere, planè ignoro. quod tunc & obſcuriſſimum ſit, atque etiam, quia potius humiditate, quàm ſiccitate aërem refert, atque alterat; quæ aëris qualitas omnino inutilis ad tollendam putredinem cognoſcitur, quando potius omnem putrefactionem pro cauſa, in qua fit, humiditatem ha-

habere omnes noverint. Hæc idonea judicavi, quæ propoſitam dubitationem probè ſolvere potuerint, quippe Junio menſe omnem peſtilentiam, ejuſque omne contagium aboleri ex aëris temperie calida, æquali, uniformi, atque continua, Eteſiarumque ſpiratione, quibus corpora, tum per ſudorem, tum per inſenſibilem tranſpirationem exſiccantur, difflantur, atque refrigerantur. & hæc de peſte loca Ægypti invadente ſufficiant. tuque perge alia enarrare. ALPIN. Omnia jam una die, quæ in ipſa dicenda propoſueramus, peracta vides, eſſetque ad alia tranſeundum. Sed quia nos Solem ſub horizontem deſcendere perſpicimus, in aliam diem aliis de rebus ſermonem differamus; ad ipſorum autem medicinam manè accedemus. Domum itaque eo, atque huc mane Deo annuente revertar. Quidque tunc præciſe ſit dicendum, ſimul terminabimus. Vale. GUILAND. Vale & tu, dum huc etiam veneris. Diluculoque in viridario me conferam, atque te, uſque dum redeas, expectabo.

## FINIS PRIMI LIBRI.

# PROSPERI ALPINI
## DE
# MEDICINA ÆGYPTIORUM.

## LIBER PRIMUS.

### CAP. I.

*De uſu mittendi ſanguinem, apud Ægyptios Medicos frequentato, & cur apud ipſos ſanguinis vacuatio ſit familiariſſimum remedium.*

GUILANDINUS, ALPINUS.

CUM te nondum ad me rediiſſe Sole jamdudum diem aperiente admirarer, demum in via te conſpicio, externis ferè ſopitis ſenſibus, greſſus cum profunda quadam animi cogitatione movere, quaſi ſemiſtupidum, atque comatoſum, viridarium verſus deambulantem; à qua tamen non auſus ſum te revocare, ne tuam aliquam voluptatem perturbarem, ſed quid iſtud eſt, quod tu ambulando ita prfundè cogitas, atque ita altius comtemplaris? ALPIN. Ne fruſtra tempus conterem, eundo, atque more Peripateticorum deambulando, varia præſidia, quibus Ægyptii medendo utuntur, in memoriam revocabam, ma-

materiamque ita paratam mecum ipſe reputabam futuram de ipſa hodierno die tractationem, ne ego, ubi te in viridario conveniſſem, in mora interim eſſem noſtris jam cæptis ſermonibus. GUILAND. Recte ſanè feciſti, eam te nunc, ubi in hujuſce amœniſſimi viridarii ſecretiori ſolito receſſu ambo convenimus, referre æquum eſt. ALPIN. Tres eſſe medicinæ curatricis partes, (quas fontes auxiliorum, vel præſidiorum vulgus medicorum appellat.) omnibus manifeſtum eſt, ea ſcilicet, quæ victu, quæ medicamentis, & quæ manu exercetur. Has vocant noſtri diæteticam, pharmaceuticam, & chirurgicam. Prima omnem victus rationem continet, quæ ægrotis conducit; ſecunda medicamentorum uſum complectitur; tertia ea præſidia pertractat, quæ manus operâ adhibentur. Cum itaque omnes hæ medicinæ partes juxta illorum populorum uſum percurrendæ nobis ſint, ne quidpiam ad medendum utile omittamus, in primis à poſtrema parte exordiri, ab hiſtoria quippe auxiliorum, quæ manu exercentur, optimum fore judicavi, præſertimque à mittendi ſanguinis ratione, quam illi ſequuntur, quòd hæc medicinæ pars apud ipſos in curandis morbis ſit ceteris partibus uſitatior, atque familiarior. Præcipua vero hujuſce partis capita, de quibus nunc inſtituenda eſt oratio, eundo & cogitando, priuſquam huc perveniſſem, planè firmavi. Quæ omnia nihil aliud decernunt, quàm mittendi ſanguinis rationem, atque uſum apud Ægyptios frequentatum, tum nonnullas etiam uſus partes variis morbis addictas, inurendi, cauterizandive, atque quaſdam etiam præcipuas alias chirurgicas operationes, tum ad ſuppuratos, tum ad hydropicos, tum ad illos, qui ex lapidibus in veſica dolent, atque ægrotant, ad aliaſque etiam multas affectiones. Sed quid in his ampliùs moror? melius eſt, ut de his nunc loqui incipiam, ne inceptum hunc diem ſine longa linea abire ſinamus. GUIL. Jam his præmiſſis, tempus eſt, ut ad uſum mittendi ſanguinem apud ipſos frequentatum, te conferas. Ideo, ſi lubet, incipere poteris. ALPIN. Communiſſimum eſt, admodumque familiare in tota Ægypto medicum præſidium, quod ſanguinis miſſione tractatur. Ita, ut omnes cujuſque ſexus, ætatis, comple-

L

plexionis, quocumque anni tempore, in quovis morbo libentiſſime largius, ſæpiuſque variis modis mittere ſanguinem conſueſcant. Omneſque ſanguinis evacuationem libentius, quàm alia medica præſidia admittunt. Quiſque etenim huic remedio nimium confidens, ipſum quocumque morbo correptus magna ſpe arripit; idque triplicem ob cauſam, in primiſque, quòd omnibus plane perſuaſum ſit, ut ſuperius dictum eſt, quoſlibet ferè morbos ibi vel à caliditate omnimoda oriri, vel cum aliis cauſis caliditatem etiam adeſſe. Ex quo quælibet ſanguinis evacuatio multum refrigerat, ſanguinis miſſione ita facile utuntur. Secundo, ibi quiſque arbitratur, corpora illa multo ſanguine abundare, ob largum aquæ Nili fluminis uſitatum potum, quæ ut illorum eſt opinio, tota in ſanguinem vertitur, vimque gignendi ſanguinem ipſam ex eo tempore putant adeptam, ex quo Moſes Dei præcepto aquas in ſanguinem mutavit. Demum addunt etiam, ea corpora non eſſe mali ſucci, quæ cachochyma Græci vocant ſed boni multique ſanguinis, quæ plethorica plenitudine correpta, dicunt. Guiland. Omnium morborum cauſam præcipuam habere, caliditatem, quod iſti autumant, planè falſum, atque à veritate alienum eſt; neque hoc ulla egere demonſtratione, exiſtimo, cum nulla ex parte id verum eſſe poſſit: nam ſi ex uno homo conſtaret elemento, utique, nt dicebat Hippoc. non doleret. Corpora enim variis pro varietate præcipuorum membrorum, naturis conſtant, variiſque humoribus redundant, adeo, ut interim à caliditate, unoque humorum exſuperante laborent, & interim à frigiditate, ac alio humore, vel aliquando à multis ſimul junctis. Et ſi corpus aliquod calidis præciſe morbis, ob ejus temperiem, obnoxium erit, non tamen omnino. Redundare vero plurima ipſorum multo ſanguine utique verum eſt; quoniam omnia eorum viſcera quo ad calorem, ut dictum eſt, temperamento, omnes cibos in bonum ſanguinem mutant; veluti contra, cachochyma corpora mali temperamenti cauſâ, quoſcunque etiam òptimos cibos in malum ſanguinem vertunt. Atque hinc uſus mittendi ſanguinem ita apud eos invaluiſſe dici poteſt, quando ex omnibus medicis præſidiis, omnia fere corpora,

ra, quia ſanguine potius, quàm aliis humoribus plerumque offendi ſoleant, ſanguinis evacuatione promptius juventur. ALPIN. Verum dicis, ſed de ſanguinis evacuatione, idem, quod ex uſu alterantium medicamentorum illis alias eveniſſe dictum eſt, contingit. Etenim quia illorum locorum populi, ob cœli, ſub quo degunt, multam caliditatem, putant omnia illorum corpora eſſe ſumme calida, atque à calore fere ſemper affici, minimeque à frigore, quæ corporum credita temperies omnem calidorum medicamentorum uſum eos abhorrere coëgit; frigidaque complecti, atque frequentare: non ſecus quàm etiam frigidorum locorum accolæ immodice calidis operam dare, à frigidis timere conſueverunt, ita Ægyptii in miſſione ſanguinis ſe gerunt, putantes corpora omnia, tum à calore ob cœli ſtatum pati, tum à copia ſanguinis, quòd aſſidue ipſa multum ſanguinem congerere arbitrentur; & quia ſanguinis evacuatio utrique incommodo prompte, ac tutò ſuccurrit, quoniam tum refrigerat, tum plenitudinem demit, libentiſſime eam amplectuntur; ſanguinemque largius, tum frequentius quàm deceret, atque neceſſitas expoſcere videretur, in omnibus pueris, juvenibus, viris, ſenibus, mulieribus, eunuchis, atque in quocumque cœli ſtatu, & tempore anni atque morborum differentia ſæpiſſime vacuant. Demum eò redacta res eſt, ut tantum evacuationis ſanguinis viribus ſiſi incumberent, ut alia auxilia ſpernentes, hoc immoderatè utantur; valdeque in uſu hujus præſidii errare mihi videntur: quando tum largius, tum crebrius quàm deceret, audacter mittant ſanguinem, atque adeò in multis, in quibus pluribus de cauſis hoc remedii genus non conveniret. Dictum ſiquidem eſt, multa ex illis corporibus ad frigidam temperiem inclinare, hincque & pinguiſſima ibi multa, & pleraque mollia, rarique habitus, & facile diſſolubilis eſſe; his nulla ſanguinis evacuatio familiaris eſſe poteſt, ut Gal. in lib. de curat. per ſang. miſſ. teſtatum reliquit. Quamobrem hoc remedium multis opportunum, in omnibus ab ea gente uſurpari non eſt laudandum. GUILAND. Non rectè hoc intelligo, ſed accuratiorem, atque abſolutiorem illorum corporum temperamentorum cognitionem ex te li-

benter audirem; ſine qua fieri non poſſe videtur, ut mittendi ſanguinis ratio apud illos nobis innoteſcat; proinde itera mihi rurſum Ægyptiorum corporum temperamenta. Alpin. Sed ut rectè ea cognoſcere poſſimus, primo inveniendam eſſe puto rationem illius, quæ in variis corporibus eſt temperies, atque habitus. Quæ recte explicata, facilius illorum hominum naturas, atque habitus varios demonſtrabunt. Guiland. Verum dicis, atque ut commodius videtur, ſatagito.

## Cap. II.

### *De ratione variorum corporum temperamenti, atque habitus, deque Ægyptiorum vario temperamento, & habitu.*

### ALPINUS.

Cum corporum eorum, qui Ægyptum habitant, temperies atque habitus rurſum accuratius à nobis ſit cognoſcendus, ut apud ipſos mittendi ſanguinis uſus rationem vere conſequamur, prius univerſali quadam via ratio varietatis temperamentorum, atque habitus à nobis eſt cognoſcenda. Siquidem illorum corpora omnia eſſe ſanguinea, ſanguineque multo abundare, neque dici poteſt, neque utique verum eſt. Nuſquam enim corpora omnia unico prædita temperamento obſervantur. Neceſſarium etenim eſt, ubique multa ex variis conflata temperamentis reperiri, ſcilicet quæ ſanguinis, quæ pituitæ, quæ bilis, quæ melancholiæ naturam ſint adepta. quæ temperamenta ſequuntur cordis, hepatiſque temperaturam: ab his ſiquidem duobus membris univerſum corpus propriam nanciſci temperiem Gal. in lib, artis medic. teſtatum reliquit, vel etiam ab alterius illorum dominantis temperamento. Qua quidem ratione quale utriuſque membri, vel prævalentis temperamentum, atque habitus erit, tale obſervabitur in univerſo corpore. Quo fit, ut ſi alicujus cor heparque ſimul calidum humidumque tem-

temperamentum â nativitate obtinuerit, idem in univerſo corpore intueri ſit neceſſarium, idemque erit totius corporis temperamentum, quod in hepate cordis temperamento prævalente, vel in corde hepatis temperiem vincente, obſervabitur. Ex quibus dici non immeritò poteſt, Socrates conſtat calido humidoque temperamento, igitur vel utrumque ejus membrum, cor & hepar, erunt calida & humida, vel ipſorum alterum alteri prævalens, Corporis itaque totius hoc temperamentum prædictorum duorum membrorum, vel alterius altero prævalentis naturam ſequi eſt neceſſarium, veluti calidum & ſiccum, bilioſum cordis & hepatis ſimul, vel alterius alteri dominantis caliditatem & ſiccitatem. Et frigidum ſiccumque melancholicum, frigiditatem & ſiccitatem, frigidumque & humidum, pituitoſum, frigiditatem, atque humiditatem eorundem viſcerum, vel unius tantum, quod alteri prævalet, naturam ſequitur. Hæcque ſunt omnia compoſita corporum temperamenta, quæ à temperamento cordis atque hepatis ſimul, vel alterius horum alteri prævalentis, proficiſcuntur. Cum igitur univerſum aliquod corpus caliditate & humiditate conſtat, quod temperamentum ſanguineum dicimus, illius corporis utrumque ſimul cor, atque hepar calidum & humidum temperate aſſe, vel alterum illorum non temperate, ſed intenſe, ita, ut ſi cor ſit calidum & humidum diſtemperate, hepatis temperatam frigiditatem ac ſiccitatem ſuperare neceſſarium ſit, & eodem modo hepar, ſi hanc ipſum obtinuerit temperiem, ac cor ei obſtiterit. Si vero cor & hepar æque oppoſitæ fuerint naturæ, ita, ut cor tantum ſit calidum & humidum, quantum hepar eſt calidum ac ſiccum, atque è contra. temperiem corporis totius temperatam efficient; quod ſi cor caliditate hepar ſuperaverit, totum corpus tantum in caliditate excedet, quantus erit caloris cordis exceſſus ſupra hepatis frigiditatem; quemadmodum ſi exceſſerit hepar frigiditate cordis caliditatem, tantum fieret corpus frigidum, quantus erit exceſſus frigiditatis ſupra caliditatem cordis. Hæcque ſunt corporum temperamenta, modo nuper dicto à temperie cordis & hepatis prodeuntia, ac genita, quæ omnia non in uno, veluti neque illorum unum tantum tempe-

peramentum, in omnibus hominibus reperitur. Quod quamobrem ſit, id eſt cur omnia corpora non uno eodemque temperamento conſtent, ſed multis ac inter ſe variis, ex te nunc libenter diſcerem. GUILAND. Miror cur, cum tu ſis adeo aſtronomis addictus, hujus rei cauſam ab ipſorum obſervationibus addiſcere nolueris, quando omnes aſtronomi corporum naturas à cœleſtis ſchematis in hora nativitatis ſupputati obſervatione ſpeculentur. Conſiderant enim, quæ cœli facies, in ea hora, qua quis natus eſt, terris incumbebat; cœlum ſiquidem in duodecim partes dividunt, & in qualibet illarum (quas ipſi domus appellant.) conſiderant ſignum, quod ex duodecim cœleſtibus imaginibus ea hora reperiatur, atque ex erraticis ſtellam ibi ſimul inventam; ex horumque omnium, ſcilicet ex domo, ſigno, & ſtellis ibi ortus tempore obſervatis, judicium excipiunt, naturaſque hominum venantur à prima domo, quæ eſt orientalis cœli pars, & ex ſigno ac ſtellis, quæ in ea domo inventa fuerunt, vel eam domum reſpiciunt. Tuam itaque naturam calidam humidamque illi affirmarent, quoniam in tuæ generationis ſchemate libra aſcendens obſervatur, quam naturam ab eo libræ ſigno manifeſtari ajunt calidam humidamque temperatam, hincque etiam hilarem ac muſicæ non minuſque veneri deditum hominem ſignificari, à venere libræ domina; literarumque ſtudiis præſertimque aſtronomiæ, philoſophiæ, medicinæque operam te maxima delectatione deditum, Mercurius in nona domo in ſigno Geminorum clare judicabant; eodemque etiam in nona invento, nuper dictarum ſcientiarum cauſa te longiſſimas peregrinationes, faſtidioſiſſimaque itinera proſecuturum. Sed cur ego de te tanta ex aſtronomorum mente loquor, de quo exempli cauſa dicendum ſuſcepi, ut oſtenderem cum aſtronomis, hominum temperamenta, ac naturas ex ſigni natura, atque ſtellarum, orientis in prima cœli domo inventarum cognoſci. Sed iſtis cauſis, omiſſis aliæ ad hanc rem firmiores ac veriores ſunt indagandæ. ALPIN. Gratiſſimum mihi fuit ea ex te audiviſſe, quibus meam ad aſtronomorum obſervationem naturam retuliſti: quæ cum haud planè verum attingant, perge modo phyſice magis me docere, cur varii homines

nes inter ſe variis conſtent temperamentis, vel naturis. GUILAND. Qui de natura ſcripſerunt, in multis hominibus diverſorum temperamentorum, vel naturarum cauſas, verius, ac manifeſtius nobis demonſtrarunt. Namque Ariſtoteles omnium philoſophorum facile primus in lib. 2: de phyſico auditu affirmavit, Solem atque hominem, hominem ſanè generare, ut ipſe doceret, ad animalis generationem duo agentia eſſe neceſſaria, quippe agens proximum, atque remotum: proximum eſt homo, qui ut animal ad ſui ſimilis generationem, agit. Sol vero eſt una ex cauſis efficientibus remotis; quæ etiam concurrit ad eandem animalis generationem adjuvandam, & efficiendam. Agunt vero utraque in materiam bene diſpoſitam ad agentis formam introducendam. Tria itaque ad noſtrorum corporum generationem prima concurrunt principia, quarum primum eſt cœlum, utpote cauſa efficiens, ſub qua omnia cœleſtia corpora comprehenduntur. Secundum eſt homo, mas ſcilicet & fæmina. Tertium materia, ex qua homo generatur; id vero eſt ſemen humanum. Qualis igitur temperamenti erunt hæc generationis principia in homine gignendo, talis itidem homo genitus erit, quando perpetuo verum ſit, generatum generanti eſſe ſimile. Siquidem omne agens vel animatum, vel inanimatum, agit, ut ſibi ſimile generet, hincque quodlibet generatum erit ſimile generanti, & generans generato. ALPIN. Mihi non omnino hæc veritas manifeſta videtur, cum multi homines iis, à quibus geniti ſunt, haud planè ſimiles exiſtant. Plures etenim filii patribus ac matribus diſſimiles apparent; quod quidem non eſſet, ſi generata omnia, iis, quæ generant eſſent ſimilia, & generantia generatis. GUILAND. Aliam ſuſcepiſti nunc quæſtionem ſolutu non ita facilem, quam nunc ut diſſolvam, neque locus, neque occaſio de qua loquimur, expoſtulat. Multa tamen ſunt, quibus efficitur, ut generati hominis patris, ac matris fruſtretur ſimilitudo. Sæpe enim accidit fœtus ſimiles produci cuipiam vel viro, vel fæminæ in hora coitus imaginatis. Legitur mulierem ſæpe coeundo, Æthiopis nigri pictam figuram intuendo, atque imaginando tandem nigrum filium peperiſſe, Hincque affirmant mul-

Text. 26.

multi adulteras mulieres præ timore, ne à maritis in adulterio comprehendantur, aſſidua de illis dum coëunt, cogitatione filios maritis ſimiles parere. Ægroti itidem ſemen vitiatum habentes, ſimiles ipſis natos efficiunt. Semina etiam avorum vel aliorum conſanguineorum aliquando vim retinuerunt, â quibus ipſorum ſimilitudo in conceptis non rarò efformatur, atque exprimitur. Ceterum tametſi aliqua occaſione generatorum à generantibus figura deformetur, tamen natura generatorum (quam philoſophi intelligunt) nihil ab iis, quæ generant unquam mutatur. Quales enim erunt cauſarum ad generationem concurrentium naturæ, tales quoque erunt eorum conſtitutiones, quæ ab iis generabuntur. atque in hunc ſenſum non errat philoſophorum ſententia, quæ ſemper generantis & generati ſimilitudinem docet, ideo generans ſimile eſt generato, & generatum generanti naturâ, atque ſpecie. Præcipuum igitur agens eſt cœlum, ſub quo comprehenduntur omnia corpora cœleſtia, quod agit (ut Ariſtotelici ajunt) in hæc inferiora ſublunaria motu & lumine. In qua igitur orbis parte Sol, qui ex omnibus illis cauſis in hæc inferiora efficacius agit, majorem inducet calorem, generata omnia naturâ, vel temperamento calido referentur, atque ubi parum calefacit, minus etiam calida animantium corpora obſervabuntur. In qua re in primis occurrunt terrarum regiones conſiderandæ, locorum ſitus, annique tempora. Quicquid igitur temperatis in regionibus, & locis, ob ſitus rationem temperatis, atque ex anni temporibus in vere producetur, temperato procul dubio temperamento conſtabit, maximeque, ſi natura animalis utriuſque generantis, ſcilicet maris & fæminæ, temperata & ipſa ſimul fuerit. Semper enim in temperata regione, & loco, & in vere ex anni temporibus, homo à temperato homine proximo generante, genitus erit temperamenti temperati, idcirco ei ex quo ipſe genitus eſt, temperamento temperato erit ſimilis. Homo enim locum habitans temperatum, ſi temperati ſit unà temperamenti, & ex anni temporibus in vere hominem generaverit, ei naturâ, vel temperamento omnino ſimilem efficiet. Si vero iſt hæc omnia agentia inter ſe ſimul unico non conſtabunt

bunt temperamento, ſed potius invicem diſcrepabunt, non omnino generati generantibus cauſis ſimilitudo reſpondebit. Similitudo ſiquidem naturæ id quod aliis præſtabit abſque dubio ſequetur. Ut ſi exempli gratiâ, quiſpiam ex patre naſcitur temperato, ſed in cœlo minus temperato, naturâ ſimilis magis patri quàm cœlo, erit. Siquidem in generatione magis poteſt agens proximum, & particulare, quàm remotum & univerſale: quam ob cauſam quando agens proximum, & agens remotum inter ſe differunt. proximum ferè ſemper ſuperabit remotum, ubi præſertim vis agentis remoti non ita ſit præpotens, ut poſſit vim proximi agentis ſuperare, veluti exempli gratia, ſi daretur aliquis, qui temperamento natus temperato, in Æthiopiæ maximis caloribus hominem generaret, abſque dubio hominis illiuſce generantis natura vinceretur à vehementiſſimo illius regionibus calore, ibique natus ob id homo magis cauſæ efficienti, videlicet cælo, quàm proximo agenti quippe patri, temperamento ſimilis conſtituetur. Quando igitur omnia generationis principia ſimul in una natura inter ſe conveniunt, efficiunt partus eis omnino ſimiles: ac illis inter ſe diſſidentibus geniti ſimilitudo illud ſequetur, quod aliorum vires ſuperabit. Hinc colligo homines multis variiſque conſtare temperamentis, ob variam principiorum vel cauſarum ad generationem concurrentium vim, atque potentiam: etenim ex patre calidi temperamenti homines orientur, eodem itidem temperamento præditi, niſi cœli prævalida frigiditas patris temperamento calido obſtiterit. Nam ea immoderata ob regionem, vel locorum ſitum, vel anni tempus hybernum exiſtente, homines temperamenti potius calidi, quàm frigidi producentur. Atque ſi pater & cœlum calidi fuerint temperamenti vel frigidi, ſoboles calidam vel frigidam itidem naturam præ ſe feret. Si vero paterno ſanguine calidi exiſtente temperamenti, cœli obſtiterit frigiditas non multa, homines geniti potius calidi, quàm frigidi erunt temperamenti. Et è contra, ſi homo generans frigidi temperamenti ſit, in cæloque moderate calido, generabit hominem quoad temperamentum frigidum. in cœloque immoderate calido, calidum efficiet.

Hæcque erit naturarum temperamentorumve diverſorum in hominibus ratio. Alpin. Næ tu omnia, quæ ad temperamentorum varietatem explicandam rationem attinet, doctiſſime atque accuratiſſime comprehendiſti. Et niſi materia medica Ægyptiorum nos breviores eſſe cogeret, cuperem ex te etiam hac eadem de re uberiorem ſermonem haberi. De quibus ego in libris de prævidendis morbis Cayri conſcriptis multa literis tradidi. Unum tamen hic non eſſe prætermittendum cogito, quippè corpora in lucem cum prodeunt, vel ſtatim enixa, uterumque egreſſa, ex ambientis qualitate vel temperamento multum alterari, ita, ut corpora infantium habitus rariſſimi, ab aëre alterata facile accedant ad aëris temperamentum. Cum per poros cutis facile ambientis qualitas ad viſcera permeet, ipſaque ad ſuum temperamentum alteret. Hoc utique verum eſſe, id nobis perſuadere poteſt, quòd varia anni tempora, cujuſlibet ætatis corpora uſque adeo alterant, & mutant, ut ſuſcepti ab ipſis temporibus anni temperamenti, varia humorum redundantia clariſſimum ſit argumentum, hyeme corpora, quòd ab aëre frigido alterentur, & mutentur, frigidos humores gignere, ac coacervare, & vero ob aërem temperatum, ſanguinem, Æſtateque bilem, ob caliditatem, & Autumno melancholiam, ob frigiditatem & ſiccitatem. Itaque ſi perfecta adultorum corpora, denſiſſimæ cutis, uſque adeo ab aëris mutationibus alterentur ac mutentur, quid in tenellis corporibus infantium continuò ex utero egreſſis fieri judicabimus? Ipſa videlicet quamplurimum ab ambientis qualitate alterari, & mutari. Quod non videtur uſque mulierculis eſſe ignotum, aliquando dicentibus, homine in hyeme nato à frigoreque facile patiente, mirum non eſt, ſi hic homo ita à frigore multum ac facile patiatur, quando in lucem proditus hyeme fuerit. Quamobrem exiſtimo, corpora ſtatim enixa à cœlo maxime alterari ac mutari, præſertimque ſub calidiſſimo cœlo nata. Vehementiſſimus etenim aëris calor, quocumque modo fiat, remediis, quibus moderetur atque contemperetur, omnino vacat. Cujus quidem rei ego in æſtivis Ægypti caloribus certum periculum feci. Frigido vero aëri multa ubique ſunt, quæ opponuntur, ab

ipſo-

ipſoque corpora defendunt. Ob quam rationem in calidiſſimo aëre orti, quin à calore multum alterentur, & mutentur, defendi nequeunt. Quod multò facilius fiet, ſi ex homine calidi temperamenti etiam geniti ſint. Si vero à frigido mare, atque fæmina gignantur, ambiens calidus aër eos reddet ad temperiem minus frigidam. Et qui ex calido ſemine, ſive patre matreque geniti in lucem eduntur ſub cœlo frigido, quum ex calido proximi agentis hominis, & frigido agentis remoti cœli medium quoad temperiem exurgere ſit neceſſarium, temperatiori natura obſervabuntur. In calido vero cœlo, iidem fient calidiſſimi. In aëre vero frigido inopes tantum alterantur ac mutantur, cum divites igne, pellibuſque à frigore liberos defendant. A caliditate vero omnes patiuntur, contra quam nullum hactenus validum remedium inventum eſt. Ceterum his auditis, de illorum corporum, qui Ægyptum habitant, temperaturis, atque habitus jam loquamur. GUILAND. Ex cœli Ægyptii ratione, atque ex incremento Nili fluminis, unà cum Septentrionalium ventorum flatu, qui per æſtatis calores percipitur, aërem calidum ſiccum, inæqualem, tenuiſſimumque eſſe ex te audivi, neque in omnibus locis uniformem: quando aër locorum propè mare poſitorum longe minus ſit, valdeque craſſus. qui quoad humiditatem & ſiccitatem temperatus eſt. In locis verò longe à mari poſitis aër calidior & ſiccior exiſtit, ſubſtantiæque tenuioris. Ex quibus ratione cœli illorum quidem corpora, ob temperatum calorem, atque humidum, temperata, ſanguinea, habituſque moderate carnoſi & pinguis, horum verò calidiora, ſicciora, bilioſa, graciliorifque habitus eſſe colligimus. Quod tamen agentis tantum remoti ratione judicatum, niſi proximum quoque concurrat, non erit credendum; proinde de illorum hominum proximo agente, de homine ſcilicet mare atque fæmina, ibi ad generationem proxime coëuntibus, tempeſtivum eſt te nunc loqui: ALPIN. Audita locorum Ægypti, quoad temperamentum, diverſitate, atque probè habitantium illorum loci ratione perſpecta, unaque illarum naturarum diverſitate, quæ in illos, aëris temperamenti ratione obſervari deberet, quæ tamen à proximo, tum agente, tum à

potus, ciborum, dulciumque balneorum & veneris uſu mutatâ non obſervatur, de Cayrinæ civitatis hominibus agam, (idemque de aliis loca longè à mari poſita, habitantibus, erit intelligendum, quod de ipſis nunc à nobis dicetur.) de ipſorumque temperamento, atque habitu loquar, quando à cognita ipſorum temperie, atque habitu, haud difficile aliorum locorum mari adjacentium hominum, & temperamenta & habitus intelligemus. Sunt vero ii populi triplicis differentiæ, ut etiam aliàs dictum eſt, ſcilicet urbanorum, qui in urbe degunt, Arabum extra urbem ſub tentoriis habitantium, atque demum ruſticorum, terræ cultui incumbentium. Primi corpora in caliditate, atque humiditate temperata obtinent, multi ſanguinis, habituſque bene carnoſi & pinguis. Secundi, ſcilicet Arabes, corpora bilioſa, gracilia; Demum ruſtici ſqualidis corporibus præditi ſunt, quæ melancholica exiſtunt, quòd à Solis caloribus exurantur. Quamobrem ſingulos hos homines inter ſe ſeminis differentiam habere diverſitati temperamentorum reſpondentem, hinc colligi debet. Civium enim ſemen, quoad caliditatem & humiditatem, temperatum erit: Et Arabum calidius, ſicciuſque ac bilioſius, atque Ruſticorum frigidius, ſiccius & melancholicum. Hæcque eſt illorum ſanguinis diverſitas, quæ tamen nunc ob aliorum populorum permiſtionem haudquaquam perſpicitur. Guiland. Ab advenis fortaſſe, qui illuc ex aliis regionibus commigrarunt, illorum ſanguis permutatus eſt, apud eos facta multiplici Imperii permutatione. Extant advenæ multi, qui illuc ex quamplurimis locis, cum Ethiopiæ, tum Abiſſiæ acceſſerunt; præſertimque mulieres mancipiæ, quarum utriuſque regionis numerus fermè ibi infinitus exiſtit. maximeque ex Abiſſiæ locis advecta. Hæ ſiquidem eam habent pulchritudinem & gratiam, ut longè cariori pretio venundentur, quàm omnes aliarum omnium regionum. Neque Ægyptii eas ad domorum obeunda opera emunt, ſed pro veneris uſu. Quam Ægyptii ſanguinis mutationis cauſam minime ſpernendam exiſtimo, quod ex te an ſit verum melius audire expecto. Alpin. Veris Ægyptiis, (Chriſtianis exceptis) nunc tota ea regio ferè penitus caret. Quorum pleri-

rique ſanguinis temperamento dignoſcuntur. Fuere autem, ut à multis audio, antiquitus temperiei calidioris, atque ſiccioris, quippè bilioſæ, ſed tum aquæ fluminis Nili, tum frigidorum ciborum aſſiduo uſu corporibus ad frigidum mutatis, tale temperamentum illos accepiſſe à multis proditum eſt. In aliis vero ſanguinis major varietas videtur, quando & urbani omnes Ægyptii ſanguinem permiſcuerint mulieribus, Arabibus, Turcis, Syris, Dameſcenis, Græcis, Italis, Slavonicis, Ungaricis, Pruſſis, Tartaris, Abiſſinis, Æthiopibus, & in omnibus Africæ locis Ægypto proximis ortis, in venere uſi. Sunt præterea ibi, ut aliàs dictum eſt, homines etiam plurimarum nationum, qui cum omnium locorum mulieribus coëeuntes, ſanguinem illum evariant. quem neceſſariò varium quoque ſequitur temperamentum. Sanguis etenim Ægyptiorum ſanguini Turcarum, Armeniorum. Ungarorum, Tartarorum, Sclavorum, Aſſyriorum, Græcorum, Italorum, aliarum ſimilium nationum cœlo minus frigido utentium permiſtus, temperamentum conſtituit temperate calidum atque humidum, ſanguineum, & cum Ægyptii, Arabibus, Barbaris, Abiſſinis, Æthiopibus, atque iis, qui Ægypti partem ſuperiorem habitant, quam Sahit illi appellant, miſcentur, calidum, ſiccumque bilioſum, atque aduſtum ſanguinem reddunt. Duo itaque videntur eſſe illorum corporum temperamenta, quæ omnibus illis dominantur, ſanguineum ſcilicet vocatum, atque bilioſum. Quæ illorum temperamenta maxime permutat ipſorum frequentata victus ratio, ut ſæpiſſime hactenus à nobis traditum eſt. Uſu etenim potus illiuſce optimæ aquæ, ciborumque vim refrigeratoriam habentium, dulciumque balneorum, corpora ſumme bilioſa contemperantur, ſanguineaque evadunt, & ſanguinea ab his, pituitoſa fiunt, calore quippè hepatis refrigerato. Pituitoſis vero ea vivendi ratione utentibus, majori facta caloris refrigeratione, valde humidum, atque frigidum temperamentum ſuccedit; hincque Mulieres, Eunuchi, & provectioris ætatis multi, pinguiſſimi ibi hac ratione facti conſpiciuntur. Quamplures ibi reperiuntur naturæ temperatæ, ac multi ſanguinis, præterea intempera-

ratæ ad frigidum, ex multa pituita. Non paucique ad calidum, ex multa bile, ac ad frigidum, per aduſtionem ſanguinis, in melancholiam vergentes, ut in quamplurimis Ethiopum, Arabum, Ruſticorumque viſitur. Atque hæc de universa illorum corporum temperie à nobis dicta ſint. Addo, ſtomachum ferè omnes imbecillum, frigidum ex nuper dicto vivendi modo obtinere, atque ex cœlo ſummè calido, quo utuntur, calore aëris calidiore nativum diſſolvente, ad extimaſque partes evocante: ut æſtate in noſtris fieri corporibus obſervamus; atque ab immodico uſu veneris, qui quantùm ſtomachum refrigeret, debilitetque, non eſt alicui noſtrum immanifeſtum. Ad has cauſas illorum ventriculum labefactantes, acceſſit adhuc larga, ac crebra apud eos frequentata ſanguinis miſſio. Quæ quidem quomodo illis conducat, & quomodo etiam officiat, poſterius conſiderabimus.

## Cap. III.

### *In quibus morbis Ægyptii ſanguinis miſſione utantur, atque in quibus corporibus.*

### GUILANDINUS.

Posteaquam tu illorum corporum temperamenta, atque habitus ita accurate complexus es, nunc opportunum eſt, ut ad evacuationem ſanguinis apud ipſos conſuetam redeas, deque hoc medico præſidio nunc loquaris: quandoquidem ita familiariſſimum omnibus auxilium eſſe dixiſti. In primis verò ſedulo à te narrari cupio, quibus morbis eo auxilii genere ipſi occurrant; cum enim magnum ſit remedium, atque in magnis tantum morbis, ut Hippocr. atque Gal. docuerunt, expetitum, eos in iis tantum curandis illo uti debere arbitror. Alpin. Uſque adeò familiaris apud ipſos facta eſt ſanguinis miſſo, ut non modo in omnibus acutis magniſque morbis, verum in parvis quoque non minus eam adhibeant. Cujus inſtituti cauſa videtur eſſe, ut nuper etiam dictum eſt, ea, quæ ab illis omnibus corporum omnium fere illorum putatur eſſe plethora, ſive ſangui-

guinis redundantia, atque etiam, quoniam ipſi hoc auxilii genus multum refrigerare experiuntur, idcirco omnibus ferè morbis opportuniſſimum id remedium arbitrantur, quando certiſſimum ipſis ſit, ibi omnes morbos, ac ſymptomata, cœli calidioris, corporumque illorum ratione, à calida cauſa præcipue pendere. Sed ut particulatim rem colligam ac perſtringam, dico eos confugere ad miſſionem ſanguinis in omnibus putridis febribus, peſtilentibus, & non minus in variolis, puncticuliſque peſtilentibus, atque in omnibus internis inflammationibus, ſcilicet, phrenitide, atque in ea phrenitidis ſpecie, quam Dem el muja illos vocare diximus. ſæpiſſimeque in lethargo, in Angina, pleuritide, peripneumonia, hepatis, lienis, ventriculi ſepti tranſverſi, inteſtinorum, tenuium, uterique inflammationibus. In externis non minus copioſâ utuntur ſanguinis vacuatione, præſertimque in eryſipelate quamcumque corporis partem occupante, ſed præcipue caput. Oculorumque in lippitudinibus, opthalmiiſve, gingivarum, colli glandularum, faucium, linguæ, in omnibus inflammationibus, parotidibus, bubonibus, carbunculis, cancris, aliiſque omnibus tumoribus ortum à calidis humoribus, ducentibus, atque non minus in omnibus ab iiſdem ſuccis obortis ulceribus. Idemque etiam præſtant in maximis doloribus capitis, oculorum, gulæ, aurium, dentium, pectoris, inteſtinorum, renum, crurum, articulorumque omnium, ſi modo non à flatulento ſpiritu, vel à frigido humore illi oriantur. Sæpe etiam in ſanguinis profluvis, alvique dyſentericis fluxionibus. Pariterque in convulſis, epilepticis, vertiginoſis, reſolutis apoplecticiſque, ac in immoderatis vigiliis, & in omnibus amentiis, in obſtructis, hydropiciſque in principio multis. Cardiacis, hypochondriacis, leproſis, elephanticiſque, atque ferè in omnibus aliis morbis, vel ſymptomatis, quæ humana corpora invadere ſolent, copioſam, frequentemque exercent ſanguinis miſſionem. In quam plurimis etiam corporibus ſanitatis tempore, ad alios morbos præcavendos id audent. Quam ſanè evacuationem in omnibus corporum temperamentis, habitibus, ætatibus exercent, nullaque præcautione, quam obſervandam in hac evacuatione omnes

nes docti medici docuerunt. Atque nihil minus ab aſſumpto cibo ſanguinem vacuare moliuntur. GUILAND. Nunquid miſſionem ſanguinis etiam frequentant in gracillimis illis ſqualidiſſimiſque corporibus, quæ ſemi-tabida videntur, ac in pinguibus, mollibus, maximeque in mulieribus, atque Eunuchis: & non minus in pueris & ſenibus, abſque debita providentia omnium, quæ obſervanda ſunt, ut iſtud præſidium conferat? Sed qua tandem illi proviſione pro miſſione iſthac ſanguinis utuntur? ALPIN. Cavent multi illorum, cum mittere ſanguinem cogitant, ne corpora jejuna ſint, atque hic ab aſſumpto cibo mittere ſanguinem plerique ſolent. Minimeque, ut noſtri medici in praxi, qui non immeritò animadvertendum cenſent, ſanguinem educturi, ne crudi humores in ventriculo, cibuſque ſit inconcoctus; itaque prius lenienti aliquo pharmaco, vel clyſtere purgatorio, alvum lenire fæceſque educere nituntur, vel diætam tenuiorem imponunt, ut rectè cruditates concoquantur & expellantur, ne ab emiſſo ſanguine è ſtomacho in venas
Cap. 5. rapiantur. GUILAND. Galen. in lib. 9: meth. med. ait: *Si præcedat ciborum cruditas, tantopere differre venæ ſectionem jubebis, quantum ſatisfacere, tum ad eorum concoctionem, tum, ut excrementa deſcendant, videbitur.* Atque in multis locis præcepit, ante miſſionem clyſterem purgantem præmitti oportere, ut ne evacuato ſanguine cruditates in ſtomacho, atque in primis venis contentæ à venis rapiantur, atque in univerſum corpus excipiantur. Nunquam enim crudo cibo exiſtente in ventriculo
Cap. 5. mittendum eſſe ſanguinem voluit, quod in lib. 6. de ſanit. tuend. docuit. Quid? illine hæc in molienda ſanguinis vacuatione obſervant? ALPIN. Pauciſſimi ſunt, qui priuſquàm mittere ſanguinem inſtituant, velint differre venæ ſectionem vel ſcarificationem, quouſque ſtomachi, primarumque venarum cruditates vel concoctæ, vel aliquo clyſtere, vel medicamento eductæ ſint. quinimò (quod poſterius audies) à cibo multi ſanguinem detrahunt, ut etiam nunc dictum eſt. GUILAND. Illos in iſthac ſanguinis evacuatione minime rectè ſe gerere, ſed potius multum in ipſa exercenda errare, cogito. Ea iſti ſpe in omnibus ferè morbis ad miſſionem ſanguinis confugiunt, ut quampri-

primum ad eam ruant, utentes illa tum copioſius, tum crebrius, tum inordinatius quàm deceret pro morborum curandorum ratione, atque etiam corporum temperamentorum, habituum, atque ætatum ulla habita conſideratione. ALPIN. Quo pacto exiſtimas ìpſos in hujuſce præſidii uſu multum errare, quando pro certo habeant, non modo verum non eſſe; quinimo magis omnes, qui in mittendo ſanguine non eo modo ſe gerunt, errorem committere aſſerant. Si itaque, vir doctiſſime, quomodo hac in re errent, demonſtraveris, ego illorum partem defendendam, tum diſputandi, tum aliquid ex te diſcendi cauſa recipiam. Mihi non minus utile, quàm ſumme gratum erit ex te illorum errores, quos in uſu miſſionis ſanguinis committunt, nunc audire. GUILAND. Operam dabo, ut tibi hac in re omnino ſatisfaciam, & illos, quantum potero, reprehendendo, ipſorum errores tibi manifeſtos ac planè notos reddam.

## CAP. IV.

### *Ægyptios errare, nimium frequenti, & copioſæ ſanguinis evacuationi indulgentes, & in pueris mittentes ſanguinem.*

### GUILANDINUS.

MEDICOS Ægyptios multifariàm in frequenti ſanguinis largioris evacuatione, plurimum errare, atque à veris medicinæ fundamentis deſciſcere, facile demonſtrabitur: quando ſæpe mittere ſanguinem, atque copioſius non niſi eos juvet, qui immoderata ſanguinis copia gravati, magnum futurum morbum expectant. Alia vero corpora omnia, quæ neque immodica ſanguinis copia redundant, neque ab ejus plenitudine magni alicujus futuri morbi occaſionem ſubeunt, non modo eâ non juvantur, quinimò valde læduntur, quoniam inde immodice nativus calor diſſolvitur, quo reſoluto, quis ignorat, omnes totius corporis functiones lædi? Quod apud Galenum in lib. de Cucurb. & ſcarif. his profectò verbis legitur: *Eodem nam-* Cap. 4.

N *quo*

*quo anno venam frequenter incidere, minime quidem rationi conſentaneum arbitramur: quandoquidem cum larga ſanguinis copia vitalis quoque ſpiritus emittitur, quo ſanè abſumpto, crebrius quidem moles univerſa frigeſcit, tum animales functiones omnes deteriores redduntur.* Omnia verò illorum populorum corpora non ita multo ſanguine abundare (etſi Ægyptii id arbitrantur) ut ſæpe in morboſam plenitudinem incidant, manifeſtum eſſe arbitror. Quod cum ſit, neceſſe eſt à crebra copioſaque ſanguinis miſſione illa offendi. Nec illi accolæ omnes temperamento apto ſanguinis evacuationi cernuntur; etſi multi, in quibus amplæ venæ cernuntur, quique ſunt modice graciles, neque candidi, neque tenera carne præditi, ibi exiſtant, quos copioſæ ſanguinis evacuationi ceteris aptiores eſſe Gal. in lib. de curan. rat. per ſang. miſſ. memoriæ prodidit. Quibus non ita damnanda ſanguinis miſſio videtur, tamen plurima corpora etiam ibi exiſtunt, ut tu nuper ennarraſti, maxime craſſa, & pinguia, qualia omnium Eunuchorum exiſtunt. Præter eunuchos plurimos ibi, tum mares, tum fæminas reperiri habitu quàm craſſiſſimo & pinguiſſimo aliàs dictum eſt. Sunt etiam nihilominus multa corpora gracillima, nigra, ſicca, & ſqualida pauciſſimi ſanguinis, quibus quamcumque ſanguinis miſſionem nocuam eſſe quiſque noſtrum affirmabit. Præterea illud accedit, quod in omnibus fere iis corporibus, quorum temperamentum in multo ſanguine ſitum eſt, caro mollis eſt, rariſſimæque cutis, ob frequentiam dulcium balneorum, quibus ſæpiſſime eos uti diximus. Itaque non poſſum uſum mittendi ſanguinis apud illos, ita frequentatum planè laudare: ſiquidem, ut dixi, in cœlo calido, ſub quo degunt, multa ex illis corporibus, præſertim Eunuchorum, aliorumque plurimorum, qui pinguiſſimo habitu, molli ac raro præditi ſunt, minime commode talem evacuationem ſuſtinere poſſe judico; Quare non niſi in magnis morbis illi medici neceſſitate coacti, deberent ad ſanguinis miſſionem accedere, atque etiam ea in pauciori quantitate uti. Idemque in gracillimis nigris, ſqualidioribus multis Æthiopum, Arabum, Ruſticorumque corporibus faciendum cenſeo. ALPIN. In pleriſque illorum corporum, quæ tem-

temperamento ſunt, vel pituitoſo vel melancholico exuſto, (quorum numerus Cayri extat non parvus,) aut habitu pingui, teneraque carne, vel etiam arido & gracillimo, errare illos medicos, ita copioſe ſæpius ſanguinem mittentes, mihi planè obſcurum non eſt, quando hæc corpora ſanguinis miſſioni inepta ſint; at non modo hæc ea ſanguinis miſſione juvari non poſſe cogito, ſed neque alia etiam, quæ multo ſanguine redundant. Huncque mittendi ſanguinis uſum apud illos frequentatum, abuſum voco. Sed quid tu cenſes de uſu mittendi ſanguinis vel in pueris, atque non minus in infantibus apud omnes ita frequento? Hanc etenim evacuationem, quamquam Arabes multi præclariſſimi medici non omnino abhorruerint, tamen à Galeno aliiſque in Græca ſchola medicis omnino prohibitum eſt, ne in pueris ante annum decimum quartum ullo pacto ſanguis mittatur. GUILAND. Certiſſima, atque omnium non modo antiquorum Græcorum, ſed noſtrorum etiam recentium communiſſima ſententia, in pueris ante illud tempus non eſſe ſanguinem educendum, quocumque etiam magno, atque acuto morbo correptis. Majorem etenim noxam ab emiſſo in pueris ſanguine eſſe, quàm ſit utilitas, quæ eam evacuationem conſequitur: eo quod corpora illorum ſubſtantificæ humiditatis; naturaliſque caloris reſolutioni valde ſunt obnoxia, cum humidiſſima, molliſſimaque carne conſtent. Quod in lib. 9. meth. med. Gal. his verbis ſcriptum reliquit, dicens: *Puerorum ergo ſubſtantia omnium facillime digeritur, ac diſſipatur, propterea quod eſt omnium humidiſſima: nulla vero frigidior. Quo minus vacuantis præſidii eget, cum habeat ex ſe ipſa, unde naturaliter evacuetur.* Tanta itaque ab emiſſo ſanguine in pueris pertimetur futura exolutio virium, ut quàm facillimo negotio à morbo ipſi vincantur. Quam ob cauſam Gal. ſanguinis miſſionem iis, in lib, de curandi rat. per ſang. miſſ. interdixit, ita dicens: *Hac ratione nec pueris venas tundes uſque ad decimum quartum ætatis annum, poſt quem ſi multus congeſtus ſanguis appareat. tempuſque anni vernum fuerit, regioque naturâ temperata, & pueri naturâ bene ſanguineâ, ſanguinem minues; multoque magis, ſi aut peripneumoniæ, aut anginæ. aut pleuritidis, aut alterius acuti graviſque morbi peri-*

Cap. 7. [margin, beside "Quod in lib. 9. meth. med."]
Cap. 13. [margin, beside "Quam ob cauſam Gal."]

*riculum incumbat.* Idem fere ſcripſit in lib. 4. comm. de vict.
text. com. rat. in morb. acut. ita inquiens: *At certè pueri quamquam vitali*
9. *facultate valeant, tamen neque hi ſanguinis ſuſtinent miſſionem.* Promptè enim eorum ſubſtantia, tum propter humiditatem, tum propter temperamenti caliditatem evaporatur. Atque in lib. 11. meth. med. præcepit in juvene annum ſuæ ætatis decimum quartum non excedente, etiamſi ſynocho invaſus ſit,
Cap. 14. non eſſe ſanguinem mittendum. Quamobrem ex Galeno colligitur, eos medicos in pueris mittentes ſanguinem ſatis aperte errare, à veraque medendi ratione deflectere. ALPIN. Neque tamen ita ſtatim eos accuſatos hac de re vellem, quando neque Ægyptii carent rationibus ab experientia, atque ratione deſumptis, quibus contraria defenditur illorum ſententia. GUILAND. Forſitan illorum aſſidua, quam cum ipſis habuiſti Cayri, conſuetudo, atque familiaritas, ita eos tibi in gratiam reduxit, ut ſummos ipſorum errores non videris, neque cognoveris. Sed te commoneo, & hortor, ne tantam medicorum turbam, ita manifeſtos illorum errores defendendo, in te concites: vereor enim, ne male contra illos hunc errorem poſſis defendere. Siquidem ſi nobis ceteræ deeſſent rationes, nonne ſat eſſet authoritatem tanti medici Galeni, quæ illis omnino adverſatur, tibi ante oculos ponere, qui expreſſè miſſionem ſanguinis in pueris damnaverit? ALPIN. Profecto magis adduci debeo, ut Galenum ſequar, quàm illius regionis medicos, quibus cum, ſi dum in ea regione morarer, familiarem conſuetudinem habui, nihilominus à Galeno artem medicam didici, tamen non amicos in ſcientiis ſector, ſed veritatem, cui ſemper adhæreo. At ſi potes me pauca dicentem audire, auſculta, quæ Terentius in Adelpho comœdia his verbis nos docuerit, dicens: *Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, uſus ſemper aliquid adportet novi, aliquid moneat, ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias, & quæ tibi putâris prima, in experiundo repudies.* Ita nobis fortaſſè accidere poterit, ut multa artis medicæ dogmata vera eſſe putaverimus, quæ mox falſa, atque ab artis ratione aliena agnita fuerint. Hoc auxilium in pueris totius Arabiæ, Æthiopiæ, Abiſſiæ, Ægy-

ptique

ptique eſt familiariſſimum. Quod verum eſſe conſtat ex hominum illorum relatione. Qui uſus in iis mittendi ſanguinis ſi error à noſtris judicetur, errare procul dubio ſit affirmandum totius Ægypti, Arabiæ, Abiſſiæ, Æthiopiæ, quibus hoc remedii genus eſt familiariſſimum, omnes medicos. Ni enim ii aliquid utilitatis ex illo præſidio in pueris tanto tempore cognoviſſent; vel clarius, ſi ex ea ſanguinis in pueris adhibita miſſione damnum aliquod accidere longa & antiqua illa experientia ipſi didiciſſent, tot ſæculis, atque luſtris in omnibus illarum regionum locis, uſque in hanc diem illam non frequentaſſent. Cayri dum eram, & poſtea Baſſani, poſtquam ex Ægypto in patriam me contuli, multos vidi, quibus meo juſſu ſanguis miſſus fuerat, à quamplurimis acutis morbis curatos. Tandem colligo, atque confirmo, in univerſa Ægypto medicos uti in pueris ſanguinis miſſione, idque non parva ſemper cum utilitate. GUILAND. Cuperem nunc te nuper dictorum eſſe memorem, quando nuperrime utrique in id convenimus, ut medicos illos valde culpandos cenſeremus, qui in iſto mittendi ſanguinis uſu ita facile ac frequenter labantur, non in pueris modo, in quibus omnis ſanguinis miſſo, ob ipſorum humidiſſimam ſubſtantiam, atque habitum facile evaporabilem, magis deteſtabilis videtur, ſed in adultis etiam. Cur igitur nunc ſtudes mihi ſuadere illorum antiqua etiam experientia in pueris, in quibus major erroris, ac manifeſtior creditur eſſe occaſio, non errare, ſi mittant ſanguinem, cum eoſdem in adultis nuperrime errare dixeris? Ceſſa igitur id amplius aſſerere, ne ita levi occaſione tentes contra te tantam noſtrorum medicorum turbam concitare, quam profecto recte noſti non modo non probare hoc auxilium in pueris, ſed maxime abhorrere. Quando ad mittendum ſanguinem etiam in juvenibus ſint difficillimi. Quamobrem longè melius conſulo, ut de ſanguinis in pueris miſſione, juxta illiuſce populi placita, opinionem, & conſilium, ſuſceptumque ea de re ſermonem dimittas, atque ad alia narranda accedas. Siquidem ego miſereor tui, qui tantos medicos facias inimicos tibi. ALPIN. Quinimò ſuſceptum ſermonem, ego proſequi cupio, quòd non arbitror illos medicos tam grandem erro-

rorem, ut tu atque alii putant, committere, in aliquibus pueris acute ægrotantibus, ſi ſanguinem aliquando demant. Quam in his miſſionem, etſi Gal. non laudaverit, aliis etiam præclariſſimis viris in arte medica, ut Raſi, Haly, Avenzoar, Avicennæ, Celſo, ſecus perſuaſum eſt. Guiland. Gaudeo te in hanc eſſe ſententiam, quoniam, ut hoc mihi rectè perſuadeas, ſpero te omnes in medium rationes laturum, quibus miſſionem ſanguinis in pueris eſſe faciendam, Ægyptii ſtatuerint; proinde illas ex te audire nunc deſidero. Permagnum erit, quamplurimis Eraſiſtrateis medicis illud te poſſe perſuadere, mihi vero, qui cum Ægyptiis etiam ſentio, quàm facile perſuadebitur.

## Cap. V.

*Ægyptios medicos non errare, ſi in pueris, qui morbis acutis corripiuntur, aliquando ſanguinem mittant.*

### ALPINUS.

Nemo eſt, qui neget, medicum eſſe naturæ imitatorem, atque ipſam ob id medendo ſemper, quantum fieri poteſt, ſequi, atque imitari debere. Quod ſatis erit pro præſenti re, in noſtrorum corporum evacuationibus, atque purgationibus oſtendere. Siquidem cum obſervaſſent medici naturam ſæpiſſime, nullo medico auxilio adhibito, multos homines febre vexatos, excernendo humorem, à quo febris illa orta fuerat. per alvum, vel vomitu, vel per urinam, vel per ſudorem, vel ſanguinis eruptionem ex naribus, aut ab hæmorrhoidibus, aut ab utero, aut ex alvo factam, ſanaviſſe; ideo & ipſi à naturæ expulſionibus exinde perdocti arte uſi ſunt, ad educendos humores, à quibus ortæ fuerunt febres. Alii verè, ſectis venis, aut cute ſcarificata cum obſervaſſent ſæpius naturam, ea ratione ægrotos, vacuata multa copia ſanguinis, in priſtinam ſanitatem reſtituiſſe, ſanguinem & ipſi mittere tentarunt, atque etiam eadem copia, qua ſæpe obſervarunt ſanguinem criti-

ce à natura excretum fuiſſe. Aliique purgatoriis pharmacis alvum ſubducentibus humores, à quibus morbi originem duxerant, purgare ſtuduerunt. Atque alii medicamento, urinam atque ſudorem exſiccare. Nonnulli etiam per inſenſibilem evacuationem, idem præſtant. Exemplum habetur apud Hippocratem in quo ſcripſit: *Lippientem alvi profluvio corripi bonum*, Aphor. 17. & Gal. in comm. ait: *Eſt autem & hoc apud ipſum exemplum unum eorum, quæ ſponte & utiliter euacuantur, quod medicum imitari oportet*, & proculdubio ſic etiam omnes faciunt, in lippitudinibus alvum & clyſteribus, & purgationibus ſubducentes; omnes verò evacuationes, quas natura critice, ut medici appellant, operatur, bonas eſſe in dubium non eſt revocandum, hincque non minus eaſdem arte medica paratas, idem facere. dicendum eſt. Nam dicebat Hippoc. in 1. lib. aphor. *In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontaneis, ſi talia purgentur qualia purgari oportet: confert, & leviter ferunt, ſin minus contra.* Aphor. 2. Omnes enim excretiones à natura non coacta factas optimas eſſe, ægrotiſque ſalutares, veriſſimum eſt, eodemque etiam modo arte factas, modo eas, quas natura recte operatur, hæ rectè, & ex arte imitentur. Quibus poſitis, quis quæſo neget, à natura factas criticas evacutiones & purgationes, eandem vim habere in ægrotis pueris, juvenibus, adultis, ſenibus, mulieribus, virginibus, nuptis, viduis, atque in qualibet regione, loco, anni tempore atque conſtitutione aëris; neque ob ætatis, temperamenti, ſexus, cœlique diverſitatem ab ipſis evacuationibus, purgationibuſque differentem eſſe utilitatem dici poterit; quod ſi diceretur, à veritate eſſet alienum. Nam alvi profluvium in omnibus cujuſvis ætatis, temperamenti, ſexus, cœli, lippientibus bonum erit, quoniam in illis omnibus oculorum inflammationem, opthalmiam vocatam, ſolvet illa purgatio. Ita Hippocrates in 2. lib. prognoſt. docente, *in omnibus acutis, periculoſiſque pulmoniis correptis, omnes abſceſſus in cruribus facti boni erunt judicandi.* Atque omnibus etiam acutis febribus afflictis omnes ſudores critici utiles exiſtunt, qui omnes profectè, tum pueros, tum viros, tum ſenes; tum fæminas ubique rectè judicant, atque ab his febribus liberant,

qua-

quales ab Hippocrate (veluti apud ipſum legitur in libris epidemicis) in Cleonactide Methone, Muliere trimeſtri fœtu gravidâ, Melidia in Dealciſque horto decumbente, Chærione, Pericle, Virgineque Abderæ, Anaxione, Muliere Moroſa, Virgineque Lariſſæ fuere obſervati. De ſanguinis vero evacuatione, vel eruptione in morbis, Hippoc. in 4. de vict. rat. in morb. acu. ait: *Et ſi ex naribus fluxerit ſanguis, ſolvitur ægritudo.* Galenus etiam de Methone loquens dixit: *Large de naribus eruptiones ſanguinis liberant ferè, ſanè enim videtur à ſola ſanguinis eruptione, & judicatus, & ſervatus, quamquam non omnino tuta ſigna haberet.* Et Hippoc. in 1. epidem. ſcripſit. *Febribus autem ardentibus hæc accidebant, quibus rite & largiter ſanguis per nares erupit, eadem cauſa maxime ſervabantur. Nec ullum novi, ſi recte ei erupiſſet ſanguis in hoc ſtatu, quemquam mortuum.* & in 6. etiam lib. aphoriſmorum: *In inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ fit ſolutio.* Eodem quoque modo uteri inflammatio ex ſanguinis è naribus eruptione liberatur. Quare omnes ſanguinis excretiones critice apparentes in omnibus, tum pueris, tum juvenibus, tum viris, tum ſenibus, bonæ erunt judicandæ, ægrotiſque ſalutares. Cur itaque aliquis contendat, has quoque arte confectas ſanguinis evacuationes, quæ naturam idem rectè molientem imitantur, bonas non eſſe, ægrotiſque tum pueris, tvm juvenibus, tum aliis omnibus alterius ætatis corporibus non conferre? Certò non video, quo pacto veritati addictus aliquis negare queat. & ſi dicet, in pueris ſanguinis eductiones non eſſe utiles, quia maxime ipſorum vires reſolvunt, reſpondebunt Ægyptii medici, neque igitur natura poterit unquam pueros febre correptos, larga ſanguinis per nares ab ipſa præſtita evacuatione ſanare. Quod falſum tamen eſt, cum infinitus prope ſit puerorum numerus, quos larga ſanguinis ſponte facta eruptione ſanatos quiſque verſatus ſenex medicus certò comperit, atque cognovit. Neque profecto menſis adhuc eſt, cum Baſſani puellulam annum ſuæ ætatis octavum non excedentem, filiam Bonazontæ calceorum ſutoris maligna febre afflictam, ſanguinis ſponte facta larga eruptione, planè à febre liberam, atque judicatam, obſer-

Text. 10.

In 3. lib. epidem. Comm. 1. text.

ſervavi. Nos igitur, ut Ægyptii, ſanguinis miſſione vel etiam in ægrotis pueris uti debemus, cum natura ipſa noſtrorum corporum affectus edocta, non timeat, emiſſo in iis ſanguine, à virium reſolutione, ſed potius eos eo auxilio ſanet. Nec putandum huic ſententiæ ſolos illius regionis medicos eſſe addictos, ſed alios quoque multos clariſſimos, atque graviſſimos, ut de Avenzoare legitur, qui cum ſuo filio trimo venam ſecuiſſet, per eam multo educto ſanguine, ipſum à morbi periculo vindicavit. Avicenna etiam poſſe medicos, vel in ſecundo anno affixis cucurbitulis, ſanguinem vacuare, teſtatur. Et Haly Abbas ait: *Quod ſi ad flebotomum puer pellitur, & virtus ejus ſurrexit, ac poſſibile eſt paſſionis alicujus ſanguineæ cauſa difficilis, qualis eſt ſuffocatio, phrenitis, pleureſis, & ſimile iis, non tamen præter parentum minuas voluntatem.* Sed quid? nonne alii etiam multi reperti ſunt, qui mittere ſanguinem in pueris, ſumpta à magnitudine morborum occaſione non ita abhorruerunt? Ac dum hæc ſcriberem, pro confirmanda, in pueris ſanguinis evacuatione, mihi in memoriam venerunt, quæ aliàs Raſim in li. de flebotomia, ut iiſdem interpretis verbis utar, de ventoſis & ſanguiſugis hæc memoriæ tradita legeram; quæ hæc ſunt? *Dico conſiderare debere in negotio infantium, quoniam forte videmus in iis infantibus eſſe febrem: deinde erit ex caliditate ejus fluvius ſanguinis de naribus fortis: quare ſi minutio eſſet nociva ejus & diſſolutio de eis fieret competens, jam expelleretur hujuſmodi febris & natura.* Hac itaque graviſſimi medici ratione ductus, hoc idem à me videtur poſſe decerni, ſcilicet quia nos ſæpe vidimus in pueris naturam ſanguinem evacuare; eaque evacuatione illos recte ſanare, non perdere, etſi multum ipſorum ſubſtantia diſſolvatur, ideo eodem modo in iis arte facta ſanguinis miſſio non erit abhorrenda. Idem Raſis paulò poſt ex mente Conſtantini dixit: *Quidam ſuſtinent minutionem, & quidam non ſuſtinent, quidam indigent ea vehementer, quidam pereunt per eandem in ipſa ætate: Unde non eſt conſiderandum in numero annorum, ſed in cute corporis & neceſſitate.* GUILAND. Arbitror ex præcipuis maximiſque auxiliis, ad ſanandos pueros à febribus putridis eſſe ſanguinis miſſionem, quod nobis facile ſuaſum eſt, quia

In 1. lib. ſen. 5. c. 22.

lib. 9. c. 2.

nos ſæpiſſimè vidimus pueros larga ſanguinis eruptione confertim à natura facta, à putridis febribus continuò judicatos, ex indeque ſanatos. Hinc non immeritò Cornelius Celſus in libro 2. de iis, quæ indicant ſanguinis miſſionem, ait: *Intereſt enim non quæ ætas ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint. Ergo ſi juvenis inbecillus eſt, aut ſi mulier, quæ gravida non eſt, parum valet, malè ſanguis mittitur: emoritur enim vis, quæ his ſupererat, & hoc modo erepta eſt. At firmus puer, & robuſtus ſenex, & gravida mulier valens tuto curatur.* At quid miremur, eos populos nuuc in pueris ægrotantibus ſanguinis miſſionem frequentare, cum Amatus quoque Luſitanus medicus Hebræus, non ſpernendus, in quamplurimis puerulis ſanguinis
Curat. 10. miſſione felici cum ſucceſſu ſemper uſus fuerit? In prima enim ſuarum centuriarum ait, puellam annos ſemptem natam, à febre liberaſſe ſanguine ex ſecta dextri cubiti vena interna, ad
Curat. 96. ſex uſque uncias educto. Ibique hanc miſſionem ſanguinis ex Arabum medicorum mente contra Græcos in pueris faciendam
Curat. 62. conſulit. Amplius in ſecunda Centuria, itidem à febre continua puerulum octo annorum miſſo ſanguine per venam ſectam ſanitati reſtitutum narrat: & in quarta, alium puerum eodem morbo vexatum, eodem auxilio ſanatum meminit, atque in
Curat. 49. quinta, quinque annorum puerulum pleuriticum; atque in ſeptima puellam maligna febre correptam ſanitati miſſione ſanguinis reſtitutam fuiſſe, teſtatur. de qua ipſe ita ſcripſit: *Puella pulchra, & filia formoſa à Saqua natà annos octo, biduo continuo febriebat, & caput dolebat, huic ſecta communi in brachio vena, ſanguis ad uncias quatuor, fuit extractus, tunc exanthemata veluti culicum morſus erupere, ſed poſtea perextenſa univerſam ferè cutem occuparunt, & per nares illi multus ſanguis fluebat, & fluxus ventris quoque illi ſupervenit, ſed rectè gubernata, & per intervalla cochleari ebibito ſyrupo violaceo recenti, libera & immunis evaſit.* In ſcholiis vero hæc quoque auditu digna memoriæ, ab eo prodita leguntur: *Advertant, qui Galeni præceptis adſtricti ante quartum decimum annum ſanguinem per venæ ſectionem extrahere timent, quum ex ſe natura in hac puella ſanguinem copioſum per nares depoſuerit, ut ſæpe aliàs in aliis pueris obſervatum eſt.* Quam ſanè

ſanè ſanguinis evacuationem Hiſpani omnes in pueris frequentant, præſertimque ut Ægypti faciunt, cruribus ſcarificatis. Neque deſunt alii multi præclariſſimi medici noſtrorum temporum in pueris etiam laudantes miſſionem ſanguinis, inter quos eſt doctiſſimus Fernelius, qui Galenum, cum pueros ineptos ſanguinis miſſioni dixerit, intellexiſſe de pleniori, ſive copioſiori eductione, qua uſque ferè ad deliquium antiqui utebantur. affirmavit. ALPIN. Sed quænam illorum ſunt rationes, qui negant, in iis hanc ſanguinis miſſionem eſſe faciendam, quibus rationibus non decere in pueris evacuari ſanguinem affirment; & quid illis reſponderi poteſt? GUILAND. Negant eam pueris conferre poſſe evacuationem, quoniam ipſi ſponte nimis exolvuntur, cum corpora humidiſſima, molliſſima apertiſſimaque obtineant, admodumque propenſa vaporationibus, quæ quam citò, detracto ſanguine, vel, ſupra addita alia evacuatione deficiunt, quando ipſi corpora habeant, quæ continue evacuantur. Quibus evacuatione ſanguinis etiam addita vires valde collabuntur, quibus diminutis non poterunt puerorum corpora morbum ſuperare. Quam ob cauſam Galenum iis miſſionem ſanguinis prohibuiſſe affirmant. Quæ res non videtur omnino veritati conſentire, quoniam, etſi corpora puerorum habeant ſubſtantiam humidiſſimam, molliſſimam, apertiſſimamque, qua continue multum per inſenſibilem evaporationem difflantur, ac evacuantur, nihilominus poſſunt etiam aliam ſanguinis moderatam evacuationem perferre, abſque detrimento. Puerorum ſiquidem ætas multo ſubſtantifico humido abundat, naturalique calore feraciſſimo; atque hinc non minus viribus multis, ac validioribus puerilis ætas eſt referta. Namque quia plurimum habent, ut Hippoc. in aphoriſmis ait, caloris innati, egent plurimo alimento, eaque cauſa omnes pueri ſunt voraciſſimi, plurimumque, comedunt: quo fit, ut ſemper plurimum ſanguinem coacervent: eoque abundare puerilem ætatem Gal. docuit in brevi denotatione dogmatum Hippocratis. atque hinc eſt, quod in pueris ſæpiſſime ſanguis multus per nares profluere obſervatur. etſi copia caloris etiam ad idem concurrat; cujus evacuationem ferunt citra aliquam noxam, tum ob ejus copiam,

qua ipſi abundant, tum ob vires, quibus ſunt præditi. Præterea quis ignorat, inter omnia, quæ miſſionem ſanguinis indicant, virium robur præcipuam habere partem in admittendo illo auxilio, quandoquidem corporibus, quæ viribus planè careant, nullus, ni ipſa interimere velit, audebit elicere ſanguinem: datis etiam duobus corporibus ejuſdem ætatis; temperamenti, eodem morbo correptis, ſi alteri tamen languidiores extent, jure nulli dubium, quin in robuſtiori ſatis audacter ſanguinem evacuabimus, in altero vero parum, & non abſque aliquo timore. Quamobrem cum pueri habeant corpora validioribus viribus munita, multoque ſanguine referta, cur aliquo acuto morbo illis infeſtis ſanguinem in moderata copia non mittemus? quoniam etſi vacuantur continuè per inſenſibilem evaporationem, tamen moderatam quoque ferre poterunt evacuationem, quod nobis certo ſuadere debet, pueros obſervari ſæpiſſime ac familiariſſime per nares multo ſanguine profluxo, abſque noxia vacuatos. Pueritiæ profluvium ſanguinis per nares eſt familiariſſimum, quod ceſſat, ubi adultiorem attigerunt ætatem. Quid? An non in pueris etiam lactentibus acuto aliquo morbo correptis obſervatur, eos aliquando inediam multis diebus ſine noxa perferre, & mox quaſi mortuos reviviſcere? quod illis contingit, quia præterquàm quod viribus conſtant robuſtioribus, etiam plurimum pituitoſi humoris inconcocti habent, quo calor in optimum ſanguinem mutato, facile nutritur, atque fovetur. & proinde quamquam mittatur in iis modicus ſanguis, non fit tanta virium jactura. Multa ſunt præterea, quæ non ita valde diſſolvi puerorum corpora denotant, in primiſque multos illorum febricitantes, eodem tempore poſſe ſanguinis copioſum fluxum, ſudores, alvique copioſas dejectiones ſæpe abſque ullo ipſorum detrimento etiam perferre, atque potius ab iis ſanari, non admodum extenuati vel graciles facti. quinimò ſi rectè, tum puerorum, tum aliarum ætatum cadavera inſpiciantur, procul dubio puerorum ſemper, ſi tum morbi ſpecies, tum tempora, quibus ægrotarunt, inter ſe comparentur, minus diſſoluta, atque attenuata aliis inſpicientur, quod utique haud tantæ ipſorum corporum reſolutionis

nis argumentum etiam eſſe poteſt. Quamobrem probe ſatisfacere medicos illos, dicendum eſt, qui miſſione ſanguinis vel in pueris utuntur, neque ut mittant ſanguinem, quartus decimus expectandus eſt peractus annus. Ridiculum ſanè videtur, annorum numero miſſionem ſanguinis præfiniri oportere, quando ipſe quoque Gal. dixerit: *Itaque non numero ſolummodo animum advertes, quod quidam faciunt, ſed corporis habitui; nam ſunt, qui ſexageſimo ætatis anno venæ ſectionem non ferant, cum quidam, qui ſeptuginta nati ſunt annos, perferant.* Minuſque ætatis certis annorum numeris poſſint à medicis definiri. Galenus idem in lib. de ſectis, dixit, non mittendum eſſe ſanguinem in puero admodum parvo. Atque hæc obiter de ſanguinis miſſione in pueris à me dicta ſint. ALPIN. Admodum hoc tuo doctiſſimo ſermone ſum delectatus, præſertim cum ex te multa didicerim, quæ in pueris faciendam eſſe vacuationem ſanguinis demonſtrant. Ægyptii itaque in pueris hanc evacuationem non ſecus, quàm in aliarum ætatum hominibus frequentant, tum venæ, arteriæque ſectionem, tum etiam per ſcarificationem malleolorum, crurumve, atque aurium. Magis vero per ſcarificationem quàm per venæ ſectionem in ipſis conſueverunt id agere. Eodem quoque modo non minus ſanguinis evacuatione in ſenibus utentur, in iis tamen, qui non ad ultimum ſenium perducti ſint, ſed optimi temperamenti & habitus, quique ſatis validis viribus conſtent. GUILAND. Cum hactenus dixeris miſſionem, vel evacuationem ſanguinis illorum locorum, medicos in omnibus iis corporibus exercere, non minuſque in Eunuchis, mulieribus, pueris, ſenibus, & pinguioribus hominibus, quibus ſatis Ægyptus abundat, Cupio etiam ex te audire, an per venæ, vel arteriæ ſectionem, vel per ſcarificationem alicujus partis corporis, vel per hirudines, vel cucurbitulas, talem vacuationem familiarius præſtant, quando his tantum viis quælibet ſanguinis miſſio peragatur. Hæcque nunc ex te audire expecto.

Cap. 28.

## Cap. VI.

### *In pinguioribus corporibus, Eunuchis, mulieribus, pueris, ſenibuſque quomodo Ægyptii ſanguinem mittant.*

## GUILANDINUS.

Cum corpora pinguia, mollia, alba, atque valde humida ibi in omnibus ferè mulieribus, vel ſaltem in pleriſque obſerventur, quibus ſanguinis miſſionem non omnino convenire
Cap. 13. his verbis Gal. in lib. de curat. per ſang. miſſ. docuit; dicens: *Deinde conſiderandum. quæ ſit naturalis hominis temperies. Nam quibus amplæ ſunt venæ, quique modice graciles ſunt, nec candidi, neque tenera carne præditi, copioſius evacuabis: contrarios autem parcius: quippe qui exiguum habent ſanguinis, carnemque facile*
Cap. 14. *tranſpirabilem.* Sicque in libro 11. methodi, loquitur: *Quod ſi corpus decimum quartum annum exceſſerit, exiſtimandum eſt, qualiſnam ejus natura ſit, num gracilis & ſpiſſa, & dura, & copioſi ſanguinis, an contra: atque ita in priori miſſionem ſanguinis adhibebis: in ſecunda nequaquam.* Quinetiam modus vacuandi ſanguinis ex iiſdem indicantibus ſumetur. Si enim, cui ſanguis mittitur, triginta annos natus ſit, ſed laxus, & mollis, & pinguis, & albus, & gracilibus venis, huic planè ſanguinem non mittes, aut parum detrahes. Hæc cum in multis hominibus, pueris, Eunuchis, ſenibuſque ſpectentur, Ægyptios non parum in uſitanda ſanguinis evacuatione errare dicemus. Namque crebra ac copioſa ſanguinis eductio, quæ apud eos omnes eſt, etiam ex leviſſima cauſa familiaris, iis omnibus valde incommoda ac noxia erit, quando quælibet nuper dictorum corporum, ex pauciſſima etiam evacuatione multum reſolvantur, atque ipſorum moles univerſa inde non parum perfrigeſcat. Sed quoniam noſtrorum medicorum quamplurimi exiſtimant, cucurbitulis præſtitam ſanguinis evacuationem in his corporibus minorem facere ſpirituum reſolutionem vel conſumptionem, ideò per has

has potius, quàm per ſectam venam ipſis ſanguinem mitti ſuadent, cum per ſectam venam ſanguis evacuatus multum caloris naturalis abſumat, ut Gal. in lib. de cucurb. hirudinibus ſcriptum reliquit, itaque nunc quonam illorum modorum mittendi ſanguinem illi populi utantur, narres velim, num per venarum, arteriarumque ſectionem, an potius per cucurbitulas, vel ſimplicem ſcarificationem, vel hirudines appoſitas venis. ALPIN. In omnibus iis nuper dictis corporibus, ſcilicet pinguioribus, albidioribus, molliſſima ac tenerrima carne præditis, habituque raro, qualia plurimorum, tum virorum, tum mulierum, ſenum, omniumque Eunuchorum, (quorum ibi adeſt haud parvus numerus,) ac puerorum multa cernuntur, quamquam etiam ſectis venis ſæpe ab his ſanguinem evacuent, nihilominus familiarius cruribus antiquorum more ſcarificatis mittere ſanguinem conſueverunt, omnium maxime in valde pueris, ſcilicet infantibus, quibus ibi detrahunt etiam ſanguinem? cruribus, vel auribus ſcarificatis, ne peracto quidem primo anno. Proviſionis quidem cauſa in prima æſtatis parte æſtuoſa, inæquali, in qua multi peſſimi morbi, vel etiam puerulos ac infantes invadunt in pluribus eorum ſcarificatis auribus mittunt ſanguinem; itaque vix inter centenos, tercenos aliquando reperies, quibus aures ſcarificatæ non ſint. Quamobrem in infantibus, atque pueris omnibus ſanguinem ſcarificatis auribus, atque cruribus mittunt. In Eunuchis verò, & mulieribus, pingui, raroque habitu præditis, atque demum in ceteris hominibus, eodem ferme habitu, tum molli, tum raro refertis, per ſcarificationem moliuntur ſanguinis evacuationem. GUILAND. Rectè ſane illi in iſtis corporibus per cutis ſcarificationem ſanguinem vacuantes, ſe gerunt, quando hæc corpora facile tranſpirabilia, ex ſanguinis evacuatione per ſectas venas confecta valde reſolvantur. Quod ex Galeno didicimus, qui de ſcarificatione ita ſcripſit: *Eodem namque anno venam frequenter incidere, minime quidem rationi conſentaneum arbitramur: quandoquidem cum larga ſanguinis copia vitalis quoque ſpiritus emittitur: Quo ſane abſumpto, crebrius quidem moles univerſa frigeſcit, tum animales functiones omnes deteriores redduntur. Quamobrem ab* Cap. 4.

*igno-*

*ignobilioribus membris, utpotè cruribus, educendus eſt, ſcilicet ſcarificatione.* Sed talem uſum mittendi ſanguinem per ſcarificationem optimum eſſe, atque artis ratione comprobatum, in lib. de curat. per ſang. m. docuit his verbis: *Porrò quæ ex mulieribus albidiores ſunt. ſanguinem acervare tenuem ſolent: quocirca adhibitis malleolorum ſcarificationibus maxime juvantur. At quæ nigriores ſunt, ſecta vena curato: craſſiorem enim ſanguinem, ac magis melancholicum colligunt, magis vero etiam ſi magnas habere venas appareant, quod illis accidit, quæ graciliores ſunt, ac nigriores: Carnoſis verò & candidis parvæ inſunt venæ, quibus malleolos ſcarificare, quam venam ſecare præſtiterit, quippe cum hæ parvas in cruribus venas habeant: itaque etiam ſi probè ſecentur, quod juſtum tamen ſit, non profluat.* Commodior hæc per ſcarificatos malleolos ſanguinis evacuatio in iis corporibus eſt, utiliorque non immerito judicanda; commodior, inquam, quoniam corpora pinguia, candida, mollia, exiles parvaſque venas, & ſanguinem tenuiorem habent, quarum aliquæ rectè etiam ſectæ, juſtam ſanguinis copiam non dabunt: faciliorque ſanguinis hæc quantitas ſcarificata cute crurum ſive ſurarum, multis, neque minimis referta venis. Utilior, quod ex ea ſcarificatione celebrata ſanguinis miſſione, non tanta ſpirituum copia reſolvitur. Sed quid? iſti hac ſcarificatione nonne cucurbitulis affixis ſanguinem extrahunt? vel non appoſitis, venis aliquibus, ut noſtri faciunt, hirudinibus ſanguinem mittunt? Alpin. Neque uſum cucurbitularum pro ſanguinis evacuatione facienda, neque per hirudines evacuationem nobis cognitam, illi norunt. Miſſionem ſanguinis per cucurbitulas, ad tollendam plenitudinem, maxime damnant, neque iis unquam ſanguinem evacuationis cauſa mittunt, ſed tantum revulſionis vel diverſionis gratia, priori loco per ſectam venam evacuata copia ſanguinis. veluti in ophtalmiis occipiti affixis cucurbitulis uti ſolent. Neque dorſo, neque lumbis, neque cruribus eas unquam affigunt. Collo tantum, occipiti, ac ejus proximis partibus cucurbitulas apponere conſueverunt. Hirudinum uſum prorſus ignorant, dicunt enim veneficam eas habere naturam, illarumque morſum non minus noxium experiri.

Cap. 11. (margin, beside "de curat. per ſang. m.")

Cap.

## CAP. VII.

### *An Ægyptii Medeci rectè ſe gerant in uſu miſſionis ſanguinis in dyſenteria, diarrhæa bilioſa, exanthematibus, puncticulis appellatis, peſtiferiſque bubonibus, & parotidibus.*

## ALPINIS.

DIXI illos medicos, cruribus ſcarificatis exercere miſſionem ſanguinis in omnibus pinguioribus, albidioribuſque corporibus, Eunuchis, mulieribus, puerulis, in quibus rectè illos ex Galeni ſententia facere dices, ſed in dyſenteria, bilioſa diarrhæa, exanthematibuſque, à noſtris periculis, vel puncticulis vocatis, inque peſtiferis tumoribus eos ſanguinem mittentes, neſcio, an laudabis, quando multi medici etiam doctiſſimi exclament in iis ferè omnibus morbis ſummoperè noxiam, ac exitioſam ferè eſſe illiuſce humoris evacuationem. Neque fortaſſe citra rationem ipſis id perſuaſum eſt, quando tum vires admodum ab ea vacuatione collabantur, tum etiam ea plures optimi medici in iis, uſi non fuerint. GUILAND. Cupiò audire ex te rationes, quibus illis perſuaſum ſit, in illis affectibus inutilem eſſe ſanguinis miſſionem. Quibus auditis, meam quoque ſententiam in medium poſtea proferam. ALPIN. Sigillatim tamen de quolibet affectu hæ dicendæ ſunt. In primiſque recenſebo, quæ in dyſenteria à ſanguinis miſſione arceant, & mox de aliis loquar. Sed quæ illi pro ipſorum ſententia dicunt, hæc ſanè ſunt. In primis Galeni auctoritate ſe muniunt, cui omnes medicos addictos eſſe debere affirmant, atque quòd ipſe, dum de dyſenteria loqueretur, miſſionis ſanguinis nuſquam meminiſſe legerint, affirmant idcirco errare omnes pro illo affectu mittentes ſanguinem: Multoque magis, qui obſervaverint, tantum medicum manifeſtiſſime in his ſanguinis evacuationem damnaſſe. ut in lib. 4. de vict. rat. in morb. acut. legitur, his profecto Com. 118.
verbis: *Fluente alvo ſanguinem non detrahes. Nam ſi poſt detra-*

 *ctio-*

*ctionem perſeverat fluor, virtutem proſternit.* Cujus ſententiam conſtat repetitam fuiſſe in libro 1. ad Glauc. quando ſcripſit: *Sed neque ſi fuerit febris cum alvi profluvio, alia eſt opus evacuatione. Quicumque his plus adimere fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere, aut ventrem movere tentarunt, in graviora pericula duxerunt.* An in dyſenteria, ac diarrhæa ſanguis ſit mittendus, utique his verbis explicavit; Quid dubii igitur eſt amplius, quin ex ejus ſententia in eo affectu ſanguinis aliqua evacuatio non ſit facienda? Quod remedium cum tantus medicus dyſentericis, atque diarrhæâ correptis interdixerit, cur quiſque noſtrum tanto à præceptore perdoctus, idem faciendum non ſuadebit? Quam ſententiam multi confirmant dicentes, in dyſenteria admodum vires reſolvi, quando tum ſanguinis crebra fiat dejectio, interdumque etiam copioſa, & dolores vehementes ferè aſſidui, quos etiam vigiliæ ſequi ſolent immodicæ, quæ omnia multum vires labefactare, ac reſolvere omnibus eſt plane cognitum. Quapropter ſi in iis medici ſanguinis evacuatione utantur, procul dubio erunt in cauſa, ut in majores virium lapſus, ac reſolutiones incidant ægroti, quibus collapſis natura neceſſariò morbo ſuccumbet. Itaque hac ratione confirmari poſſe Galeni ſententiam ſtatuunt. Cui libenter ego etiam ſubſcriberem, cum dyſenteria (dico illum affectum, in quo ulcerata inteſtina apparent) fiat ex cacochymia, ſive ex malis humoribus, qui non evacuatione, quo auxilio plethora curatur, ſed purgatione, tolluntur. Inteſtina etenim abraduntur, & exulcerantur vel à bilioſis acrioribus ſuccis, vel à ſalſa pituita; quæ ſanè non ſanguinis vacuatione tolluntur, ſed ut nunc dixi, purgatione. Maximè itaque hic errare medici Ægyptii dicendi ſunt, utentes ſanguinis miſſione vel etiam in dyſenteria.

GUILAND. Erras (mea quidem ſententia) ſi id credis, quando in iis affectibus ſanguinem evacuare ab artis vera methodo alienum eſſe, non judicaverim; quinimo in ea re illi multa ſunt laude digni, atque Hippocratice dyſentericis mederi mihi videntur. Namque ſanguinis in iis evacuatio dolorem vehementem, quo dyſenterici crucientur, mitigare poteſt, ut ex Galeno colligitur, qui nullum majus remedium in maximis doloribus

bus evacuatione atque purgatione ſe inveniſſe ſcriptum reliquit. Non minuſque inteſtinorum partium ulceratarum inflammationem, atque febrem imminuit, fluxumque humoris ab inteſtinis revellit, ſomnumque inducit; itaque in dyſenteria, viribus, ætate ac aliis conſentientibus, circa initia revulſionis gratiâ, præſertim ubi magna affuerit humorum copia, aut ſanguinis impetus valde urgeat, vel maxima inflammatio, aut dolor vehemens obſervetur, vel jecur male affectum ſit, à quo acres ſucci ad inteſtina confluant, adprime utilem ſanguinis evacuationem eſſe exiſtimo. Atque illi, qui exordiuntur à ſanguinis miſſione curationem, eandem rationem ſequi videntur, quam medici omnes febres putridas curantes, ab ablatione cauſarum curationem incipientes: quis enim ignorat, tria in iis curationem indicare, ſcilicet morbum, cauſam, atque ſymptoma? ut in 9. meth. med. Gal. docuit. veramque ac optimam curationem illam eſſe, quæ à cauſa exorditur? nunquam enim morbus tolletur, non ablata prius ejus cauſa. Dyſenteria vero ex Galeno in 4. lib. aphoriſm. & in 3. de ſympt: cauſ. atque in Aph. 24. 6. de loc. affect. alibique in ſexcentis aliis locis, ulcus eſt inteſtinorum ex flava bile, vel atra, Galeno in 4. lib. aphorſm. docente, aut à ſalſa pituita, ut in 3. lib. aphoriſ. apud ipſum le- Aph. 12. gitur, abradentibus, ortum. Quo pacto igitur quis dyſenteriam, quæ eſt ulcus inteſtinorum, rectè unquam curabit, niſi cauſam prius, à qua ortum ducit, adimere ſtudebit? Cauſa vero, ut dictum eſt, cum ſit bilioſus ſanguis acris, & mordax ab univerſo corpore vel à jecore ad inteſtina demandatus, is proculdubio evacuatione tollitur: nam per ſanguinis evacuationem nonne hujus redundantis humoris copia diminuitur? qua diminuta vel nihil, vel minus ad inteſtina confluit. Amplius cum bilioſus ille ſanguis ex calore multo jecoris gignatur, ejuſque multa copia ſubminiſtretur, quis eſt, qui ex miſſione ſanguinis jecore refrigerato, minus illius humoris gigni poſſe, ignoret? Medici enim omnes, calidorum humorum redundantiam factam, ſanguinis miſſione prohibere ſtudent. Demum cui obſcurum, atque ignotum eſt, eorum humorum acrimoniam, qua inteſtina mordentur, atque abraduntur, immodico

jecoris calore fieri? intenſus etenim ac immodicus calor ejuſce membri, ſanguinem efficit calidiorem, ac acutiorem: quis, inquam, ille erit ita artis medicæ ignarus, qui neſciat, jecore præ multo calore gignente ſanguinem bilioſum, acremque, eo evacuatione ſanguinis refrigerato, minus acutum atque acrem producturum eſſe ſanguinem? Cum igitur ſanguinis miſſio copiam bilioſi ſanguinis diminuat, ejuſque acrimoniam obtundat, talemque ſanguinis curſum ab inteſtinis avertat, id nihil aliud erit, quàm cauſam, qua ulcera fiunt in inteſtinis, planè adimere, qua ſublata facile facta ulcera ſanabuntur. Quæſo, quis ille eſt (ſanguiſugariis enim uſque eſt manifeſtiſſimum) cui homo aliquis ob ulcus in quacumque extrinſeca corporis parte, ex bilioſo humore confluente ortum, ſanandus occurrerit, qui ut illum hominem rectè curet, priuſquam medicamentis exſiccantibus utatur, non in id incumbat, ut corpus prius, tum evacuetur per ſanguinis miſſionem, tum aliquo medicamento purgetur? ſanguinis enim evacuationes prohibent, quin minus illiuſce calidi humoris amplius gignatur, purgationes vero genitam ejuſce humoris copiam diminuunt; hæc enim magnorum ulcerum, localibus remediis non cedentium rationalis, ac vera curatio exiſtit, quam cur non eandem fieri oportere in iiſdem ulceribus internam quampiam partem occupantibus, præſertimque inteſtina, omnes velint aut nolint facere cogentur? ſi dicerent hanc evacuationem, quamquam ipſa opportuna ſit, non conducere dyſentericis, quia eſt in cauſa, ut vires multum reſolvantur, atque collabantur, qua poſtea imbecillitate non poſſent alvi profluvium firmare, reſpondebitur naturam non ita pati ex modica ſanguinis exacuatione, ut ea valde viribus deſtituatur, ad morbum pervincendum: quod ſi æque à miſſione ſanguinis in omnibus læſis ulceratiſque partibus corporis natura debilitari exiſtimanda ſit, cur inteſtinis læſis tantum patietur, ſi mittetur ſanguis? ex aliis vero corporis partibus nequaquam? ſi dicent, quia ulcerata inteſtina ex ſanguinis evacuatione diminutis viribus, minus, poterunt firmari & ſiſti, & ita profluvium ægrotos perdet; nos dicemus, ſi non mittatur ſanguis, atque eo modo ſtatim in principio divertatur fluxus

fluxus ab inteſtinis, multo ſanè majorem ſanguinis copiam per alvum, perſeverante illo affectu, emanaturam, quæ longè plus, quàm arte facta, vires reſolvet. Optimum itaque eſſe remedium dyſentericis, modicam ſanguinis evacuationem exiſtimo. Cujus ſententiæ fuere Alexander Trallianus, Aëtius, atque alii multi graviſſimi medici: ex recentioribus verò Donatus Antonius ab Altomari paucis his verbis optimum eſſe auxilium miſſionem ſanguinis in veris dyſentericis ſcriptum reliquit, dicens: *At ſi male admodum affecto jecinore flavæ bili admixtus ſanguis ab eo ad inteſtina deferatur, ita, ut ſtrigmenta quoque inteſtinorum dejiciantur, ſumma inteſtinorum tunica humoris acrimonia deraſa, quiſnam verebitur internam in dextro cubito venam ſecare? nedum revulſionis gratia, verum etiam ipſiuſmet jecinoris alterationis. Cur plerique medici in hoc caſu, qui ſolam inteſtinorum exulcerationem, neglecto jecinore curare conſueverunt, in cauſa ſunt, ut ægri moriantur* ex Galeni ſententia lib. 4. de articulis com. 4. *Rurſus ubi vehementiſſimus infeſtaverit dolor propter rodentium humorum acrimoniam, ad inteſtina à toto, ſeu ab aliqua corporis parte confluentium, & propterea verenda ſit phlegmonis generatio, aut virium defectus, cui abſonum videbitur venam ſecari debere?* Cum & idem Gal. *in maximis doloribus nullum majus invenerit remedium, quàm uſque ad deliquium animi ſanguinem mittere, aut purgare*, ut patet aphor. 23. lib. 1. *Quamquam venam ſecandam dicimus, ubi cuncta ea admiſerint, nec uſque ad animi deliquium, ſed paulatim, ac ſenſim, ne vires imbecilliores reddant, ipſam probamus*, prout Aëtius & Alexander probarunt. Atque hæc Altimarus medicus ſua tempeſtate clariſſimus, qui omnibus dyſentericis feliciori ſemper eventu ſanguinem ſecta vena mittebat; cujus rei excellens Aſcanius Curacciolus à dyſenteria ſola ſanguinis miſſione abſque aliis auxiliis ſanatus, atque alter filiorum Joan. Ferdinandi Rocchi dyſentericus eo auxilio ſervatus; teſtes fuere. Cum eodem etiam tempore eodem morbo alter frater correptus, cui ſanguis non fuerat miſſus, mortem obierit. Amatus Luſitanus medicus non ſpernendus Chiam mulierem dyſentericam miſſo ſanguine, atque alios multos curavit, ut in ejus centuriis memoriæ traditum eſt. Multi alii medici doctiſſimi uſi ſunt hoc

auxilio in curandis dyſentericis, quos omnes hic recenſere nimis moleſtum foret. Alpin. Conſpicuam hanc veritatem mihi nunc planè ita reddidiſti, ut deinceps maxime mihi conſtitutum ſit, miſſionem ſanguinis pro curanda dyſenteria opportuniſſimum fore auxilium, atque abſque eo maxima cum difficultate homines à dyſenteria ſanari poſſe. At optimum etiam erit, ut adverſariorum nuper allatis rationibus, quibus hoc auxilium in hoc affectu damnant, nunc etiam ſatisfacias. Guiland. Ad ea, quæ apud Galenum ſcripta leguntur, præſertimque in lib. 1, ad Glauc. quæ illorum opinioni magis favere creduntur, reſpondendum eſt, ibi Gal. locutum fuiſſe de alvi profluvio, quod febris ſymptoma exiſtit, febremque ſequitur, ut accidens, quòd ejus morem ſignificare videtur. Nos vero, cum de dyſenteria loquimur, prout morbus eſt, cui ſit febris conjuncta, ejus eſt ſymptoma; itaque verba Galeni nihil nobis obſunt, dum loquimur de dyſenteria, quæ morbus eſt à febre diſtinctus. Quòd ſi alibi, ut dictum eſt, in 4. lib. de vict. rat. in motb. acut. dixit, *Fluente alvo ſanguinem non detrahes. Nam ſi fluor poſt detractionem perſeveret, vires proſternit*, ego, ut recte hanc rem intelligam, ita rurſus diſtinguo, alvi profluvium fieri læſis inteſtinis primario affectu; aut ſtomacho, vel illis communicata læſione ab univerſo corpore, aut ab aliqua parte, præſertimque à jecinore, quo ſane modo pleræque diarrhææ bilioſæ, & dyſenteriæ gigni ſolent. Ubi igitur profluvium fit læſis inteſtinis, vel ventriculo, primario affectu, tunc ſanguinis miſſio, atque purgatio videtur damnanda, quandoquidem ex illa evacuatione partes illæ pauco calore nativo refertæ plus aliis debilitentur, & idcirco hoc auxilii genere non juvantur, ſed potius læduntur. Orta vero fluxione bilioſa, quæ abraſerit inteſtina, idque vel univerſi corporis, vel hepatis vitio, quo viſcere læſo pleræque fieri ſolent; proculdubio ſanguinis evacuatio utilis erit, quæ non inteſtina labefactabit, etenim ab ipſis divertendo bilioſum ſanguinem inteſtina ulcerantem, ipſis potius non parum roboris adjiciet. Hinc vero fit, ut omnes ulcera tantummodo inteſtinorum curantes, & non hepar, tanquam cauſam, ex qua id mali creatur inteſtinis, peſſime curent, ut dicebat

Text.com. 116.

cebat Gal. in lib. de artic. his verbis: *Interdum enim quum propter dejectiones acres, principio quidem pinguedo, proceſſu temporis quædam ſtrigmenta, quæ ab inteſtinis deradantur, unà excernantur, plerique medici neglecto jecinore; ulceri duntaxat inteſtinorum medentur, atque idcirco ægrotantes præcipitant;* hoc igitur modo reſponſum ſit ad eorum adductas rationes. Supereſt, ut Ægyptios in bilioſis dyſenteriis, atque diarrhæis, quæ non inteſtinorum, ſed vel totius corporis, vel hepatis vitio obortæ ſunt. ſanguinem mittentes laudemus. ALPIN. Idem faciunt in omnibus peſtilentibus morbis, maximeque in omnibus exanthematibus, non minuſque periculis; vocatis, atque parotidibus, carbunculis, atque bubonibus. In iis enim in principio, viribus conſiſtentibus, largè ſanguinem mittere ſolent; in omnibuſque corporibus cujuſvis ætatis, vel temperamenti. Multis vero, pueriſque maxime ſcarificatis cruribus, atque multis ſecta vena ſanguinem evacuant: & hæc de miſſione ſanguinis à me dicta ſint. Quibus ita cognitis, antequam mihi è memoria effluat, aliud tibi narrare cupio, id vero eſt, illorum multos à cibo mittere ſanguinem. Quod fortaſſè tibi doctiſſimo medico, non parum rationi adverſari videbitur, hoc unum ſcio, multos uſum hunc in mittendo ſanguine ſectari; ſed an optimus ſit is uſus, & à nobis recipiendus, ex te libenter audirem. Com. 40.

## CAP VIII.

*Ægyptios medicos à cibo ſanguinem mittere, atque an rectè faciant etiam, illis, quibus ſanguinem mittere debent, potum aliquem propinare.*

## ALPINUS.

VULGUS Ægyptiorum medicorum à cibo conſueſcere mittere ſanguinem nuper dictum eſt. Nuncque idem confirmo. Sæpiſſime etenim, qui jejuno ſtomacho fieri miſſionem ſanguinis alicui ægroto præceperim, ab Ægyptiis accuſabar, me corpora ægrota alimento vacua tum evacuare velle, atque ipſo-

ipſorum tum vires, tum functiones labefactare. Sæpius rogabam, ut mihi clarius hanc rem explicarent, vel docerent, qui in ipſorum ſententiam ducere conabantur, dicebant, omnibus optimis medicis notum eſſe, ſanguinis evacuatione corpora valde labefactari, facta plurima innati caloris ab emiſſo ſanguine reſolutione. Ideo ſi id fiat ante cibum jejuno ſtomacho pertimeſcendum fore abſque dubio à multa virium reſolutione. Addunt non minus corporum amaram bilem ab evacuato ſanguine fieri acutiorem, multoſque in ſyncopen ſtomachi jam vocatam inducere. Guiland. Sed quæſo, num tu rationibus illos falſos eſſe demonſtrabas, an potius ab illis gratiam inire cupiebas, ipſos verè aut fictè laudando magis, ut cum iis lites detrectares? Alpin. Non ego unquam fui tam vili animo, ut eos mihi contradicentes pertimuerim, quinimo magis ſæpe medicas difficultates coram nonnullis Turcis dominis perſequi ſtudebam, ut illi cognoſcerent, quantò plus Ægyptiis noſtri ſaperent medici. Negabamque illis ab omni ſanguinis miſſione ægrotantium corpora debilitari, ac reſolvi; veluti iis, qui ex multa plenitudine vel ſanguinis, vel aliorum humorum gravati, ab emiſſo multo ſanguine, vel pharmaco quopiam in humoris copia exhibito exonerati, vires acquirant, ſæpe fieri obſervatur, idque exemplo alicujus humeris multum pondus geſtantis, qui vel omnino ab onere, vel aliqua in parte ſubtractus, collapſas ferè à labore vires recipit, illis perſuadere conabar. Quos etiam redarguebam, qui in mittendo ſanguine poſt aſſumptum cibum, eum uſum non modo ipſorum multi ſectarentur, verum etiam artis medicæ rationi illum conſentire affirmarent. Hunc igitur vacuandi ſanguinis peſſimum eſſe uſum mordicùs affirmabam, veluti neque alterum illum eorum uſum laudabam, qui apud omnes eſt frequentiſſimus in miſſione ſanguinis, ut ægrotis priuſquàm ſecent venam, potum aliquem frigidum propinent. Guiland. Fortaſſè cibum aſſumendi ante ſanguinis evacuationem uſum ex Arabum clariſſimorum medicorum mente illi defendere poterant, quando Avicenna lib. 1. fen. 4. hæc ad unguem ſcripta reliquerit, dicens. *Subtilitatem vero ſenſus habenti, & debilitatem, bucellæ mundi panis in rob acetoſo bonum ha-*

Cap. 22.



*habenti odorem infuſæ ſunt dandæ. Et ſi fuerit dibilitas complexionis frigidæ, ſint intinctæ in aliquo, quod ſit ſicut aqua cum zucчaro cum Alefniati, aut in ſyrupo mentæ muſcato, aut in myva muſcata, poſtea minuatur ſanguis.* Optimum igitur eſſe, priuſquàm ſanguis evacuetur, eos aliquid cibi capere, qui ſtomachum debilem, vel ſenſus acutioris obtinent, cum Avicenna dici poterit. Cujus ſententiæ Raſim non minus graviſſimum medicum eſſe, legitur in libro de phlebotomia, Vent. & Sang. ex mente Conſtantini, cum dixit: *Cholerici debent primo comedere, & poſtea minui: tamen de cibo tenui ad modum gallicelli, aut carnis hœdinæ, aut de pane iufuſo in vino, aut ſucco granatorum. Sed ipſi, quorum corpora ſunt rara, condenſentur, & poſtea minuatur.* Cum itaque hi præclariſſimi medici in bilioſis ſtomachis, in ventriculo debilioris oris, vel acutioris ſenſus laudaverint priùs aliquid cibi fore ab ægrotis capiendum, quàm ſanguis mitteretur, mirum non fuit, ſi & Ægyptii, cum obſervaſſent pleraque illorum corporum habere ſtomachum debilem, ac bilioſum, idem fore ab ipſis obſervandum, ne animo linquerentur, ſibi ipſis perſuaſum ſit. Quod tamen minime aliquem Græcorum medicorùm præcepiſſe legitur; quin potius contra in miſſione ſanguinis eos memoriæ prodidiſſe compertum eſt. Gal. in lib. meth. med. dixit. *Nam ſi præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ ſectionem jubebis, quantum ſatisfacere, tum ad eorum concoctionem, tum ut excrementa deſcendant, videbitur;* hoc idem in pluribus aliis locis docuit, præſertimque in lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. atque in tertio epidem. Cui non modo omnes Græci planè aſſentiunt; verum etiam Arabes præcipui. Quod ex Raſe in nuper citato libro his verbis legitur: *Quoties in ſtomacho cibarium fuerit, nulla fiat minutio, dum non fuerit digeſtum, & egredietur ſubſtantia de inteſtinis, qui niſi emitti poterit, emittatur cum clyſtere, deinde minutio fiat:* & paulo poſt idem iis verbis clarius patuit, quæ ſunt. *Horribilis eſt minutio ante digeſtionem cibi, qui eſt in ſtomacho, & meſeraïca, quoniam facta minutione attrahitur aliquid de eo. quod in venis & ſtomacho eſt ad hepar, & meatus ejus, reſpectu vacuitatis ſunt ſtricti, & incongruum eſt, quod attrahat crudum, ne fiat in*

*venis humor crudus nocivus, & eis non digeretur, ſed putreſcet & augebit febrem, aut infert ei aliquid pejus; ideo expectanda eſt minutio ſi opportuna fuerit, donec integre fiat digeſtio.* Cujus ſignum habebitur per urinam croceam, & alleviationem corporis, ſuſcitato pauco appetitu cibi. Quid igitur dicemus, quando ita periculum ſit (his graviſſimis medicis docentibus) poſt cibum mittere ſanguinem, ut multos Ægyptiorum facere, dictum eſt? reprehendemuſne illos hac in re, an potius eos recte facere affirmabimus? Hactenus tu, quid ſit pro utraque parte ſentiendum, reſpondendumque, rectè intellexiſti. Alpin. At ego ex te hoc dubii explicari velim. Guiland. Hæc in reſponſione ſunt prænoſcenda. In primiſque in ſanguinis miſſione primam operationem eſſe, ejuſdem evacuationem, quam duo alii effectus ſequuntur, ſcilicet venarum inanitio, & ſpiritus caloriſve diminutio, quam ſequitur univerſi corporis refrigeratio, veluti inanitionem venarum omnium ſucceſſiva partium attractio. Atque à modica ſanguinis facta in venis inanitione, pauca, & ab immodica multa fiet ſanguinis attractio, quemadmodum etiam immodicam ſanguinis vacuationem ſequitur immodica caloris naturalis reſolutio, vel diminutio, atque hanc omnium coporis partium refrigeratio, qua omnes functiones in deterius abeunt. Ab hac poſtrema ſpirituum immodica reſolutione, ſyncope, vel animi deliquium, fit, quæ plerumque fit reſolutis viribus à plurima ſanguinis evacuatione. Excitatur etiam ſæpiſſime is affectus, ſtomacho valde imbecillo effecto, cujus vires facile à modica etiam ſanguinis vacuatione reſolvuntur, vel ejus ore valde ſenſibili exiſtente, vel biliosis humoribus acrioribuſque oppleto. In iis itaque ventriculo aliquo trium nunc dictorum modorum læſo, atque ægroto, non eſſet mittendus ſanguis. Quando Gal. lib. 9. meth. med. eos ventriculi nimium ſenſibile, aut imbecillum, vel amara bile redundans, dixerit, prohibere ſanguinis miſſionem, quam dum moliri cogimur, acutorum morborum urgente aliqua occaſione, Arabes multi volunt os ventriculi pauxillo cibi muniendum eſſe, ac roborandum, ne in ſyncopen ægroti labantur, malumque augeſcat bile amariore facta, à ventriculoque intra venas rapta. Qua mem-

Cap. 5.

membri roboratione ac defenſione à ſyncope, ut jam dixi, multi ægrotis evacuandis pauxillum cibi offerunt, atque multi vice cibi exhibent aliquem frigidum potum, cum aliquo ſyrupo robur ventriculi reſpiciente: atque hic uſus potandi ante miſſionem ſanguinis, vel ſtatim ab emiſſo, vel dum educitur, eſt ferè apud omnes ſatis frequens, qui etiam ut alter cibandi in malùm eſt apud ipſos deductus uſum, ſed de potu paulo poſt dicemus. De cibo vero ante miſſionem ſanguinis, ægrotis concedendo, ſum hujuſce ſententiæ, illud inſtitutum inutile eſſe, neque citra periculum exerceri. In corporibus enim ſtomachum, neque imbecillum, neque nimium ſenſile ejus os, neque cum multa amara bile obtinentibus, cui dubium, ſummum errorem eſſe, à cibo mitti ſanguinem? Nihil enim ipſa ab emiſſo ſanguine patientur, neque vires admodum reſolventur. Cibus vero multi mali cauſa fieri poterit, namque incoctus intra venas attraheretur, quo venæ obſtruerentur, quibus obſtructis putredo & febris neceſſario augeretur. Quare in iis non erit exercenda ſanguinis miſſio ſtatim à cibo. In aliis vero ægrotis, habentibus, ut ſupra dictum eſt, ventriculum vel imbecillum, vel acutioris ſenſus, vel amara bile redundantem, nunquam, ſi fieri poteſt, ad miſſionem ſanguinis eſt veniendum: quod ſi a magno morbo cogamur id facere, poſſumus præcepto Ægyptiorum uti, ut detur aliquid cibi vel potus. Mihi tamen magis potus, quàm cibus arridet; proinde illos magis laudo, qui aliquo potu utuntur, quo acutum oris ventriculi ſenſum, vel bilis calorem, atque acrimoniam obtundant, atque attemperent. ALPIN. Quibus ſanguinem mittere volunt, ne in ſyncopen incidant, aquam ſimplicem crudam ſaccharo commixtam cum modico ſucci limonum, exhibent: quam potionem, ut poſtea dicemus, ipſi per excellentiam, ſarbet, appellant, atque ipſam vel ſtillatitiam calaf, vel de nenuphare, vel de ſoncho, vel endivia cum aliquo ſyrupo refrigerante, veluti eſt violatus, nenupharinus, roſatus, de ſucco limonum, vel de acetoſitate citri. Alii eandem cum vino granatorum, atque ſaccharo, atque alii exhibent aquam infuſionis, florum calaf, vel berberorum, vel tamarindorum cum ſaccharo. Atque alii

etiam offerunt potionem, de quibus poſtea loquemur. Quæ omnia videntur idonea auxilia ex calida temperie imbecillo ventriculo, vel acutioris ſenſus, atque bilioſo ſive picrocolo, ab eo enim potu, exeunte ſanguine, non facile in deliquium animi ægroti concidunt. Quid mirum enim eſt, frigidæ aquæ potu à ſyncope ægrotos defendi poſſe, cum ea tantum in facie projecta, jam ortum deliquium animi miteſcere compertum ſit? Guiland. Aquæ illiuſce potus uſum iis, quibus ſanguis ſtatim mittitur, noxium potius, quàm utilem apud eos judico, quando, ut ex te audivi, non modicò, ſed larga frigidam aquam illis propinent, qua etſi videantur tunc juvari, qui rectè perferant ſanguinis miſſionem, tamen paulo poſt nimium refrigerato ventriculo, aliquam noxam ſentient; maximequè etiam, quia ab ipſa intra venas rapta ægrotos in hydropem incidere poſſe Avicenna teſtatum reliquit. Quod ejus verba ita explicant: *In eo, qui phlebotomatur, ſuper potum aquæ plurimæ timetur hydropiſis, propter expulſionem aquæ attractæ cum ſanguine ad profunda membrorum: Quare oportet, ut ſit occupatus in provocanda urina, & ea, quæ ſequuntur.* Neque rectè utilitatem aquæ in facie projectæ calorem intus protrudentis, qui tunc vividior in ventriculo, aliiſque internis membris fit, ei utilitati eſſe comparandam judico, quæ per os potu aquæ in ſtomachum aſſumitur, quando hæc non modo calorem non vivificet, ſed potius imminuat, atque extinguat, & illa foveat, atque roboret, ab extrinſecis partibus manduntur, & potantur, in miſſione ſanguinis: utilius nunc erit, ut ad modos, pro quibus illi ſanguinem mittunt exponendos, accedas. Ne tempus in his amplius conteramus.

Cap.

## CAP. IX.

### *Quot modis Ægyptii ſanguinem mittere ſoleant.*

### GUILANDINUS.

QUOT modis medici illi ſanguinem mittere nunc conſueverint, ex te audire deſidero, ex quo ſermone non parum ego voluptatis accipiam, quando apud illos medicos cogitem, præter eam rationem, qua noſtri medici in mittendo ſanguine utuntur, aliquos alios in uſu eſſe mittendi ſanguinis modos, quos noſtris non minus pro varietate præſidiorum, quàm utilitate multa, maxime gratos fore exiſtimo. Igitur, ſi placet, de his ſermonem inſtituas. ALPIN. Tribus modis eos mittere ſanguinem ibi obſervavi, ac cognovi, quippe per venarum, & per arteriarum ſectionem, atque tertio per ſacrificationem cutis. Venarum enim ſectione, non ſecus quàm noſtri, nacti ab acutis, atque magnis morbis occaſionem, ſanguinem mittunt. ſed à plurimis venis, quæ apud noſtros medicos non ſunt in uſu, miſſionem ſanguinis exercent, veluti ſunt venæ temporum, frontis, aurium, angulorum oculorum, naſi, labiorum, gulæ, atque aliarum partium aliæ, quas paulò poſt recenſebimus. Arteriarum pro miſſione ſanguinis etiam ſectionem, apud ipſos eſſe non minus in uſu, quàm venarum ad multos chronicos morbos profligandos, omnes, qui ea loca habitarunt, teſtes exiſtunt. Et ego hiſce oculis ſæpe vidi frontis, aurium, manuſque arterias ſectas, quæ non ſecus quàm vena brevi tempore coaluerunt. Harum uſum pro mittendo ſanguine, Ægyptiorum, Arabumque proprium eſſe exiſtimo, quando alibi nuſquam gentium, neque viderim, neque audierim obſervari talem miſſionem ſanguinis, quæ etſi multis ad multos morbos idonea, ac multum utilis videretur, non tamen arteriarum ſectionem tutam, atque ſine magno periculo exerceri poſſe quiſquam affirmabit, magna ſiquidem cum difficultate, & non ſine multo vitæ diſcrimine ſectæ arteriæ coaleſcere poſſunt, ut & apud

apud Galenum & alios præclariſſimos medicos planè conſtitutum eſt. Sed de his ſuis locis loquemur accuratius, atque uberius. Cute etiam ſcarificata, frequentiſſime, atque familiariſſime, mittunt ſanguinem, in pueris, mulieribus, atque Eunuchis. Scarificant autem ad mittendum ſanguinem, crura, aures, nares, labia, & ab his partibus ſcarificatis abſque ulla cucurbitula ſanguinem evacuant. Advertant medici noſtri temporis illos nunquam ab illis facrificatis partibus pro eductione ſanguinis ullo cucurbitularum genere uti, ſed earum vice dulcis aquæ calido balneo, nec unquam pro univerſali corporis evacuatione cucurbitulis ſanguinem educunt, ſed ſolum pro partis alicujus evacuatione molienda, præſertimque capitis, neque præterea partibus corporis cucurbitulas affigere ſolent pro mittendo ſanguine, occipite atque collo exceptis, à quibus in oculorum morbis, multiſque aliis calidis morbis capitis, ſemper facta univerſali corporis evacuatione, ſcarificatione cucurbitulis appoſitis ſanguinem mittunt. Cucurbitulæ etiam, quibus illi medici utuntur, ab iis, quæ apud noſtris in uſu exiſtunt planè diverſæ ſpectantur, illique diverſo modo iis utuntur, Quando eas non igne, vel aqua, ut noſtri faciunt, ſed ſpiritus attractione cuti affigunt. Sanguinis miſſionem per hirudines prorſus negligunt, quòd ibi hæ fortaſſe non naſcantur, neque reperiantur. Hique modi exiſtunt, quibus illi medici ſanguinem mittunt. Nunc vero de omnibus venis, quarum ſectionem pro ſanguinis miſſione frequentant, loquendum eſt.

## Cap. X.

### *De venis, quæ in uſu ſunt apud Ægyptios pro molienda ſanguinis miſſione*

### ALPINUS.

Apud Medicos Ægyptios pro miſſione ſanguinis facienda omnes utique venæ in uſu exiſtunt, ſed quæ magis familia-

liares apud ipſos habentur, ſæpiuſque frequentantur, ſunt temporum, frontis, magnorum angulorum oculorum, aurium, naſi, narium, labiorum, præſertimque inferioris labii, linguæ, occipitis, colli, atque jugulares, cubiti, manus, poplitis, ſurarum, atque tali. Uſus vero venarum capitis apud illos frequentiſſimus, atque familiariſſimus eſt, quòd ſæpe ingens ipſorum caterva oculorum lippitudinibus corripiantur, atque affliĉtentur. Quibus occurrunt, ſanguinis in primis facta evacuatione, ex cephalica cubiti directè partis affectæ, vel magis læſæ reſpicientis, & mox ſecta vena frontis, deincepſque non deſinente morbo, magnorum angulorum oculorum. Multi priuſquàm ad venam frontis accedant, miſſionem ſanguinis ex occipite, atque partibus proximis poſt aures poſitis, cum ſcarificatione appoſitis cucurbitulis procurant, atque mox non ſublata oculi inflammatione, ad alias nuper dictas ſecandas deſcendunt. GUILAND. Rectè in iis ſecandis ſe gerere videntur, quando, Gal. in lib. de conſtit. art. med. docuit, ſanguinis evacuationem affectæ parti per vicinarum partium venas fieri oportere, veluti his verbis apud ipſum legitur: *His ergo docentibus, qui in eoxendicem fluxus decubuere, per poplitum ac malleolorum evacuabimus venas, uti ſanè, & quæ in uteris hæreſcunt: quæ in thorace ac pulmone habentur, per venam cubiti internam: Quæ in capite & in collo ex humeraria. Proximarum enim, omniumque affectæ particulæ venarum evacuatio optima eſt ac facillima.* Providere itaque oculorum inflammationibus per has ſectas venas rectè videntur. Sed quonam modo ipſi parvas, vixque apparentes multarum partium venas ſecare queunt? ALPIN. Certè Chirurgi Ægyptii, ſive operarii in ſcindendis venis, longè noſtris accommodatiores, ae peritiores obſervantur; tenuiſſimas ſiquidem ac multum obſcuras venas commodè ac tutò ſecant. Quod etſi tutò faciant, nihilominus in multis partibus, hæ minimæ venæ vixque conſpicuæ cernuntur, ſcarificatione utuntur, pro evacuando ſanguine, veluti faciunt ab auribus ſanguinem mittere volentes, venis intra extraque ipſas ſcarificatis. (Quamquam Gal. in epidem. Hippcoratem reprehenderit, dicentem. *Cedemata curantur ſcarificatis venis*

Cap. 17.

*quæ*

*quæ intra aures ſunt.*) Idemque in labiis, gingivis, naribus, collo, cruribuſqee facere obſervantur; à quibus partibus ſcarificatis non æquè copiam ſanguinis evacuant; namque ab auribus, labiis, gingivis, collo, paucus emanat ſanguis, cujus pauca quantitate ex auribus infantium detracta; (hæc enim aurium ſcarificatio propria ferè puerorum ibi exiſtit.) atque etiam à labiis, gingiviſque eductum ſanguinem etiam in adultis præcedente univerſali evacuatione, mederi poſſe malis illarum partium arbitrantur. GUILAND. Expecto etiam, ut dicas, quibus malis occurrant ex ſectis iis ſingulis nuper dictis venis, pro ſanguinis evacuatione facienda. De cujuſque igitur ſectionis, qua hi utuntur pro miſſione ſanguinis, utilitate, nunc te verba facere cupio. ALPIN. Dico igitur à vena frontis facto principio, eam Ægyptios ſecare, atque ab ea ſanguinem mittere, in maximis capitis doloribus, ac inflammationibus: quibus malis ſanguinis evacuationem ex iſta vena celebratam verè conducere Hippocr. lib. 5. Aphor. & Gal. tum in lib. de curandi rat. per ſang. miſſ. tum in 13. meth. nos docuerunt. Itidemque venas temporum, magnorumque angulorum oculorum ipſi in iiſdem affectibus ſecant, quibus ab iis ſectis venis miſſionem ſanguinis convenire, Gal. in lib. de Anatomia vivorum, ſcriptum reliquit; quippè in capitis doloribus, præſertimque, hemicraniis, atque in antiquis opthalmiis, & lacrymis, panno, ſcabie, palpebrarum. nyctalope. Venas vero poſt aures, atque intra aures ſecant in pueris aliquo acuto morbo vexatis, præſertimque in calidioribus capitis morbis. Nariumque & naſi venas incidunt in antiquis doloribus capitis, atque in oculorum etiam paſſionibus, facieique ruboribus, & inflammationibus, proximas naſo particulas lædentibus, ut eſt gutta roſacea. GUILAND. Hunc venarum uſum, atque utilitatem fortaſſe eos à Galenò accepiſſe, dicendum erit, qui in lib. 1. de comp. med. ſecundum loc. hæc eadem à te narrata ad unguem his verbis ſcripſerit, dicens: *Quod ſi affectio (ut potè dolor capitis) perſeveret, venæ ſectione à naſo, aut fronte, aut cucurbitis affiixis utitor*, ſanguinis à locis affectis detractiones In affectionibus inveteratis convenire omnes medici fatentur. ALPIN. Et labiorum, gingiva-

Aphor. 68. Cap. 19. Cap. 11.

givarumque venas ſecant, vel potius ſcarificant, in faucium, gutturis, oris, gingivarumque inflammationibus, atque in dentium doloribus, à dentium gingivarumque morbis, atque labiorum fiſſuris ſcarificatione gingivarum, ad dentium radices ter quaterque in menſe facta, ſe longo tempore præſervant, eas vero ſcarificant acutiſſimo ſtilo argenteo, vel aureo. Mittunt etiam ſanguinem ſectis ſub lingua venis in gutturis, aſperæ arteriæ, faucium, & tonſillarum inflammatione, non ſecus, quàm noſtri faciunt. Collum vero atque mentum ſcarificant, in gutturis maximis inflammationibus, ab iiſque ſanguinem mittunt, appoſitis cucurbitulis. Quod ex Galeno faciendum, in iis morbis in 6. de compon. med. ſecundum locos, his verbis docemur. *Si vero nihil tale apparuerit, augeſcat tamen malum, ita, ut ægrè transglutire poſſint ægri, ut ſuffocationis principium ſit nobis ſuſpectum, alvus forti clyſtere, aut glande ſubducenda eſt, & vena cubiti ſecanda cucurbitæque cum ſcarificatione collo ac mento affigendæ.* Cap. 3. GUILAND. Quaſi iſthæc omnia Gal. confirmat de miſſione ſanguinis à venis capitis, quæ tu nunc dixiſti, in lib. de curat. per ſanguinis miſſ. ita dicens: *Quo circa quæ in gutture & arteria gravi torquentur inflammatione, in principio quidem ſecta in cubito vena, poſt principium autem in ipſa lingua magnifice prodeſt, inciſis videlicet venis, quæ in ea ſunt, ambabus. Sic induratæ phlegmonis in oculis reliquiæ, ſecta, quæ ad magnum decurrit angulum, vena, mirifice juvantur: Sicut capitis gravitas, & inveteratos in eo ex plenitudine dolores levare, manifeſte ſolet tuſa in fronte vena: ac incipientes, aut etiam vigentes per cucurbitam in cervice procurata retractio, interim quidem ſolam, interim cum ſcarificatione.* Cap. 19. Sed tu perge reliqua enarrare. ALPIN. Jugulares venas non minus ſecant in maximis, tum gutturis, tum ceterarum partium reſpirationi ſubſervientium inflammationibus, atque tumoribus, maximeque in angina ſuffocante. Multo etenim ſanguine ex altera jugularium ſecta vena, evacuato, multos ferè planè ſuffocatos ad vitam rediiſſe, à multis illorum, atque à me obſervatum eſt. Neque mirum, quando & Auctor lib. de Anat. vivorum hæc ſcripta reliquerit: *Et ex iſtis ſunt duæ jugulares, & minuuntur in principio lepræ, & fortis anginæ,*

*& anguſtia anhelitus, & in aſthmate acuto, & in raucedine vocis, & in apoſtemate pulmonis, & in ſpirandi difficultate, quæ ex multo ſanguine fit calido, & ægritudinibus ſplenis, & laterum.* De aliarum vero venarum utilitate nihil amplius dicam, quando ſatis omnia, quoad illorum ritum hactenus dixerimus. De crurum vero auriumque ſcarificatione, à quibus partibus per ſcarificationem abſque cucurbitulis mittunt ſanguinem, aliàs ſuis locis loquemur. Atque hic eſt illarum omnium venarum apud Ægyptios frequentatus uſus, & utilitas. Quæ omnia non diſſentire videntur à Galeni doctrina. In lib. enim nuper dicto, ſi tamen ejus eſt, de venarum temporum, jugularium, magnorumque angulorum oculorum, atque omnium aliarum uſu atque utilitate eadem planè leguntur, & illarum, quæ in
Cap. 2. naribus exiſtunt, fronte, lingua, in lib. 2. & 6. de comp.
Cap. 3. med. ſecundum loc. non minuſque uſus cucurbitularum in collo & mento, atque poſt aures, in lib. de oculis, atque in 6. epi-
Comm. 5. dem. GUILAND. Priuſquàm ulterius progrediaris, lubet ali-
text. 22. qua adverſus ea, quæ de uſu venarum, quæ ſunt in magnis oculorum angulis atque poſt aures poſitæ, ex Ægyptiorum inſtituto dixiſti, nunc in medium afferre. Nam author lib. de Anat. vivorum dixit: *Et duæ venæ temporum, quæ flexuoſe incedunt: & duæ venæ, quæ ſunt in angulis oculorum lacrimalibus, non apparent multum, niſi propter conſtrictionem ſuffocantem, & in ipſis non eſt profundandus phlebotomus, quoniam fortè fierent fiſtulæ, & non egreditur ſanguis niſi paucus.* Ex his igitur apparet uſum venarum, magnorum angulorum oculorum neque tutum, neque multum utilem eſſe, quando ab iis ſectis venis, & fiſtularum impendeat periculum, ex parte ſubjacente ad ſuſcipiendas fiſtulas facillima; atque cum parum etiam ſanguinis per earum venarum ſectionem evacuetur, parum utilitatis eſſe poſſunt. Eas vero, quæ intra, extraque aures cernuntur, quas tu ſecare illos affirmaſti, certum eſt Galenum, Hippocratem in 6. epid. reprehendiſſe, qui dixerit, Cedemata curari ſcarifica-
Cap. 11. tis quæ intra aures ſunt. De venis autem poſt aures poſitis Hippoc. hæc in lib. de aëre, loc. & aquis memoriæ prodidit: *A principio morbi utramque venam retro aures incidunt, quo facto ſan-*

*ſanguine multo promanante ſomnus eos corripit præ imbecillitate, ſicque obdormiſcunt, quorum quidem aliqui depulſo ſomno ſani exurgunt, aliqui vero minime. Atque mihi ſanè videntur ea medicatione ſeipſos perdere: venæ enim retrò aures ſunt, quas ſi quis ſecet, ſterilitatem inferet his, quibus ſecantur:* Quamobrem ex iis apparet, primo magnorum angulorum venas parvæ eſſe utilitatis, quòd per ipſarum ſectionem paucus ſanguis educatur, & ſecundo, aurium nuper dictas ſectas venas ſterilitatis, atque exitioſi ſomni aliquando eſſe cauſam; ideo illarum uſum haud à noſtris medicis arripiendum puto. ALPIN. De venis magnorum angulorum in oculis Galenum dixiſſe, paucum ſanguinem vacuari, atque impendere periculum ex ipſarum ſectione futuræ fiſtulæ, veriſſimum eſt, ſi tamen is ejus eſt liber, quando in alio libro de curat. per ſang. miſſ. de iis venis, hæc etiam ſcripſerit: *Sic induratæ phlegmonum in oculis reliquiæ, ſecta, quæ ad magnum decurrit angulum vena, mirifice juvatur.* Ego vero ſemper quantum volui ſanguinis copiam, ab his ſectis venis in multis corporibus detraxi. Franciſco enim Rigono, Georgii Hemi; eo tempore ibi pro Sereniſſima, ſimulque feliciſſima Veneta Republica, Conſulis clariſſimi, Oeconomo, difficili oculorum lippitudine afflicto, vena, quæ dextri oculi magnum perreptat angulum, diſſecta, ſanguis ad librarum pondus ſæpe detractus eſt. Nulliſque, etſi in pluribus iſtius venæ ſectionem obſervaverim, exinde fiſtulam obortam fuiſſe obſervavi. De venis verò, quæ tum intra tum extra aures exiſtunt, quas omnes ſcarificatione ſecant, quamquam in illarum ſectione Gal. Hippocratem reprehenderit, nos poſterius, ubi de ſcarificatione aurium ſermonem habuerimus, quid ſentiendum ſit, dicemus. Quod verò apud Hippocratem legitur in lib. de aëre, loc. & aquis de venarum poſt aures poſitarum ſectione, atque ab illa evacuato copioſo ſanguine, cum ſterilitatem induci, tum immoderatos ſomnos, partim verum, partim falſum eſt. Etenim ex larga ſanguinis per illas venas diſſectas evacuatione homines in profundiſſimos, longiſſimoſque ſomnos, prolabi, non eſt mirum: multa exinde cerebri facta refrigeratione, ab imminuto calore nativo, ob multam cum ſanguine ſimul ſpiri- Cap. 9.

tuum factam diſſolutionem. Minime tamen obſervatum eſt, aliquam ab ea ſterilem evaſiſſe. Memini juvenem Chriſtianum natione Cophtum, annos natum ſupra viginti, Aois appellatum, Cayri ab appoſitis cum ſacrificatione cucurbitulis poſt aures, ob oculorum difficilem opthalmiam, illiſque venis profunda, more illorum, ſcarificatione facta, inciſis, ac plurimo vacuato ſanguine, in profundiſſimum ſomnum incidiſſe, ex quo multi mortuum ipſum ſunt arbitrati, qui tamen poſt très dies expergefactus, convaluit, paucoſque poſt menſes puellam pro uxore duxit, cum qua filium habuit; hæcque à me obiter de his dicta ſint. Guiland. Venas capitis multas quippè temporum, angulorum oculorum, naſi, frontis, & alias non niſi propter conſtrictionem ſuffocantem apparere, ut commodo ſecari poſſint, Author libri de anatom. vivorum docuit. Proptera neſcio, an Ægyptii illas ita parent, ut intumeſcant, more noſtrorum, linteo quàm foriter collo devincto, vel alio utantur, ut idem præſtent, artificio. Amplius duo etiam alia ſcire ex te cupio, quorum alterum eſt, quo pacto jugularem venam apparere faciant, quaque in parte rectè appareat: non minuſque quomodo ab iis ſecetur. Demum idem de ea, quæ in poplite ſcinditur, à te dicendum puto. Alpin. Eodem modo, quo noſtri facere obſervantur, Ægyptii utuntur in ſecandis omnibus capitis venis, ligantes collum linteo quàm fortiter, vel etiam frontem pro ſcindenda vena frontis: In ſecanda vero altera jugularium, in primis collo eodem modo fortiter linteo devincto, ægrotum caput flectere; atque inclinare ad oppoſitam partem jubent, venamque per rectitudinem tundunt, ac vacuato ſanguine, caput præter quod ad oppoſitum inclinantes diſtendunt, obliquè flectunt, ut venæ ſectio obtegatur, faciliuſque coaleſcat. Secant itidem ſub poplite venam, facta ligatura ſub genu, interimque etiam ſupra genu. Sed ſæpe non apparet, maximèque in iis, quorum corpora venis exiguis referta ſunt. Sed tempus eſt, ut ad arteriarum ſectionem, qua Ægyptii non ſecus quàm in venis utuntur, tranſeamus.

Cap.

## CAP. XI.

### *Ægyptios arterias pro ſanguinis miſſione non ſecus quàm venas ſecare.*

### ALPINUS.

ÆGYPTIIS ſanguinis vacuatio per ſectas arterias non minus quám per venas, familiariſſima eſt, & abſque ullo timore eas ſecant ad quamplurimos curandos morbos. Uſumque ſanguinis vacuationis per ipſas ſectas frequentiſſimum habent, ac pro tutiſſimo auxilio, divinoque ſecreto, ad diuturnas oculorum opthalmias, aque inveteratas, nec-non ad capitis, viſcerumque multorum antiquos, diuturnoſque dolores. In hiſque malis audaciſſime illi non ſecus quàm venas, arterias ſecant, atque ab ipſis ſanguinem mittunt. GUILAND. Mirabile nunc ex te de arteriis audio, quòd ipſas pro mittendo ſanguine illi medici ſecare audeant, atque ita familiariter & tutò, perinde ac in venis facerent: hoc certè non poſſum non multum admirari, maximequè cum nemo noſtrum hanc provinciam aggredi hactenus auſus fuerit. Harum ſiquidem ſectarum arteriarum uſum pro miſſione ſanguinis, non modo omnibus medicis recentioribus, verum etiam antiquis maxime ſuſpectum fuiſſe, multorum teſtimoniis planè conſtat. Neque immeritò Gal. in lib. de cur. Cap. 23. rat. per ſang. miſſ. hæc loquente; *Quin & interiiſſe quoſdam novi ab arteria interiori in cubito, venæ ſubjecta, nonnullos quidem potius ob vinculum circumpoſitum, volentibus medicis ſiſtere ſanguinis eruptionem, in gangrænam incidentes: alios poſtea in aneuriſmate manu curando defunctos.* Quo timore non injuria in animos, tum antiquorum, tum recentiorum medicorum injecto; exinde omnes abhorruere ſanguinis miſſionem per arteriarum ſectionem faciendam, tantique remedii uſum hinc parvi fecerunt, atque neglexerunt. Quid itaque ais, tantùm illis medicis Ægyptiis nunc ineſſe audaciæ, ut omni abjecto timore, magniſque neglectis periculis, arterias, uſque ad mittendum ſanguinem ſecent?

cent? Alpin. An non tibi videntur medici tutò poſſe arterias ſecare, quia fortaſſe ſectæ arteriæ nequeant coaleſcere, atque hinc aneuriſmatis periculum impendere, tandemque exitii?
Cap. 6. Fortaſſe nunc eorum tibi non venit in mentem, quæ Gal. hac de re ſcripſerit in libro 5. methodi, quæ ſunt hujuſmodi. *De arteria autem vulnerata jam dictum eſt, nonnullis medicorum videri non poſſe fieri, ut coeat. Atque aſſerunt aliqui quidem ſola experientia ſe contentos profeſſi: Alii vero etiam ratione uſi ejuſmodi, ſiquidem duram eſſe ac cartilagineam ajunt alteram arteriæ tunicam, talium vero nihil poſſe in unum coire, cum ſit mollium tantum corporum in unum coeundi habilitas: ut tum in externis, videlicet nullo nec lapide cum lapide, nec teſta cum teſta unquam coeunte: tum vero in nobis ipſis, quando nec cartilago cum cartilagine, nec os cum oſſe coaleſcat. Non enim fracta oſſa per unionem cohærent, ſed per callum eum, quem Græci poron vocant, ceu glutine junguntur: ſiquidem arteriæ natura difficultatem quidem durioris tunicæ ſuæ glutinandæ, prorſus indicat, non tamen ejuſmodi, quæ evinci omnino nequeat, neque ita eſt ſicca & dura, ut os vel cartilago, immo longe his mollior, ac magis carnoſa. Quo utique minus de unienda ſectione ejus eſt deſperandum, ubi tum ipſa ſit parva. tum hominis corpus natura molle. Videtur autem experientia quoque ipſa rationi ſubſcribere: cum & in pueris & in mulieribus propter corporum humiditatem, & mollitiem, eam viderim glutinari, & in uno juvene, cui (ut dictum eſt,) exigue erat inciſa. Cum vero ſanatu difficilior ſit arteria, quàm vena, non tamen eſt medicamentorum admodum diverſus in utraque uſus, immo ſpecie planè idem majoris minoriſque ratione evarians. Quippè tanto ſiccioribus medicamentis eget arteria, quàm vena, quod ſi carnem circa gigni eſt opus, eadem ambæ requirunt:* atque hæc Gal. Ex quibus cum conſtet arterias ſectas poſſe coaleſcere, quamquam ita non facile id ſit, cur & nos non fatebimur, tutò poſſe earum aliquas pro mittendo ſanguine ſecari? nec ab ipſarum ſectione, ſemper aneuriſmatis pendere periculum? Mihi quidem hoc videtur, verum ratione in primis, quod arteriæ ſectæ poſſint coaleſcere, atque mox experientia Ægyptiorum omnium, quos ſæpiſſime viderim multas in multis ægrotis ſecuiſſe, abſque ullo diſcrimine

ne vel timore, nullumque à ſecta aliqua arteria obiiſſe vidi; quinimo multos exinde ſanatos fuiſſe, Galenus etiam viſus eſt hoc non modò non rejeciſſe remedium, verum tutò medicos utique arterias ſecare poſſe confirmaſſe, atque eaſdem coaleſcere poſſe. Etenim ipſe in lib. de curat. per ſang. miſſ. circa finem dixit: *poſtquam per inſomnia monitus arteriam ſecui, quæ eſt inter pollicem & indicem, & ſanguinem ea ſecta miſi, beneque ſucceſſit, atque vidi etiam magiſtrum quendam Pergami arteria cubiti ſecta, à lateris dolore liberatum abſque ullo aneuriſmate*; atque hæc etiam ſubjungens, ait: *Hæc itaque mihi perſuaſerunt, ut ſubinde in ſummis artubus, immo & in capite arterias ſecarem in omnibus doloribus, qui à calida, ſpirituoſaque ſubſtantia naſci videbantur, & maxime in membranis: quarum dolor punctioni ſimilis eſt, ac ſenſim expanditur, pungente quidem ſenſu una in parte, tanquam in affecti loci centro infixo.* GUILAND. Non differt mea hac in re à tua ſententia, quinimo eidem addictus ſum, exiſtimoque non eſſe deſperatam arteriarum ſectarum unionem, atque coaleſcentiam; duo tamen exiſtunt, quæ mihi hujus rei veritatem non parum ancipitem reddunt, quorum alterum eſt, pulſus in arteriis motus, qui videtur valde efficax ad vitandam arteriæ unionem, ulceriſque ſanationem. Gal. enim pulmonum ulcera ſanari non poſſe ob continuam pulmonum motionem, non immeritò docuit, cum ex motu vulnera, quæ coaluerunt, facile denuo rumpantur, atque aperiantur. Cogito itaque motum continuum arteriarum ipſis, quominus coaleſcant, atque ſanentur, eſſe multo impedimento, quæ difficultas augetur à duriori ſubſtantia arteriarum, qua ſectæ arteriæ multo difficilius venis ſanari poſſunt. ALPIN. Galenus ait, arterias dura ſanè ſubſtantia præditas eſſe, non tamen ea, quæ nullam recipiat coaleſcentiam, atque unionem. Illi vero arteriarum prævalido motui facillimo ac tutiſſimo remedio occurrunt. Sectioni enim arteriæ, probe in primis unitæ digitis fruſtum æris planum, rotundum, & craſſum ſuperponunt, ipſumque valide, ei annectunt, & fortiter ligant, ut valide arteriam comprimat, atque ejus pulſui valide obſiſtat, ne rurſum vulnus aperiatur. GUILAND. Hæc ſufficere mihi videntur, ad de-

demonſtrandum rectum in arteriarum ſectione uſum, & hac ratione tutò illos medicos operari poſſe exiſtimo. Nunc te, quas illi ſecant arterias, narrare decet, atque quonam modo, tum illas ſecent, tum ſectas ſanent, ab aneuriſmateque defendant, & in quibus malis earum ſectione pro mittendo ſanguine, illi utantur.

## Cap. XII.

### *De arteriis, quas Ægyptii ſecare ſolent, atque quomodo illas ſecent, & curent, & in quibus etiam morbis ipſarum ſectione utantur.*

### ALPINUS.

EJUS regionis medici omnium arteriarum, quæ in capite cernuntur, ſectionem pro ſanguinis vacuatione aggredi ſolent. In antiquis enim capitis doloribus, maximeque cum pulſu affligentibus, in omnibuſque etiam capitis inflammationibus, arteriam frontis, temporum, atque eam, quæ poſt aures eſt poſita, ſecare ſolent; idque feliciter ipſis accidit, ex his vero omnibus eam, quæ in fronte exiſtit, frequentius ad illius affectus ſcindere ſolent, præſertimque in antiquatis ophtalmiis. Multos, qui vel antiquum capitis dolorem pertulerunt, vel oculos longo tempore habuerunt lippientes, per ſectam frontis arteriam ſanguine evacuato ſubito, quaſi præſtigio quodam ſanatos fuiſſe Cayri vidi. Harum itidem earundem arteriarum uſum Galeno fuiſſe plane cognitum, verba ab eo in lib. 14. meth. tradita probè manifeſtant, quæ hæc exiſtunt: *Oportet autem deraſo capite curioſe tangere, tum quæ retro, tum quæ ſecundum utramque aurem ſunt, arterias: præterea, quæ in fronte, & quæ in temporibus ſunt. Quarum quæ calidiores aliis apparebunt, ac majorem exhibentes pulſum, hæ ſunt incidendæ. Quæcumque vero & parvæ & propè cutem reſident, harum vel ſi partem aliquam excideris, veluti facere in crurum varicibus ſolemus, aptius erit.* Quod & apud illos frequens eſt; neque immeritò, quando ar-

teriæ, quæ calidiores atque grandiores apparent, multum ſanguinem excalfactum, vel aliquo flatu permiſtum contineant, eoque repletæ diſtendantur; qui per eas ſectas, tum evacuatur, unà cum halitu, tum refrigeratur. GUILAND. Quæſo ne te narrare pigeat, an apud illos medicos videris nuper dictarum arteriarum aliquam ſectam, ut venæ à noſtris ſecari ſolent, ſimulque extractam, vel exuſtam fuiſſe. Quando in lib. de Anat. vivorum hæc de his legantur: *Ex arteriis verò, quæ ſunt in capite, eſt artèria temporis, quæ quandoque aduritur, & hoc fit, ut rheumatiſmi ſubtiles conſtringantur, qui ad oculos deſcendunt; & duæ arteriæ, quæ ſunt poſt aures, quæ phlebotomantur propter ſpecies ophtalmiæ, & principium aquæ, nyctalopes, & antiquum dolorem hepatis, in earum tamen phlebotomia ſemper exiſtit timor, & tardatur conſolidatio.* ALPIN. Nunquam illos medicos vidi arteriam aliquam totam ſecuiſſe, vel extraxiſſe, ſæpiſſime tamen phlebotomatam non ſecus quàm venam fuiſſe in multis oculatim vidi. Sæpiſſime ad prohibendos catarrhales fluxus in oculos, temporum arterias exurunt. In omnibus ſanè Ægypti locis quamplurimos exuſtis temporibus, ob eam cauſam cernes: is vèro arterias illas, atque alias exurendi uſus ab Æthiopia illuc delatus eſt. Nam Æthiopum, Abiſſionorumque plurimi eum modum exurendi affectant. Nunquam vidi aliquem uſum fuiſſe ſectione arteriarum, poſt aures poſitarum, pro lippientibus, atque iis, qui hepatis dolorem patiuntur; hepate enim affecto illam ſecare ſolent arteriam, quæ inter pollicem digitum, & indicem manus pulſat. Quod Cap. 23. à Galeno quoque comprobatum ſuiſſe legitur in lib. de curat. per ſang. miſſ. Audivi ab illis medicis etiam jugulares arterias in ſuffocantibus affectibus ſecari, quod ego nuſquam in illis locis vidi. Secant in manu, ut dictum eſt, poſitam inter pollicem & indicem digitum, ab eaque mittere ſanguinem ſolent ad omnes internorum viſcerum dolores, atque inflammationes. Hæque ſunt arteriæ, quas eos ad ſanguinem detrahendum, ſecare per id temporis obſervare potui. GUILAND. Illos mihi in multam gratiam reduxiſti, qui non modo omnes Græcos, Arabeſque antiquos medicos longè in hoc ſuperarint, cum nun-

S quam

quam ipſorum aliquem fuiſſe legatur, qui ſectione arteriarum ita familiariter, & tutò uſus fuerit, ſed fortaſſe multis ſecretis auxiliis vel medicamentis ſectas illas arterias, magis tutò conglutinant, & ipſarum vulnus ſanant. Alpin. Duo nunc tibi narro, quorum primum eſt, quomodo illi ſecent arterias; ſecundum, ſectas quo pacto facile ſanent. Operarius in primis partem, in qua arteria ſcindenda exiſtit, faſcia linea, non ſecus quàm in venarum ſectione fieri ſolet, ligat, arteriamque ſanguine impleri, atque tumidam fieri, ſinit, quam tunc acutiſſimo phlebotomo, ſive ſcalpro oblique ſecat (phlebotomis Ægyptii ad ſectionem arteriarum longè noſtris acutiores utuntur,) in ſectioneque etiam illarum ſemper minimam efficiunt ſectionem, quia ſanguis tenuiſſimus eſt, atque etiam quòd magnum vulnus difficilius coaleſcit. Secta itaque arteria ſinit ſanguinis tantum effluere, quanto opus habet: cujus quantitatis regula à multis obſervatur, quando ex ſemetipſo ſanguis deſinit effluere. Sanguineque vacuato, non ſecus quàm noſtri in ſectis venis ad unionem digitis labia deducunt, ita ſectam arteriam unit, ejuſque vulneri modicum goſſypii ſuperponit, ſupra quem æneum magnum denarium ibi uſitatum, (quem illi Follara appellant, eſtque ipſe latitudinis communis veneti aurei, & craſſitie argentei aurei) fortiter alligat, permittitque hoc modo arteriam ligatam, & adſtrictam tribus diebus manere, quibus finitis, ligaturam detrahit, nullo ad ipſius curam auxilio ab iis uſitato; nullumque ex plurimis, vidi, cui ſectæ arteriæ fuerunt, qui detracto æneo denario, ligatura poſt très exactos dies, aliquo alio auxilio opus habuerit, ſed integrè ſanatos omnes obſervavi. Sunt vero aliqui, qui priuſquàm ligent arteriam, goſſypiumque ei ſuperponant, parum thuris accenſæ candelæ flammâ calefacti apponunt, eoque arteriæ vulnus rectè digitis uniunt, & mox goſſypium, & tandem follara ſuperponunt, atque alii lentium nigrarum pulverem arteriæ vulnus aſpergunt, & mox goſſypium & follaram apponunt; atque hæc de ſectione arteriarum apud illos uſita ſufficiunt, ex quibus colligitur duo in ſectione illa obſervari, ſcilicet in iis affectum minimum vulnus, peroblique acutiſſimoque phlebotomo





tomo adactum, & applicationem ænei denarii ſupra arteriæ vulnus. Quo & frigiditate, & duritie pulſus arteriæ motus cohibetur, atque ne valide arteria pulſu vulnus percutiat, atque ne vehemens ille motus fiat, quo poſſit arteriæ vulnus rurſum dilatari, atque obſtare, quin arteria ſecta rectè coaleſcat, prohibetur. GUILAND. Hactenus uſum ſectionis arteriarum probè narraſti, atque modum, præterea tuto eas, tum ſecandi, tum ſectionem ſanandi, quare omnes facile noſtri medici audacter ipſum uſum aggredi, atque experiri poſſunt. Quum poſſe multis ægrotis prodeſſe, ubi tutò adminiſtrari queat, nemo noſtrum contendat. Sed de his ſatis. Nunc operæ pretium eſſe exiſtimo, ut etiam de cucurbitulis, quibus illi medici utuntur, aliquid diſſeras.

## CAP. XIII.

### *De cucurbitulis, quibus in Ægypto medici utuntur.*

### ALPINUS.

DUO cucurbitularum genera illorum locorum medici uſurpant, unum quippè vitreum, corneum alterum. Utrumque tamen genus ſimul convenit, quòd ſpiritus ſive oris attractione, ſive ore attracta, vel retracta reſpiratione apponuntur. Omnes ii medici hoc ſcilicet modo illas pertractant. Igne enim, vel calenti aquà ipſas cuti affigere nemo illorum novit. Sed ore tantum attracta reſpiratione moliuntur opus, & ſic cuti affigunt. Qui modus admovendi cucurbitulas planè ei ſimilis videtur, quem Hero Alexandrinus in lib. ſpiritualium nobis prodidit. Corneæ, taurorum parvæ, perpolitæ & perforatæ exiſtunt, quibus utraque extremitas, latiſſima quippe & anguſtiſſima, ſive acutiſſima, meatu pervio conſtat. Earum formam ſubjectæ figuræ demonſtrant. Cornu anguſtior extremitas eſt perforata, ut operator ore eam excipiendo, per ipſum ſpirationem intro attractam, cucurbitulam altero ore expanſo latiori, affigere cuti poſſit: ea vero cuti eo modo affixa, anguſtioris

extremi acuti meatus, vel foramen continuò ex ore detractum fruſtulo pellis ovilis ſaliva medefacta, & emollita clauditur, cuteque exinde in aliquem tumorem ducta, cucurbitulæ parvum foramen pelle obductum, & clauſum detegitur, atque aperitur, quo aperto continuò cucurbitula à cute excidit, atque Chirurgo rurſum eam cuti apponere volente, rurſum os latum magnum cuti applicitum, extremi cornu parvum foramen ore excipit, rurſumque ſpiritum intro trahit, quouſque probè affixam illam cuti adhærere viderit, quo viſo continuo extremum pellicula nuper dicta lingua revoluta claudit, ne flatus exinde reſpirare queat. Hoc idem illi faciunt, volentes unà ſanguinem mittere eadem cute ſcarificata. namque eodem modo cucurbitulam cuti annectunt, vel affigunt. atque extremi cornu parvum foramen ore excipiunt, ſpiritumque in ſe trahentes ſanguinem foras trahunt. quem etiam valenter trahit ſola cucurbitula cuti eo modo affixa: quam non trahere, ut volunt ſanguinem, cum viderint, opem ferunt ſpiritum ore valenter per parvum extremi cornu foramen trahentes. Hincque iis cucurbitulis eo modo uſi, quàm noſtris copioſior ſanguis evacuatur. Talium cucurbitularum igitur apud illos medicos eſt uſus. Ceterum hæ ſæpius chirurgis ore ſanguinem, ut dictum eſt, trahentibus in cucurbitulam affixam, illud incommoditatis afferunt, ut ſanguis ſæpius in trahentium chirurgorum ora trahatur, quando ipſum roſtrum vel cornu acutum extremum, cujus per foramen fit attractio, non altius multum emineat à corpore cucurbitulæ; neque corpus eſt ita magnum, ut multum ſanguinem contineat, quod ſanguinem eductum ſuſcipit, atque retinet. Hincque uſum inſtituerunt vitrearum, quæ majori corpore rotundiore ventre conſtarent, & in medium ventris ab eminentiori parte roſtrum longiſſimum pervium ſive cavum, haberent. cujus minus foret, ut per ipſius foramen ſive roſtri extremi os in ore chirurgi exceptum, cucurbitulæ cuti applicarentur, atque ſanguinis miſſionem commodiorem molirentur, qua ſanguis eductus per roſtrum ad os trahentis non duceretur, ſed totus intra corpus cucurbitulæ retineretur, minimeque ad attrahentis os efflueret, cum roſtri extremitas à corpo-

re







re eminentiſſima, ac remotiſſima ſit, roſtrum enim longiſſimum exiſtit. Uſus vero omnium nuper dictarum cucurbitularum unus, atque idem eſt, tum cornearum, tum vitrearum, ſingulæque eodem modo ab iis adhibentur. Viſus eſt etiam Cornelius Celſus hæc noviſſe, cum lib. 2. hæc ſcripſit: *Cucurbitularum æneam & corneam. Ænea altera patet, altera clauſa eſt. Cornea altera parte æque patens, altera foramen habet exiguum. In Æneam linteamentum ardens conjicitur, ac ſic os ejus corpori aptatur; imprimiturque donec inhæreat. Cornea per ſe corpori imponitur; deinde ubi ea parte, qua exiguum foramen eſt, ore ſpiritus adductus eſt, ſuperque cera cavum id clauſum eſt, æque inhæreſcit,* Verum in Ægypto cavum facilius, atque non minus tutò pelle, ſive membrana ſaliva emollita, linguæ opera claudunt. & non cera, qua foramini ita citò aptare, atque abigere, ut opus eſt, non poſſumus. Æneæ apud illos in uſu non ſunt: ſed illarum loco vitreis utuntur, quæ hac figura, ſive effigie exornantur, & cernuntur. Nullæ aliæ ab his, quas diximus, atque delineavimus, cucurbitulæ apud ipſos in uſu exiſtunt, ſed jam de uſu & ope illarum loquamur. Cap. 10.

## CAP. XIV.

### *Qualis cucurbitularum apud Ægyptios ſit uſus, in quibuſque morbis iis ipſi utantur.*

### GUILANDINUS.

Cupio modo illarum cucurbitularum uſum audire, quando apud noſtros medicos cucurbitularum ad plures morbos ſanandos celeberrimum ſit remedium: neque id immeritò, cum hoc præſidii genus tantopere à multis præclariſſimis medicis, ferè ad omnes morbos laudatum ſit: quandoquidem ex antiquioribus medicis, Herodotus celeberrimus iis ſeculis medicus Lib. 7. hæc de iis (Oribaſio referente:) ſcripſerit: *Cucurbitula materiam, quæ in capite eſt, evacuare poteſt, itemque dolorem ſolvere,* Cap. 17. *inflammationem minuere, inflationes diſcutere, appetitum revocare:*

*re: imbecillum exolutumque ſtomachum roborare, animi defectiones amovere: quæ in profundo ſunt, ad ſuperficiem traducere: fluxiones ſiccare, ſanguinis eruptiones cohibere, menſtruas purgationes provocare, facultates corruptionis effectrices attrahere, rigores ſedare, circuitus ſolvere, à propenſione in ſomnum excitare, ſomnum conciliare, gravitates levare, atque hæc quidem, quæque his ſimilia ſunt, præſtare cucurbitularem uſus poteſt:* Quæ eadem apud Galenum in lib. de Hirudin. revulſ. cucurb. & ſcarif. ſcripta leguntur: & Cornelius Celſus uſum illarum in febribus quovis tempore utiliſſimum, atque tutiſſimum prædicavit. idcirco hunc ipſarum uſum apud eam gentem, ex te nunc audire cupio. Alpin. Dixi illos cucurbitulis abſque miſſione ſanguinis rariſſime uti, ſed in corporum evacuationibus eas frequentare. Guiland. Pro univerſaline ſive totius corporis evacuatione, an pro alicujus tantum partis, ipſas adhibere conſueverunt? Alpin. Neminem illorum vidi, qui cucurbitulis aliquando pro univerſali facienda vacuatione ex toto corpore uſus fuerit, ſed alicujus tantum partis gratiâ, præcedente tamen univerſali. Hincque illarum frequentiſſimus eſt uſus, priùs facta univerſali ſanguinis vacuatione ex ſectis in cubito venis, in capitis doloribus, & inflammationibus: præſertimque in phrenitide, amentiis, morbo Dem el muja vocato, oculorum, auriumque doloribus, ac inflammationibus applicant unam occipiti, atque duas partibus circumpoſitis, vel in collo. Cuti verò pro qualibet cucurbitula tres, vel ad plus quinque ſcarificationes infligunt, longas tamen atque profundas: roſtrumque cucurbitulæ cavum ore excipientes, ac ſpiritum fortiter trahentes quantum ſanguinis volunt evacuant. Frequentiſſimus cucurbitularum eſt uſus, cum ſcarificatione occipitis, atque partium circum ipſum poſt aures poſitarum, atque colli: emiſſo ex iis partibus ſanguine: qui multis officit, ipſiſque maxime, qui non admodum calido conſtant capite, quemadmodum in calidiſſimis capitis morbis ſanguinis multa evacuatio, eo modo ab iis ſcarificatis partibus ope cucurbitularum, ſummopere ſemper prodeſt, Nihil eſt præſtantius ad excitandum ſomnum, quàm copioſa ab iis partibus ſcarificatis ſanguinis evacuatio. Sed hæc admodum cau-

cautè eſt adminiſtranda etiam in calidiſſimis capitis affectionibus, quando multos acutè febrientes ob continuas vigilias iſthac uſos immoderata ſanguinis vacuatione, in veternoſos, lethaleſque ſomnos incidiſſe, obſervaverim. Hinc fortaſſe non immerito ab Hippoc. in lib. de aër. loc. & aq. proditum eſt, Scythas uſos hac immoderata vacuatione, vel in ſomnos lethales incidiſſe, vel inde viros impotentes factos, quippè immodice univerſo corpore exinde refrigerato. In capitis verà doloribus, gravitatibus inflammationibus, oculorumque lippitudinibus, & aliis calidis omnium capitis partium affectibus ex plenitudine obortis, ſummo ſemper adjumento erit iſta moderata cucurbitulis procurata vacuatio: quod Gal. lib. de Hirud. revulſ. cucurb. his verbis planè etiam confirmatum reliquit, dicens: *Incipientes, aut vigentes capitis gravitates dolores à plenitudine per cucurbitulam in occipite poſitam, vel ſolam, vel cum ſcarrificarionibus juvat: verum totum corpus antea vacuatum eſſe oportet:* idemque in lib. de cur. per ſang. miſſ. apud ipſum, legitur. Cap. 19.
Ægyptii medici in nuper dictis affectibus primo ſecta cubiti vena cephalica vel communi, occipiti applicant cucurbitulas, mox, cum morbus illis vacuationibus non ceſſerit, vel ad frontis, vel anglorum magnorum, vel narium, vel temporum venam ſecandam confugiunt: eaſdem etiam pro iiſdem malis ad vacuandum ſanguinem ſupra occiput, in averſa capitis parte applicantes. Certumque eſt, ab his partibus, ita ſcarrificatis, quantum ſanguinis volunt copiam vacuare. Cavent tamen hac uti vacuatione in iis, qui caput frigidum, humidum molle, rarique habitus obtinent, quod eorum ab hoc auxilio immodice cerebrum refrigeretur. Quo ita refrigerato, neceſſarium ſit, mox ægerrime ſuas functiones obire poſſe. Siquidem hoc membrum ſuapte natura frigidum, haud facile ſanguinis miſſione refrigeratum, recaleſcere poteſt. In occipite etiam & collo cum ſcarrificatione cucurbitulas adminiſtrant ad gutturis inflammationes, felici cum ſucceſſu: nam præter quod à parte affecta evacuant, etiam naturam excitant, ut per eam viam noxium humorem expellat. Quaſi conentur cucurbitularum ad eam partem facta attractione, naturæ motum ad exteras illas par-

partes imitari. Siquidem ad eas partes humorum decubitum
Aph. 24. ſæpiſſime naturam critice facere, ex Hippoc. lib. 6. aphoriſm. colligi poteſt; Quum ipſe dixerit: *Ei, qui ab angina corripitur, ſi tumor factus fuerit in collo, bonum eſt;* atque etiam in
Aph. 12. lib. 7, aphoriſm. *Ei, qui ab angina corripitur, ſi tumor & rubor in pectore ſupervenit, bonum, extra enim vertitur ægritudo.* A dorſo, lumbis, ſcapulis, pectore, auribus, atque cruribus nuſquam in Ægypto aliquem vidi, qui ſanguinem per cucurbitulas, eduxerit. Guiland. Nonne evacuant plenitudinem totius, aliquando cucurbitulis? An non, ut noſtri, præter occiput poſterioreſque capitis partes, ſcapulis etiam dorſo, lumbis cruribus, atque aliis corporis partibus eas applicant, atque ſanguinis per eas vacuationem procurant? nonne etiam utuntur in peſtiferis febribus ad juvandam exanthematum eruptionem, iiſdem ſcarrificatis, atque etiam ſine ſcarrificatione, quas noſtri appellant leves cucurbitulas, vel ſiccas? Quales verò facere illi ſcarrificationes conſueſcant, libenter ex te audirem. Alpin. Illi rarò, vel nunquam utuntur cucurbitulis ſine ſcarrificatione, neque præter nuper dictas capitis partes, occiput, ſcilicet, omnemque averſam partem, atque poſt aures inter occiput, & collum, alias ab his pro vacuando ſanguine uſquam ſcarrificatas, potui obſervare: idcirco neque dorſo, lumbis, natibus, coxendicibus, cruribuſque applicant cucurbitulas pro adjuvandaque exanthematum apparitione multò minus iis utuntur: quinimò potius adverſus noſtros omnes, qui pro juvandis variolis, morbillis, vel puncticulis malignis uſum illarum in nuper dictis partibus conſectantur, multa (me audiente) dixerunt, quibus earum uſum in peſtiferìs iis febribus cum ex anthematibus ab animis noſtris penitus eruerent. Demum nullis cucurbitulis tollere poſſe plenitudinem vel univerſalem etiam, vel particularem affirmant, atque hinc nemo ipſorum uſum cucurbitularum aggreditur, niſi poſtquàm univerſum corpus probè fuerit vacuatum. Pro qualibet cucurbitula applicanda quatuor, aut ad ſummum quinque infligit ſcarrificationes ea longitudine, qua eſt indicis latitudo profundè adacto ſcalpello, non epidermidem tantum, ut peſſime noſtrorum medicorum multos parvas,

vas, ac tantum in ſuperficie cuti ſcarificationes infligentes, facere dicunt, ſed multo profundius ſecundam cutem, atque adeò carnem vulnerantes, atque ſcindentes. GUILAND. Mihi haud mirum eſt, uſum cucurbitularum in occipite, ejuſque proximis partibus apud Ægyptios ita eſſe frequentiſſimum, & familiariſſimum, quando etiam veterum clariſſimorum medicorum non pauci eundem morem ſecuti ſint, præſertimque Hippoc. atque Galenus; ab occipite enim ejuſque proximis partibus ad capitis dolores, gravitates, atque longe magis ad lippitudines oculorum, ſanguinis miſſione cucurbitulis, nuper dictis partibus applicatis uſos fuiſſe, hæc in libr. aphoriſm. à Galeno memoriæ mandata explicant: *In doloribus itaque partis capitis poſterioris, cum averſione evacuatio ex fronte fiet: ſicut anterioris ex occipite. Sic itaque diuturnæ oculorum fluxiones ſæpius ſanatæ ſunt, ex partibus ſecundum occiput ſanguine miſſo unà cum cucurbitulæ uſu*; atque in lib. 13. meth. med. hæc habentur: *Præterea cucurbita in occipite defixa efficax eſt remedium ad oculorum fluxiones*: Cap. 19.
& in lib. de curat. per ſang. miſſ. ipſe eadem, quæ ſuperius in ejuſdem de Hirud. libro ſcripſſe, annotavimus, ſcripta reliquit, ita dicens: *Sicuti capitis gravitates & inveteratos in eo ex* Cap. 19.
*plenitudine dolores levare manifeſte ſolet tuſa in fronte vena. At incipientes, aut etiam vigentes per cucurbitam in cervice procurata retractio; interim quidem ſolam; interim cum ſcarificatione. Ceterum prævacuatum eſſe corpus univerſum oportet*: & Hippoc. in lib. de paſſionibus, ubi agit de faucium inflammationis auxiliis, dixit: *Si vero ex his gracilis non fiat, retro raſo capiti cucurbitæ duæ adhibentur, & ſanguinis plurimum detrahatur, & pituitæ fluxus retrò revellatur.* & Gal. in lib. de medicamentis facile parabilibus de oculorum vitiis ſermonem habens, ſcripſit: *Quod ſi vehemens fuerit capitis gravitas, auferenda erit, ac occipitio cucurbitula affigenda, conciſa prius cute ſcalpello, copioſuſque inde ſanguis detrahendus.* Quare cum apud Hippocratem & Galenum medicos præclariſſimos uſus cucurbitularum in occipite, & circum ipſum fuerit frequentiſſimus, non eſt mirum, eodem modo Ægyptios eandem retinere conſuetudinem; ita neque in his ſolum, ſed in aliis partibus Græcos illos imitantur. Hip-

pocrates enim in libro de loc. in homine (ſi tamen ejus eſt liber.) prope aurem ad alterius auris dolorem apponendam eſſe cucurbitulam memoriæ prodidit, non minuſque etiam in coxendico dolore coxendici, ad foras trahendum humorem. Ejuſdemque coxendici applicatæ uſum ad procidentiam vulvæ in lib. de
Aph. 50. natura humana laudavit. & in lib. 5. aphoriſ. de iiſdem ad mammas adminiſtrandis, & utendis ait: *Mulieri, ſi velis menſtrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.* & Gal. idem in lib. 13. meth. med. ſcriptum reliquit, atque de
Cap. 19. earundem ad præcordia etiam uſu. *Sic namque ad mammillas cucurbitam imponimus, cum ſanguis ex utero profluit, defixo maximo in ipſis communibus pectoris, & uteri vaſis ejus ore: ſic ſi ex naribus ſanguis, profunditur, præcordiis maximas cucurbitas affigimus.*
Cap. ult. & Gal. in 1. lib. ad Glauc. docuit: ad firmandum ſanguinis fluxum ex liene prodeuntem, hypochondrio ſiniſtro, & ex hepate dextro cucurbitam eſſe affigendam: idemque omnino in
Cap. 14. lib. de curandi rat. per ſang. miſſ. affirmavit: eademque umbilico poſitam cum multa flamma incantamenti modo dolorem ventris à flatulento ſpiritu ortum ſanare, in lib. 12. meth. med. ſcriptum reliquit. Meminitque etiam cucurbitæ uſum ad lapidem renum, in lib. de ren. aff. digno & med. Cordi, thoracique etiam ad derivandam humorum ad pulmones fluxionem,
Cap. 4. adhibendam cucurbitulam eſſe in lib. 11. meth. med. docuit. Ceterum non ſolum Hippoc. & Gal. uſi fuere cucurbitulis in occipite, ejuſque partibus & collo, verum, ut ex jam in medium allatis patet, quamplurimis etiam in aliis corporis partibus, non ſine Ægyptiorum medicorum reprehenſione, quos cucurbitulis in illis omnibus partibus, raro uti nuper dixiſti. Maxime vero, ipſi videntur etiam damnandi, quòd rariſſime ſiccis, ſive abſque ſcarificatione illis utantur: neque dorſo, ſcapulis, lumbis, cruribuſque affigere, in febribus peſtiferis eas conſueſcant, in quibus ſanè partibus, tum corporum evacuationis gratiâ, tum in malignis febribus, ad foras trahendam improbitatem veneni noſtri ferè omnes eas apponunt. Alpin. Neſcio, an noſtri illis de uſu cucurbitularum plus errent. Ægyptii enim planè contendunt, nunquam affigendas fore cu-

cur-

RHAPONTICUM THRACICUM.



curbitulas, ni prius univerſalis vacuatio præceſſerit. Proindeque negant, ſolis cucurbitulis plena corpora poſſe vacuari. Demum ſummopere adverſus noſtros damnant uſum illarum in febribus, ſcapulis, dorſo, lumbiſque, maximeque in peſtiferis, ad extrahendum veneno imbutum humorem. GUILAND. Quibus rationibus corporum plenitudinem non poſſe ſolis cucurbitulis vacuari, contendunt, in principiiſque morborum haud facta prius univerſali vacuatione per venæſectionem, cucurbitulas uſum non habere, atque non minus, cur eaſdem in peſtiferis febribus ad humorem extrahendum damnent, ex te nunc libenter ſcire cupio; nam polliceor tibi, me deinceps in medium laturum etiam meam ſententiam.

## CAP. XV.

### *An ſolis cucurbitulis corpora rectè, ac tutò vacuari poſſint, & num in principiis morborum pro vacuatione ſint adhibendæ.*

### ALPINUS.

IN primis de uſu cucurbitularum pro ſanguinis vacuatione loquemur, atque poſtea de earundem uſu pro attractione humoris venefici ex alto, ſive ex penitioribus partibus corporis ad cutim. Veriſſimum itaque eſt, Ægyptios damnare uſum ſcarificatarum cucurbitularum, pro tollenda corporum plenitudine, quam ajunt non cucurbitulis illis recte ac tuto tolli poſſe, ſed ſolum vel ſecta vena, vel ſcarificatione crurum, malleolorumve præſtita. Quam ſane ſcarificationem ſolam vicariam venæ ſectionis, affirmant, nequaquam vero cucurbitulas, de qua re poſterius nos deliberatius agemus, ubi de ea ſcarificatione ſermonem habebimus. Non debere igitur, neque rectè ac tutò plethorica corpora ſolis cucurbitulis vacuari poſſe affirmant, iiſque rationibus ipſis hoc perſuaſum eſt, quoniam arbitrantur, ſola ſectione magnæ alicujus venæ, communem

corporis plenitudinem vacuari poſſe, vel etiam cruribus (ut jam dictum eſt) ſcarificatis, atque ab appoſitis cum ſcarificatione cucurbitulis ſcapulis. dorſo, atque lumbis, ſolam fieri particularem evacuationem, quando ſecta magna vena, à qua plurimæ venæ ramificatæ, per plures partes corporis expanduntnr, abſque dubio in univerſo corpore fiat inanitio, & ſectis cutaneis venis nuper dictarum dorſi partium, non poſſint, niſi eæ partes vacuari, quæ iis venis refertæ ſunt. Quare ab iis ſcarificatis non poſſe à toto corpore fieri vacuationem aſſerunt. Guiland. Cur magis à ſcarificata cute crurum volunt univerſum corpus poſſe vacuari, minimeque ſcapularum dorſique cute eodem modo ſcarrificata? quod tamen adverſari veritati judico, quoniam dorſi cutis venæ ſunt ſanguinis fonti propinquiores, quàm crurum, qua vicinitate cui dubium, quod à cava magna vena illis proxima citius attrahent, atque in majori etiam quantitate ſanguinem? Alpin. Reſpondent, quod etſi venæ dorſi, ac lumborum venæ cavæ propiores, quàm crurum venæ ſint, nihilominus, quia ad dorſi partes non ita rectè à vena cava venæ illæ accedunt, vel admodum etiam exiles exiſtunt, ineptiores eſſe ad evacuandum ſanguinem, quàm crurum venæ, quæ iis longe grandiores, cum maximis venis, à vena cava rectius ad crura procedentes in ſuras ſparguntur.
Cap. 8. Quod docuit Gal. in lib. de diſſectione venarum & arteriarum, dicens: *Hinc reliqua magna vena in crus ipſum dividitur, primam juxta inguen emittens propaginem, quæ cum parva arteria in anteriores muſculos ſpargitur, ſecundum utrimque unam, quæ ex internis partibus ad genu uſque ſubter cutem diſſipatur, ac alias non paucas ad profundiores femorum partes. Ceterum paulo altius quàm femur, cum tibia articulo jungitur, in tres partes dividitur: quarum media, quæ maxima eſt, per ipſam deorſum ad poplitem fertur, atque inde per profundum poſterioris tibiæ partis, quam ſuram dicunt, procedens, non modicam in muſculos ejus ramorum ſobolem ſpargit.* Sed his dictis jam redeo ad ea, quæ adverſus cucurbitularum nuper dictum uſum afferunt. Ajunt ſiquidem non ſolum, quia cucurbitulæ dorſi partibus cum ſcarificatione applicatæ particularem, & minime totius vacuationem præſtare poſſunt;

ſunt; idcirco illis tantum poſt univerſalem factam ſanguinis vacuationem, pro particulari capitis facienda evacuatione, in occipite, atque nuper dictis capitis partibus uti non immeritò conſueverunt, ſed quod etiam cucurbitulæ ſanguinem tenuiorem tantum evacuant, craſſumque relinquunt, qui obſtructa fovet, atque exinde putredinem concitat, atque ortam adauget. Tenuiorem verò ſanguinem cucurbitulas evacuare cum Avicennæ, multorumque aliorum Arabum graviſſimorum medicorum auctoritate, tum non minus ratione verum eſſe arbitrantur. Avicenna etenim, quem præcipue in arte medica obſervant, hæc in lib. 4. ſuæ medicinæ ſcripta reliquit, dicens: *Ventoſæ cutis partem magis mundificant, quàm phlebotomia, & plus extrahunt ſanguinem ſubtilem, quàm groſſum.* Fen. 4. Cap. 21. *Et ipſarum quidem juvamentum in corporibus groſſis & craſſis, habentibus groſſum ſanguinem, eſt parvum; quoniam ex iſtis non extrahunt ſanguinem, neque extrahunt ſicut oportet, immo qui ex eo vehementer eſt ſubtilis, & cum difficultate, & in membro ventoſato debilitatem efficiunt.* Et hoc, ut dixi, ratione confirmare conantur, dicentes venas, quas pro cucurbitularum uſu operarii ſcarificant, eſſe tenuiſſimas, atque ferè capillares, per quas craſſus ſanguis exire non poteſt: proindeque ab iis ſcarificatis non niſi tenuiorem ſanguinem educi poſſe. Tertio ſubcutaneum etiam ſolum earum ſcarificatione educi affirmant, quando tantum contentus in capillaribus iis venis per ſcarificationem ſectis evacuetur, minimeque ille, quem aliæ penitiores, grandioreſque venæ continent, cum præ ipſius craſſiori ſubſtantia, exiles illas cutaneas venas ingredi nequeat: quem violenta ſua attractione ipſæ moventes, trahenteſque & non vacuantes, multas in iis venis obſtructiones, ſanguine craſſiore in ipſis multo attracto, atque inculcato, efficiunt. Quamobrem ipſas ſanguinem multum violenta ſua attractione commovere, parumque vacuare, eumque ſolum, qui tenuior exiſtit, quique commode cutaneas illas venas ſectas tranſire poteſt, affirmant; hincque multas in corporibus concitari obſtructiones, maximeque in iis corporibus, quæ à nativitate venis, atque arteriis parvis effecta ſunt. Demum addunt, partes ſcarificatas debilitari, quod & Avi-

cen. in loco nuper audito memoriæ prodiderat. Ceterum quià bifariàm ſolent cucurbitulæ à noſtris cuti applicari, quando ipſorum alii applicent eas, ſcarificatis ſolis venis minimis epidermidis, cuticulam enim hi quàm leviſſime ſcarificant. Aliique profundiùs non epidermidem tantum, verum cutem etiam, atque carnem ſcindentes utuntur ſcarificatis cucurbitulis. Priores in omnia nuper recitata incommoda, ex cucurbitularum applicatione incurrunt: & iſti etſi non ſolum cutaneum ſanguinem evacuent, ſed etiam ex profundo internarum magnarum venarum, & multum, tamen & ipſæ tenuiorem educunt, & obſtructiones pariunt, ſcarificataſque partes labefactantes refrigerant, denſant, atque obſtruunt. Guiland. Sed quo pacto has cucurbitulas profundioribus ſcarrificationibus cuti defixis, quæ copioſiorem, quantus deſideratur, ſanguinem evacuant, iſta omnia incommoda corporibus facere perſuadebunt, cum proxime accedat ſanguinis per ipſas facta vacuatio ad eam, quæ per ſectam venam molimur? Alpin. Obſtructiones in venis ſæpius eas cucurbitulas facere, non eo quòd multum ſanguinis ſolum ab ultimis venis evacuant, ſed quòd id valde violenter trahunt ad ipſas, ut evacuent. Guiland. Multum quoque ſanguinem vena ſecta evacuat, non tamen obſtructionem parit, licet aliquando fiat, ubi in ſtomacho & hypochondriis plurimæ cruditates exiſtunt. Gal. in lib. de ſanit. tuenda ait, quod ſi illis, qui cruditatibus in ſtomacho, & hypochondriis exuberant, ſanguis dematur, vel frictiones, ac balnea moliantur, procul dubio omnes cruditates illæ in univerſo corpore à venis rapientur, atque iis obſtructiones, putredines, febreſque contingere. Alpin. Cucurbitulas, cum magnis profundioribuſque ſcarificationibus adjectas, plurimum ſanguinem exhaurientes, obſtructionum multarum ſæpe eſſe cauſam, eorum locorum medici ex hoc demonſtrant, quòd neceſſariò ex copioſa per ipſas facta ſanguinis vacuatione, tota maſſa ſanguinis in venis contenta per corpus ad cutaneas capillareſque venas cutis trahatur, cujus craſſior pars, vel ſanguis craſſior tranſiens per anguſtiores venas, eas ſæpe obſtruit. hincque in corporibus craſſiori ſanguine exuberantibus, ſimulque

nt:

venis a natura minoribus, refertis, qualia ſunt melancholicorum multorum corpora, valde ſuſpecta iſtæc per cucurbitulas ſanguinis vacuatio non immerito eſſe ſolet. Cur vero itidem venæ ſectione facta, ſanguinis copioſa evacuatio non ita, ut cucurbitulis operata facile obſtruet, dictu (ajunt) non eſt valde difficile, quoniam vena ſecta, multoque ſanguine inanita, non ſolum è radicibus venarum, in quibus pars ſanguinis crudior craſſiorque reſidet, ſed multo plus à venis omnibus ab ea procedentibus, uſque ad cutem, quæ multò minores ipſa exiſtunt, quæque ſanguinem continent puriorem, atque tenuiorem trahit; hincque probè à medicorum vulgo creditur, venæ ſectionem trahere à circumferentia ad centrum, quoniam is ſanguine in amplioribus prioribus venis contento, longè purior & tenuior exiſtit, ut in ſubſtantia illarum nutriendarum ab ipſo corporis partium quàm facile mutari poſſit, à quo ſanè ſanguine non ita facile, veluti à primis venis prodeunte, venæ illæ obſtrui poſſunt. GUILAND. Vulgaris tamen medicorum opinio eſt, quod cucurbitulæ à centro venarum ad circumferentiam trahant, quod tamen ſi verum Ægyptii dicerent, contrarium verum eſſe nos fateri oporteret, ſcilicet non ſolum cucurbitulas à centro ad circumferentiam, ſed contra potius à circumferentia ad centrum ſanguinem trahere, quod nulli hactenus ex noſtris animadverterunt: tamen veriſſimum etiam hoc eſſe judico, quando verum ſit, atque planè expertum, venas ſanguine inanitas, vacui ratione, ut repleantur, trahere à venis proximis, & proximas à proximis uſque ad ultimas venas, quæ venarum radices, chylum à ventriculo inteſtiniſque exugentes vocantur. Venarumque itaque centrum æquæ in medio radicum venarum, quæ in meſenterio ortum habent, meſeraïcæque dicuntur, atque capillarium, cutanearumve poſitum eſt atque miſeraïcæ & cutaneæ extrema, per quæ fiet circumferentia: ſit enim venæ meſeraïcæ, vel venarum principium A, & ipſarum centrum B, atque cutanearum venarum finis ſit C, Quantum igitur venæ C, cucurbitulis trahent à B, tantundem B, trahet ab A. Quamobrem veriſſimum erit, quod cucurbitulæ multum ſanguinem vacuantes, trahent ſanguinem contentum

in venarum centro, & venæ centri à primordiis uſque ipſarum venarum. Qua ratione apparet manifeſtiſſimum, cucurbitulas à centro trahentes puriorem ſanguinem, atque tenuiorem in iis venis contentum ac cutem trahere, & evacuare, & ad centrum inanitum trahi impuriorem, crudioremque & craſſiorem, qui à primis venis chylum à ſtomacho exugentibus ad magnas venas trahitur, atque aliis in alias. Alpin. Ad unguem illorum mentem conſpicuam effeciſti, qua via, purum tenuemque ſanguinem, venas cutis per cucurbitulas ad ſe ab internis, & crudum craſſumque internas iecoris venas à meſeraïcis trahere planè cognoſcitur, atque ab hac ultima venarum attractione obſtructiones fiere poſſe. Quod eaſdem facere cucurbitulas trahentes per venas ſanguinem, violentia, & non ſenſim ac ſenſim, ac in venæ ſectionis, & crurum ſcarificationis vacuatione fit, etiam ſtatuunt, quando earum violentâ attractione, craſſi crudique humores indiſcriminatim per venas trahantur, à quibus multa facile obſtruuntur. Hiſque de cauſis Ægyptii nunquam plenitudinem corporum cucurbitulis tollere audent, iiſque tantum utuntur pro partis alterius vacuationè, poſt univerſalem vacuationem molienda. Guil. Rectè ſanè mihi videntur illi uſum cucurbitularum pro evacuatione complecti, atque affectare, ſecuriuſque corpora vacuare, quàm noſtri medici ferè omnes faciant, qui ferè in omnibus corporibus ſtatim nulla effecta totius evacuatione, ad affigendas ſine diſcrimine cucurbitulas ſe conferunt ſæpeque non citra ægrotantium noxam, & ipſorum non parvo cum dedecore: purgatis etenim corporibus eas tantum uſum habere Gal. multis in locis docuit; in libro enim de curat. per ſang. miſſ. de his ita ſcripſit: *Cucurbitulæ purgatis prius corporibus utiles quidem, ſed in repletis (quæ plethorica Græci vocant.) prætermittendæ ſunt*: in lib. 11. meth, cap. 17. ait: *Quippe foras trahere potius, quàm reprimere in eo debemus: itaque etiam cucurbitula utiliter iis, qui ſic laborant, ſi prius ſint vacuati, applicabitur: ſi vero abundantia ſuccorum, quam vocant plethoram, in his ſit, non magis ex pulmone in pectus aliquid excrementi transfert, quàm ex toto corpore attrahet in utrumque:* & cap. 18. dixit: *In phlegmonis cerebri, membranarumque initio cucurbitulis*

*uti*

*uti medici non debent, ſed finita fluxione, & priùs toto corpore vacuato*: & in lib. 13. cap. 19. dixit: *Verum utendum cucurbita in ipſa parte, quæ phlegmone urgetur, inter initia non eſt, immo poſteaquàm totum corpus vacuaveris, ac neceſſarium ſit eorum, quæ in inflammata parte continentur, aliquod educas, atque eruas, aut etiam foras verſus attrahas.* ALPIN. Multi reſpondent Galenum locutum ibi fuiſſe de cucurbitulis citra ſcarrificationem affixis, quas vulgus medicorum ſiccas appellat: quarum uſum præcedere debere ajunt totius corporis univerſalem vacuationem, quod in ſcarificatis non eſt neceſſarium, quum hæ poſſint abunde corpus vacuare. GUILAND. Gal. in lib. de cucurbitulis explicat, utriſque vacuationem præire debere, his profectò verbis: *Incipientes autem & vigentes capitis gravitates, ac dolores à plenitudine revulſio per cucurbitulam in occipite poſitam, vel ſola, vel cum ſcarrificationibus juvat, verum totum corpus antea vacuatum eſſe oportet*: idemque iiſdem omnino verbis in lib. de cu- Cap. 12.
rat. per ſang. miſſ. planè confirmavit, ibi enim jubet omnino totum corpus vacuari priuſquàm cucurbitulæ applicentur, vel id fiat cum ſcarificatione vel ſine ſcarificatione. Non deſunt medici graviſſimi, qui Ægyptiorum uſum laudare nituntur, præſertimque in febribus peſtilentibus, in quibus ſolent exanthemata, vel maculæ in cute apparere, quibus plerique his cucurbitulis vacuantes ſanguinem, medentur, cum videant naturam per cutim excernere: atque Hippo. in apho. præceperit medicos ſequi debere motus naturæ, atque per viam qua ducere natura humores tentat, ipſos vacuare humores debere: Dicebat olim quidam medicus clariſſimus; *aliqui ajunt, evacuare nolumus niſi per cutim, quia quò natura vergit, ſi per convenientia loca, eò ducere oportet, & cum cutis ſit conveniens regio, quoniam inter membra, quæ naturaliter ſuſcipiunt excrementa, cutis eſt talis, ideo per eam evacuare poteritis. Cum ſcarificationibus etiam? reſpondebitis, quod ſi materia erit pauca, nec multa in venis, nec multum craſſa, ita quod repletio pauca ſit, poteſt tunc natura adjuvari: Sed in febre peſtilenti, ubi materia eſt multa, ſi cum illis maledictis cucurbitulis exterius trahere velletis, nihil eſſet deterius, quia ſubtile traheretis, & remaneret craſſum: Calorem minueretis,*

*tis, & putredinem augeretis: ideo vel cum phlebotomia, vel cum medicinis evacuantibus.* Addunt Ægyptii, quod uſus cucurbitularum in feb. peſtilentibus pro vacuatione molienda non eſt utilis judicandus, tum ob ea multa, quæ ab iis eveniunt incommoda, tum præſertim, quia hæ corpora non vacuant, ut facit natura rectè operans; vel, ut docuit Gal. in lib de diff. feb. qui dixit, febrium peſtilentium curationem duobus comprehendi, atque adminiſtrari, ſcilicet ſiccatione, atque meatuum tranſpiratione; corpora etenim ipſa ita febrientia, ut curentur, debent exſiccari à copia humorum, tum obſtructa fovente, atque tranſpirabilia fieri: ſecus autem facere cucurbitulas in ipſis corporibus ſtatuunt, cum ipſæ evacuando exſiccandòque, obſtructiones multas pariant, modo nuperrime juxta ipſorum ſententiam explicato. Non deſunt multi medici etiam illuſtriſſimi contrariam ſententiam veram affirmantes, qui uſum cucurbitularum in vacuandis corporibus idoneum, ac utiliſſimum eſſe ſtatuunt, præſtantiſſimumque auxilium, venæ ſectionis verè vicarium, & in corporibus virium cauſâ non ferentibus vacuationem ſanguinis per venam ſectam, adprimè tutum, ut ex Avicenna (a quo fortaſſè aliquis cucurbitularum uſus originem duxit.) lib. 1. legitur, qui dixit, cucurbitulas in multis corporis partibus ſanguinis vacuationem rectè præſtare, ſed præſertim cruribus applicatas, proximas eſſe ei, quæ venæ ſectione fit: ipſe enim ibi ſcripſit de his in hunc modum: *Et ventoſæ quidem, quæ cruribus ſuperponuntur, ſunt minutioni propinquæ, & mundificant ſanguinem, & provocant menſtrua.*
Cap. 10. Hoc vero clarius á Carnelio Celſo, iis utique verbis nobis etiam perſuaſum eſt: in ſecundo enim libro hæc ſcripta reliquit. *In acutis quoque quibuſdam ſi & levari corpus debet, & ex vena ſanguinem mitti, vires non patiuntur, idque auxilium, ut minus vehemens, ita magis tutum. Neque unquam periculum eſt, etiamſi in medio febris impetu, etiamſi incruditate adhibetur. Ideoque ubi ſanguinem mitti opus eſt: ſi inciſa vena præceps periculum eſt, aut ſi in parte corporis etiam vitium, eſt, huc potius confugiendum eſt.* Non minus apud Antyllum fuiſſe in uſu ſcarificatas cucurbitulas pro oppletis partibus, ex Oribaſii libro ſeptimo, mani-

niſeſte conſtat. Nec minus pauci ex recentioribus medicis exiſtunt, qui ipſarum uſum pro corporibus vacuandis ſummopere commendant, neque difficile eſt, medicorum noſtratium ferè omnibus id perſuaderi, quando hic evacuandi per cucurbitulas modus ſit familiariſſimus, plebique admodum receptus. Patroni cucurbitularum, nuper ab Ægyptiis allatis rationibus aliis medicis, adverſus cucurbitarum aſſeclas excogitatis, atque objectis, reſpondent, cucurbitulas copioſiſſimam ſanguinis vacuationem, magnis factis ſcarificationibus, nec-non eas, etiam quæ ſuperficiariis moliuntur epidermidis inciſionibus in multo numero applicatas variis corporis partibus efficere poſſe, qua detracta per partem poſt partem, cui dubium, partibus multis ab ipſa vacuatione inanitis à toto corpore trahentibus, fieri totius corporis vacuationem? Nequeunt tamen iis ſanguinem tenuiorem tantum vacuari, atque craſſiorem ægerrime, non fateri, cum Avicen. hoc idem admodum aperte confirmaverit, literiſque tradiderit, in corporibus craſſiori ſanguine conſtantibus per cucurbitulas ſanguinis vacuationem parvæ eſſe utilitatis, quoniam in ipſis hæ non extrahunt, ut par eſſet, ſanguinem, & id ipſum cum difficultate. Neque recta ratione negare poſſunt, per tenuiſſimas cutis venas craſſum ſanguinem non facile tranſire poſſe. Sed aliqui in medicina etiam viri graviſſimi non omnino abeunt ſine ratione, dicentes, ut huic dubio ſatisfaciant, antiquos ob id medicos doctiſſimos monuiſſe, ut applicationes cucurbitularum, frictiones fotuſque calidi præcedere debeant, ut ſanguis ſic attenuetur, pareturque ad excretionem. Quod tamen non videtur omnino credendum, quando, priuſquam applicentur cucurbitulæ cute vel fricata, vel fotu aliquo vel balneo laxata, ſanguinem in univerſo corpore contentum poſſe attenuari non ſit dicendum: is ſiquidem tantum attenuabitur, qui ſub cute erit, ad quem facultas frictionum vel fotuum pervenerit. Cucurbitulæ vero juxta ipſos vacuant non à partibus ſubcutaneis, verum etiam ab omnibus venis corporis, ad hoc ut per ipſas facta evacuatio, totius & non alicujus partis, vel particularis, ſed univerſalis ſit dicenda. Oporteret verò, ut æquè

li 4. ſen. 4. Cap. 11.

rectè omnium corporis venarum craſſus ſanguis attenuaretur, univerſum vel corpus fricari, vel in balneo per multum ſpatium temporis morari, ut Avicenna in lib. 1. his verbis teſtatus eſt. *Et oportet quidem, ut à ventoſis ſibi quilibet caveat poſt balneum, niſi cujus ſanguis fuerit groſſus, quoniam ipſe ſe prius balneari debet, & una hora morari, & poſtea ventoſas apponere.* Sed quàm tutum ſit in plethoricis corporibus, non præcedente vacuatione totius, præſertimque in principio febrium putridarum, balneum vel frictiones, quæ omnia ſequi debent corporis probam evacuationem, adminiſtrare, illis relinquo judicandum: etenim notiſſimum eſt omnibus in Galeni doctrina verſatis, nunquam febricitantes balneis uti poſſe ante humorum concoctionem, qua morborum principia omnino carent. Negant etiam iſti cucurbitulas ſcarificatas à primordiis uſque venarum incoctum ſanguinem trahere, multoque minus obſtruere venas, quod tamen, ſi hæ copioſam vacuationem præſtiterint, neceſſe eſt fieri debere, cum nequeat educi copioſus ſanguis à cutaneis venis, niſi eædem à proximis attrahentes, & proxime à proximis uſque ad ipſarum radices pervenientes repleantur. Quod non eveniet, ſi paucus ſanguis his extrahatur, quoniam priuſquam attractio ad primas venas perveniat, ſanguinis in venis cutaneis inanitis repletio, ſive reditio fiet. Neque etiam neceſſariò, etſi fiat uſque à prioribus venis ad ultimas attractio, venas obſtrui erit affirmandum, cum corpora ita latioribus venis prædita ſint; ut ſanguis etiam craſſiſſimus, non ita difficile ipſas permeare ac tranſire queat: veluti tenuioribus venis referta corpora ad obſtructionem ea via non erunt inepta. Paucum etiam ſanguinem ducentes, vel nullum, multumque attrahentes & modicum vacuantes; cui dubium quod, quàm facile ex multo in illis venis vi attracto, & conculcato, obſtruendi occaſionem dabunt? Ajunt vero utroque modo applicatis, cutem, cui ſunt applicatæ, debilitari, ex contentique in ipſa ſanguinis vacuatione primo refrigerari, & mox ejus omnes meatus conſtipari, atque obſtrui. Quod febricitantibus inutile & noxium erit; cum una indicationum curativarum ſit corporum obſtructa liberare, ipſaque corpora tran-

tranſpirabilia reddere. Quibus ſi reſponderent, cutis eundem calorem amiſſum ex vacuatione ſanguinis, ex novo attracto ſanguine reſtaurari, verum haud planè erit, cum tunc temporis nequaquam pars queat reſtitui in priſtinum ſtatum, ob ſuſcepta vulnuſcula, minuſque ſolita copia ſanguinis repleri, quantâ cutis per cucurbitulas fuerat privata. Negant non minus dorſo appoſitas cucurbitulas probam ſanguinis vacuationem facientes, poſſe ad cordis regionem, multum ſanguinem trahere; & ſi etiam intra aliquod viſcus aliqua fuerit inflammatio, eam poſſe magis augeri. Cum tamen Gal. contra illos apertiſſime ſentiat, qui in lib. 11. meth. ita ſcripſit: *Quippe foras trahere potius, quam reprimere in eo debemus: Itaque etiam cucurbitula utiliter iis, qui ſic laborant, ſi prius ſint vacuati, applicabitur. Si vero abundantia ſuccorum, quam vocant plethoram, in his ſit, non magis ex pulmone in pectus aliquid excrementi, transfèret, quam ex toto corpore attrahet in utrumque.* Cap. 17. Sed ex me hæc obiter dicta de his ſint. ALPIN. Verum cum tu, GUILANDINE doctiſſime, utrorumque de uſu cucurbitularum pro vacuatione corporum rationes animadverteris, eaſque fueris contemplatus, quæſo, tuam profer ſententiam hac de re, ita ancipiti, qua ego vere poſſim de illarum uſu atque utilitate ſtatuere, quando hactenus pro iſto negotio hujuſmodi uſum non parum pertimuerim, ac fere abhorruerim. GUILAND. Non parvam occaſionem fuiſſe arbitror, ut medici non modo doctiſſimi, verum etiam graviſſimi exiſtimaverint, cucurbitulis poſſe corpora etiam plethorica recte vacuari, quod ipſi tum apud Gal. tum apud alios celebres medicos legerint, crurum ſcarificationem poſſe idem præſtare, quod venæ ſectio, unumque atque idem putantes eſſe hanc ſcarificationem, & cucurbitulas ſcarificatas. Quam ob cauſam non eſt mirum, ſi uſum cucurbitularum tantum pro vacuandis corporibus, ubi vel vires non prævalidæ, vel ætas, vel aliquod aliud non ferat miſſionem ſanguinis per venam ſectam, laudaverint: ſed quanto in errore iſti verſentur, poſterius, ubi de nuper dicta ſcarificatione ſermonem habebimus, ex te recte audire ſpero. Diverſiſſimam vero rem eſſe nuper dictam ſcarificationem à cucurbitulis, ex Ga-

Galeni, Oribaſiique teſtimonio planè conſtare videtur; ipſi enim Apollonius & Antyllus ſeparatim de utroque auxilio ſcripſere. Quam veritatem medici aliqui etiam hujus temporis præclariſſimi rectè noverunt. Cum itaque plerique idem auxilium cucurbitulas atque ſcarificationem illam afferre pro certo haberent, mirum non eſt, ſi legentes apud Galenum in 2. lib. Aphor. eam eſſe proximam venæ ſectioni, atque in lib. de ſanit. tuend. tantundem valere, quod venæ ſectio valet, & in lib. 13. meth. corpus plethoricum vacuari aut venæ ſectione, aut ſcarificatis malleolis, uſum cucurbitularum vicarium eſſe ſtatuerint. Sed an nos tuto uti poſſimus in plethoricis corporibus tali vacuatione, vel in febribus putridis etiam vacuationis gratiâ, nunc dicam, quid de hac re ſentiam: primiſque cenſeo nullo pacto medicos moliri debere ſanguinis vacuationem in plethoricis corporibus per cucurbitulas, ubi nihil ſit, quod venæ ſectionem vel crurum ſcarificationem prohibuerit; nam ſum hujus firmiſſimæ ſententiæ, quod cucurbitulæ ſint auxilia partis, quæ ſequi debeant totius corporis vacuationem: quod ex Galeno ſuperius cognitum eſt, qui dixit cucurbitulas occipiti applicandas vel cum ſcarificatione, vel ſine, ſequi debere totius corporis vacuationem, atque in hoc non poſſum non niſi multum Ægyptios hoc modo illis utentes poſt univerſalem vacuationem, ſummopere laudare, minimeque tutum auxilium in corporibus plethoricis cucurbitulas eſſe exiſtimo: multoque magis, ſi ea corpora craſſioribus ſuccis abundarint, in quo caſu eas omnino abhorrerem, ne ab ipſarum tractione, ſanguine illa multo in venas attracto multæ obſtructiones fierent. Hincque Galenum in lib. de curat. per ſang. miſſ. in corporibus gracillioribus, nigrioribus, ſcarificationi crurum prætuliſſe venæ ſectionem non immerito judicavi, quia ea corpora conſtant ſanguine craſſiori, qui neutiquam per venas cutis parvas facile vacuari poteſt. Quare ſi iis, ait, eam non convenire ſcarificationem, quæ fit, majoribus illis crurum venis profundius ſcarificatis, quanto magis putandum erit cucurbitulas ſcarificatas non convenire, tum ob periculum obſtruendi ex craſſo illo ſanguine violentâ attractione per venas moto, tum ob parvas cutis

Aph. 17 Cap. 4. Cap. 5.

In lib. de curat. per ſang. miſſ.

tis venas, non etiam profundius ſcarificatas, quas ob craſſitiem commode tranſire nequit? Itaque neque in iiſdem corporibus putrida febre correptis per ea molienda erit evacuatio, præſertimque in quibus copiam crudorum craſſorumque humorum adeſſe ſignificatur, in iis enim ſumme exitioſus creditur uſus cucurbitularum, quoniam purior, tenuiorque ſanguis vacuatur, craſſior & crudus remanet, atque nativus calor diminuitur. Talium vero craſſorum humorum crudorumque copiam atteſtantur, urinæ craſſæ, vel cum craſſis contentis albis pituitoſis obſervatæ, quales ego Cayri, Genuæ, Baſſani in epidemica peſtiferarum febrium conſtitutione, fere in ſingulis obſervavi. Sudoreſque frigidi, vel multi noctu apparentes non ex multo cibo orti, atque alia hujuſcemodi generis multa, quæ brevitatis cauſa hic taceo. In interna etiam viſceris alicujus inflammatione dorſi partibus applicatæ cucurbitæ ſumme erunt pernicioſæ, quoniam in partem affectam ſanguinem multum trahentes, augebunt neceſſario putredinem. Non convenient etiam in febribus putridis iiſdem partibus appoſitæ, quia cutem, ſanguine multo ab ipſa vacuato, refrigerant, atque conſtipant. Ubi vero ſanguine neque multo, neque craſſo abundarint, pro moderata ſanguinis vacuatione facienda, neceſſitate coactus aliquando mitti ſanguinem etiam tuto poſſe iis affirmarim, multoque magis cruribus applicatis: ſed conſulo tamen omnibus medicis, ut vice harum, libentius utantur ſurarum ſcarificatione more Ægyptiorum abſoluta; atque hæc eſt mea ſententia circa uſum cucurbitularum pro vacuatione corporum, cum ſcarificatione applicandarum. ALPIN. Rectiſſimam atque veriſſimam eſſe tuam iſtam ſententiam judico, meque ei libenter totus ſubſcribam: quare lubet mihi nunc nonnulla exempla, huic veritati plane conducentia, narrare. Cayri enim dum morarer, duoſque juvenes Gallos maligna febre correptos in æde Pauli Mariani Veneti pro Galliarum Rege Conſulis clariſſimi, præ manibus haberem, non tamen eodem utrumque tempore, obſervavi ab applicatis dorſo cucurbitulis, paulo poſt in lethalem pulſus intermiſſionem deveniſſe. Idemque Baſſani in Minerva Forçatura matrona honeſtiſſima eadem febre laborante à

me

me obſervatum eſt. Quo in loco binos etiam homines evacuationis gratià Vaſtaniam villam profectos, atque in æſtuariis, à multis applicatis univerſo corpori cucurbitulis in acutas febres incidiſſe, quorum alter, qui Baſſanum habitabat, qui meæ curæ commendatus fuit, vix ſervatus fuit: alter ruri degens inopia medicorum non recte curatus, obiit. Venetiis etiam filius Bartholomæi Falgherii juvenis eodem modo à cucurbitulis in æſtuario in acutam febrem incidit, qua tamen liber evaſit. Ex his ergo videre poſſumus atque plane etiam cognoſcere, cucurbitulas & obſtruere, & ad initimas partes corporis trahere, nam quis non fatebitur, binos illos viros Baſſanenſes, atque nunc Falgherium à cucurbitulis in venarum magnarum obſtructionem craſſis, crudiſque vi cucurbitularum intus deductis primo, atque non minus in meatuum cutis conſtipationem, & inde accenſa putredine in febrem putridam incidiſſe? ut & Gallos illos & Forcaturam, pariter in pulſus intermiſſionem, ex multo ſanguine crudo in regione cordis vi ipſarum attracto, quo ſuffocati perire, ut ex Gal. in 3. lib. de præſag. ex pul. proditum eſt. Sed his auditis, melius erit, ad alterum propoſitorum diſſolvendum pertranſire.

## Cap. XVI.

### *An errent Ægyptii medici nunquam utentes cucurbitulis pro adjuvanda exanthematum eruptione.*

## ALPINUS.

Alterum caput reliquum erat explicandum de uſu cucurbitularum propoſitum, quippe Ægyptios in febribus malignis ad apparitionem exanthematum, nullis uti cucurbitulis, quod multis ex noſtratibus medicis auxilium ſelectiſſimum eſſe ſolet. Nam hi in iſtis febribus applicant ad decem uſque & plures cucurbitulas univerſo corpori., interdum ſcarificatas, atque interdum citra ſcarificationem, ut ex alto à partibus nobilibus ad cutim venenum avellant. Quem uſum omnino illiuſce re-

regionis medici omnes formidant, atque abhorrent, præſertimque ſi eæ dorſo applicentur, eumque multis de cauſis damnare ſolent, præcipueque quod omnibus ferè corporibus à peſtilenti febre vexatis communiſſima res ſit, copia multa craſſorum crudorumque humorum, quod arguere ſudores frigidos vel multos in ipſarum febrium principiis, viſos, vomituſque craſſos, ac viſcidos, & urinas craſſas, vel ipſarum craſſa, multa, pituitoſaque contenta, atque alia hujuſce generis multa, affirmant. Neque abſque ratione in his febribus adeſſe multi in venis humores craſſi, & viſcidi dici poſſe videntur, quando in illis corporibus non deſit copia caloris febrilis, humorum ichorem conſumentis, qua via illi tum craſſeſcunt, tum lentorem accipiunt. Qua humorum iſtorum copia in iis corporibus exiſtente, applicare cucurbitulas valde timent, ne ex attractis craſſis iis, viſcidiſque per venas ſuccis, multas concitent obſtructiones. Non ſcarificatas, inquiunt, plurimum trahere, & parum vacuare; ex quo multo attracto facile partes hæ obſtruuntur. Scarificatas, etiamſi aliquid educant ſanguinis, puriorem tamen, & tenuiorem vacuare, craſſioremque relinquere, & violenta attractione inæqualiter omnium humorum copiam attrahere. Præterea nullo pacto ajunt, ut ſupra dictum eſt, dorſi partibus applicatas poſſe iis febribus eſſe alicujus utilitatis, cum hæ primo in venas proximas cordi trahant noxios ſuccos, atque vacuato etiam ſanguine, cutem refrigerent, denſent, atque ejus meatus obſtruant, & calorem naturalem imminuant, vacuato multo iis ſanguine puriori, & tenuiori. Præterea addunt, eruptiones exanthematum eſſe adjuvandas trahentibus ex alto ad cutem veneficos humores, ſenſim ac ſenſim ſine violentia, ut natura facere ſæpe ſolet, quæ ſæpe incipit expellere puncticulas ad cutem quarta die, & paulatim ſingulis diebus paululum expellendo, uſque ad ſeptem, & plures etiam dies quandoque expellere deſinit, quoniam per tenuiſſimas venas non eſt ita facile noxios totos humores poſſe ſemel deducere, atque expellere: & ob id paulatim, & non ſine magno judicio pluribus diebus expulſionem perficit ſcilicet modicum coquendo, & illud modicum vacuando: nam cum ſuccos veneficos habeat inæqualiter con-

coctos, quod illorum paratum eſt ad expulſionem, ſtatim expellit, mox crudum atque ineptum digerit, & parat, cujus cum modicum percoxerit, atque devicerit: ſtatim (nequit enim ipſum ob ejus improbam, & venenoſam naturam intra venas continere, ne alios corrumpat, vel ad nobile viſcus deferatur.) expellit, atque ita totam expulſionem perficit, paulatim, ut dixi coquendo, & paulatim etiam expellendo. Sed cucurbitulæ ſtatim ad partem, cui affixæ ſunt, attrahunt multum tum concocti, tum crudi humoris intra venas exiſtentis, neque ſolum expulſioni per concoctionem paratum humorem trahunt, ſed incoctum etiam, qui cum nequeat per parvas illas venas egredi, proculdubio obſtruit, putredinemque auget, & febrem, & malignitatem. Proinde medicus attrahens per cucurbitulas, naturæ motum non imitatur, quia natura tantum præparatum humorem expellit, at cucurbitulæ ſimul etiam crudum, hæcque adverſus cucurbitulas in febribus peſtilentibus applicandas illi objiciunt. Guiland. Hæc eadem multi alii ex noſtris medicis dixere, ſed multi tamen ſunt Clariſſimi medici oppoſitæ Ægyptiorum ſententiæ addicti, qui ſummum eſſe auxilium cucurbitulas in peſtilentibus febribus perſuadent, ajuntque quocumque modo à nobilibus partibus longius venenum detrudatur, ſive cucurbitulis id fiat, ſive alia ratione, ſummum ſemper inde ſequuturum auxilium, naturæque plurimum adjumenti, quoniam ubi à membris nobilibus longe aberit venenum, natura erit fortior, agetque in reliquum humoris commodius, & robuſtius. Quod ſi humor venenoſus, naturæ ex toto genere inimicus prope præcipua membra in venis magnis relinquatur, naturam neceſſario labefactabit, ſive, ut ita loquar, coarctabit, vel in anguſtum rediget, quæ nihil aut parum roboris præſtare poterit ad concoquendos, & expellendos noxios ſuccos, qui facile in præcipua viſcera recurrentes exitium inferent. Quare tutiſſimus erit uſus cucurbitularum, quæ ex alto ad cutim venenum pertrahant, neque cutis partes, quibus applicitæ fuere cucurbitulæ, etſi vacuato ſanguine modicum refrigerentur, & conſtipentur, debemus ullo pacto ab iis prohibere, corpore tamen toto prius, tum vacuato, tum purgato; quoniam

niam quam levi negotio nuper dictis partibus proprius calor reſtituetur, atque meatus etiam cutis aperientur, vel aliqua frictione levi, vel calida illinitione, qualis eſt, quæ ex Ruffi mente paratur oleo aliquo laxativo, & nitro; & ſi dicant, ab iis fieri obſtructiones, à quibus augetur putredo, ejuſque gradus, alii reſpondent neutiquam poſſe fieri obſtructiones, quando præceſſerit illis totius exquiſita vacuatio: quoniam cum iis vel nullus, vel pauciſſimus ſanguis vacuatur, tollitur occaſio trahendi à radicibus venarum ſanguinem crudiorem, quod illucuſque attractionis motus nequeat pervenire; & ſi obſtructiones aliquæ in parvis, ſub cute exiſtentibus venis accident, cum totus ſanguis attractus illuc remaneat, eæ & minoris ſunt momenti, atque etiam non difficili negotio tollentur, aliqua leni frictione, vel illinitione illo attenuato ſanguine, atque reſoluto: parum etiam naturalis caloris diſſipari poteſt, cum vel nullus (ut jam dictum eſt,) vel pauciſſimus ſanguis in iis vacuetur. Quod etiam non ſit timenda attractio in cordis regionem, apparet ex Galeno, qui, ut jam ſuperius viſum eſt, in lib. 11. meth. in pulmonum inflammatione cucurbitulam pectori tuto eſſe applicandam ſtatuit: verba ejus hæc exiſtunt: *Ac longe quidem magis in pulmonis phlegmone abſtinendum ab adſtringentibus eſt: quando in eo ipſis quoque relaxantibus admiſcendum aliquid acrium quodammodo, & evidenter calfacientium eſt: quippe foras trahere potius quam reprimere, in eo debemus. Itaque etiam cucurbitula utiliter iis, qui ſic laborant, ſi prius ſint vacuati, applicabitur.* Ad id vero, quod de inæquali cucurbitularum attractione objiciunt, eas ſcilicet, inæqualiter coctum crudumque humorem abſque diſcrimine attrahere, neque naturæ excretionem criticam imitari paulatim coquendo, & paulatim expellendo, fatentur verum eſſe, ſed hoc nihil tamen eſſe detrimenti, quod utilius ſit venenum à corde longius diſtrahi, quam crudum humorem in parvis iis venis vi attrahi, atque ipſo ſic attracto aliquas fieri obſtructiones, quas mox poſſumus attenuato humore rurſum aperire, ſed non ita facile venenum intra venas contentum, & in viſcera recurrens prohibere poſſumus, quo in venis magnis retento, natura ita læditur, labefactaturque, ut nihil, vel parum contra, tum ipſum humorem jam vehementer pu-

Cap. 11.

trefactum, tum illum, qui in via ad putredinem eſt, agere poſſit: quare ſatius erit ipſum cucurbitulis à magnis venis amoliri. Alpin. Itaque ex his errare Ægyptios videris affirmare, cum à cucurbitulis illis omnino abſtineant, neque immerito uſus illarum laudabitur, cum foras ad trahendum venenum cucurbitula ceteris præſidiis præſtet. Guil. Neque dicam ipſos omnino errare, neque recte ſe gerere, cucurbitularum uſum non ſequentes in febribus illis, earum loco quibuſdam illinitionibus, ac frictionibus idem potius præſtantes. In corporibus ſiquidem craſſis multis ſuccis ſcatentibus, eas eo modo applicatas haudquaquam laudare poſſum, cum eæ certo certius obſtructiones multas pariant, à quibus putrefactus humor majorem putredinis gradum neceſſario adipiſcitur, neque etiam in aliis corporibus, ubi nondum apparet ad viſcera noxios humores venenoſos inclinare, quod facile oſtendunt, ægrotos non omnino eſſe inquietos, recteque reſpirare, nulloque dolore, vel angore ipſorum cor angi, recteque dormire, beneque mente valere: veluti contraria accidentia ſi extent, contra arguent, proindeque urgente occaſione tantum applicationem cucurbitularum laudarem, quibus venenum longe à principalibus membris avelleretur. Quibus vero partibus tutius utiliuſque ſit eas affigere, ego dorſo magis, quam cruribus affigendas fore cenſeo, niſi vacuationis gratia iis applicarentur; quo caſu vacuatio multo ſanguine procuratur: poſt univerſalem vero factam vacuationem, venenoſos humores divertendi à viſceribus, gratia, non videtur idonea larga ſanguinis miſſio, qua neceſſario vires collaberentur, ſed ipſis cucurbitulis diverſionis gratia applicatis, paucum ſanguinis mittitur, qui ſi à cruribus iis mitteretur, vim non haberet à corde venenum attrahendi ad ignobiles partes, quoniam ſanguinis illa modica vacuatio, attractionem in venas concitabit, quæ vel non perveniet ad cor, vel ſi pervenerit, admodum, debilis atque inefficax erit ad trahendum venenum ad partes, quibus applicitæ ſunt. Quod inutiles non ſint cucurbitulæ in febribus peſtilentibus, præſertimque in apparitione exanthematum, experientia quotidiana confirmat. In elapſa enim peſtilentia ſæpiſſime expertum eſt vel ad tumores, buboneſque maxime, & parotides promovendas vel ortas, quin retro-

trocedant, retinendas, vel quæ evanuerint vel retroceſſerint rurſum evocandas, nihil cucurbitulis præſtantius. Multis enim ſcio eo tempore cucurbitulas ſumme contuliſſe ad magnificandos tumores, atque ad intus abſconditos revocandos. Exemplum digniſſimum habeo, quod maxime faciet ad illuſtrandam hanc veritatem. Georgius Selaccus Chirurgiam Venetiis exercens, in ea peſtilentia uxore ejus peſte correpta cum tumore in inguine, narrat, ſe cum vidiſſet tumorem illum inſignem (quam facile ſæpiſſime imminutum, & evaneſcentem) vel imminui, atque intus recurrere, quod continuo mulier delira evadebat, quo ſtatim cucurbitula ſæpe inguini cum igne appoſita, iterum ad ſolitam magnitudinem tumore illo revocato, atque peraucto, ſtatim ſana mente reddebatur, ſæpiſſimeque dum ipſa ægrotaret hoc obſervavit, coactuſque idcirco fuit ſæpiſſime cucurbitulis diminutum ac fere evaneſcentem tumorem foras trahere, quod ſane ſemper ſuccedebat. Quo facto ſemper ejus uxor ad ſanam mentem redibat, atque ubi rurſum aliquo pacto bubo minueretur, delirium ipſam rurſum invadebat. Teſtaturque mulierem, quo tempore ab appoſita tumori cucurbitula affligebatur, ſemper mente ſanam extitiſſe, qua ſubito excidebat, tumore intus recurrente, ſanaque rurſum eo cucurbitula foras attracto. Quod ſane exemplum conſpicue ſatis oſtendit, quantæ utilitatis ſit judicanda cucurbitula ad avellendos venenoſos humores à membris præcipuis, atque adjuvandas omnes naturæ excretiones, vel ſymptomaticas vel criticas illas vocemus, atque hæc arbitror ſufficere nobis poſſe in hac die, quando ſermonem noſtrum longius nos proſequi nunc nox, quæ jam noſtris oculis tenebras obducere incepit, prohibeat; proinde finem hodierno ſermoni demus. ALPIN. Recte ſuades, nam totum quod de miſſione ſanguinis apud Ægyptios uſitata, nos loqui propoſueramus, vix toto ſequenti die abſolvere poterimus, nam de variis pro ſanguinis evacuatione ſcarificationibus, quibus illi utuntur, etiam ſupereſt loquendum, quibus peractis, ſi aliquid temporis eo die ſupererit, nos multa alia ad partem chirurgicam pertinentia, valde & ipſa ſcitu digna proſequemur.

FINIS LIBRI SECUNDI.

PROS.

# PROSPERI ALPINI
## DE
# MEDICINA ÆGYPTIORUM.
## LIBER TERTIUS.
### Cap. I.
### *De variarum ſcarificationum frequenti apud Medicos Ægyptios uſu.*

GUILANDINUS, ALPINUS.

GUILANDINE, adſum nunc tibi, ſed tu multo tardius quàm heri in viridiarium deſcendiſti, Salve. GUILAND. Et tu quoque, neſcio qua de cauſa tardius huc te contuliſti. Sol enim ſupra horizontem ita ſe extulit, & aërem ita inflammavit, ut nos ſub hujus latiſſimæ Platani umbra conſedere, nunc optimum ſit. ALPIN. Rectè ſuades, ſed ubi hîc conſedimus, præſtiterit de medicina Ægyptiorum inchoatum ſermonem recipere, & abſolvere. GUILAND. Cur te igitur ad rem ipſam accingere cunctaris? Nihil mihi jucundius eſſe poteſt, quàm te hîc de Ægyptiorum medicina loquentem audire, ac multa ad medendi artem ſpectantia ex te cognoſcere. Supererat, opinor, de variis

variis ſcarificationibus, quibus illi medici ad vacuandum ſanguinem familiariſſime utuntur, agendum. Ideo tuum nunc erit eas narrare, atque docere, teque ut id facias etiam atque etiam rogo; ſpero ſiquidem hunc ſermonem mihi non minori fore utilitati, quàm cetera de variis mittendi ſanguinem modis ſuperius explicata. ALPIN. Omnibus in Ægypto verſantibus variarum cutis ſcarificationum pro mittendo, vacuandoque ſanguine vice ſectarum venarum, uſus eſt notiſſimus. Quis etenim certis anni temporibus, atque in primis in æſtatis prima parte, innumeris infantibus aures ſcarificatas ibi non vidit? eo ſiquidem tempore è centenis quibuſque pueris quadraginta vix ibi reperias, quorum aures ob ſcarificationem goſſipia non geſtent: nec minus frequens eſt crurum ſcarificationis pro ſanguinis vacuatione uſus in omnibus Ægypti locis, præſertimque in pueris, Eunuchis, mulieribus, atque omnibus corporibus molli carne præditis. Hoc etenim vacuandi præſidium ab illis uno aſſenſu venæ ſectionis, ut paulo poſt dicam, vicarium creditur; proque tali auxilio, in iis, qui præ virium imbecillitate ſanguinis vacuationem per venam ſectam non ferunt, hoc ſcarificationis genus apud eos medicos præſto eſſe ſolet. In pluribus etiam ſæpe naſum, vel potius nares ab iis ſcarificari, atque labia ac gingivas non minus obſervatur. Ex his igitur colligo, partes quas illi pro ſanguinis vacuatione ſcarificare ſolent, eſſe aures, nares, labia, gingivas, loquor de iis, à quibus circa applicatas cucurbitulas ſanguis educitur, nam adhibitis cucurbitulis plures alias partes ſcarificant. Amplius quaſcumque partes etiam corporis extrinſecas, aut aliqua inflammatione antiqua, admodumque difficili, vexatas, vel gangræna ob malignitatem, vel ob copiam humoris naturali illarum partium ſuffocato vel extincto calore, vel aliqua puſtula, vel tumore, vel quacumque re præter naturam detentas, ſcarificatione ſanant: in hydrope, atque ſuppuratis hoc præſidio ad vacuandum utuntur, ut de his ſuis locis nos loquemur. Sed ad eas ſcarificationes, quibus ad vacuandum ſanguinem Ægyptii uti conſueverunt redeamus, quarum duæ præcipuæ vel primariæ in puerorum vacuandis corporibus ab ipſis adhibentur

an-

aurium quippè una, atque crurum altera. Reliquarum verò uſitatior, atque utilior eſt, quæ intra nares adminiſtratur. Præſentaneum etenim remedium apud eos habetur in omnibus acutis febribus, in capitis cum doloribus, tum inflammationibus venas intra nares ſcarificari, atque ab iis tepido dulcis aquæ balneo ſanguinem educi. Guiland.. Dignæ ſunt hæ apud illos populos uſitatæ ſcarificationes, ob ipſarum multam utilitatem; ut locupletiori ſermone, atque pleniore ſtilo à te rurſum conſiderentur, præſertimque cum harum pleræque noſtris medicis ignotæ ſint; is enim, qui hactenus de ipſis à te ſermo eſt habitus me admodum delectavit, ſed quæſo eadem clarius mihi atque accuratius exprime: ab illis ſi lubet, quas auribus infligunt, deducto principio.

## Cap. II.

### *De aurium, narium, labiorum, gingivarum ſcarificationibus, quas medici Ægyptii pro evacuatione frequentant.*

## ALPINUS.

Prima ejus regionis ineunte æſtate, Campſinis ibi ſpirantibus ventis calidiſſimis, plerumque adverſus infantes tonſillarum epidemicæ inflammationes vagantur, febreſque acutæ, atque circa pudendorum partes inflammationes, & ulcera. Quibus malis, atque aliis etiam omnibus ex calore ortum ducentibus, ſuccurrunt aurium ſcarificatione intus vel extra præſtita, ſanguinis vacuationem molientes: ut vero hanc ſcarificationem operentur, in primis collo infantium lineo panniculo vincto, atque paululum ea ligatura anguſtiori reddito, tumidiores aures fieri ſtudent, quas eodem tempore ſimul itidem manibus multum contrectant, atque perfricant, aqua calenti dulci eaſdem ſæpius irrigantes, & abluentes, vel ſpongiam calenti aqua plenam auribus ſcarificandis applicant. Quarum

rum exinde magnitudine aucta, atque ruborem inſignem adepta, tribus, vel quinque inciſionibus oblongis recte per latitudinem, cutem ante vel retro cultro ſcarificant, à quibus ſcarificationibus parum ſanguinis calido aquæ balneo ſæpe illas abluentes, educunt, atque fere nullam infantulis tamen lamentationem ploratu aliquo edentibus, ita ſine moleſtia hæc ſanguinis vacuatio conficitur: effluxo deinceps ſanguine, ſcarificationibus probe lineo panno deterſis, atque ſiccatis, goſſypium adaptant, quod tribus ad ſummum diebus in auribus ſcarificatis geſtant, atque mox ab ipſis recte conglutinatis, illud abigunt. In omnibus vero acutis febribus, atque omnibus inflammationibus oculorum, aurium atque ceterarum capitis partium, cutim ante vel intra aures poſitam ſcarificant, atque in iiſdem partes infernas occupantibus, retro vel extra aures poſitam. GUILAND. Hoc remedii genus non omnino fore ſpernendum ac negligendum videtur, nec penitus antiquis medicis ignotum fuiſſe, quando apud Hippocratem in 5. epidem. hæc ad unguem legantur. *Cum adſunt cedemata, venæ in auribus poſteriores ſcindende ſunt.* Sed Galenum aurium iſtam ſcarificationem minime noviſſe hinc ſuſpicari poteſt, ex quo ipſe in commentario Hippocratem reprehendendo hæc dixerit: *In his quidem verbis locutio impropria, & vitioſa eſt, ipſo ſcribente, venas in auribus: neque enim venas in auribus, ſed circum aures dicere oportebat: ſiquidem venæ quædam poſt aures grandiores ſunt, in ipſis vero auribus perexiguæ, vixque aſpectabiles, & plerumque neque perſpicuæ.* Non noverat Gal. uſum ſcarificandarum aurium eo modo, quo Hippocrates ſenex ſapientiſſimus cognoviſſe legitur. Sed tamen hunc uſum aures ſcarificandi audio multis Saracenorum admodum familiarem extitiſſe. Quod & Doctiſſimus Franc. Valeſius probe confirmare videtur, qui in comm. ſexti lib. epidem, Hippoc hæc ſcripſit: *Id quod didici à Saracenorum filiis, quos nuper Philippus dominus meus devicta rebellione, à Granatæ finibus in interiorem Hiſpaniam ſecedere imperavit: illi utebantur aurium ſcarificatione, quam poſſit quiſpiam in hunc Hippoc. locum referre.* Non eſt itaque difficile credere nunc Ægyptios etiam hac aurium ſcarificatione uti. Neque hinc

Comm. 5. text. 21.

Hippoc. orationem impropriam, ut Gal. voluerat, eſſe certo cognoſcitur, ſed potius hanc Galeno fuiſſe ignotam putaverim. Alpin. Veruntamen id aut nullius, aut parvi adjumenti (cum aurium hæ partes, quæ ſcarificantur, excarnes ac exangues ſint, veniſque vix apectabilibus refertæ) eſſe quis exiſtimabit, quod ab harum ſectione pauciſſimus ſanguis educatur, qui aut nullum, aut obſcuriſſimum auxilium iis præſtare poteſt. Valeſius ut Hippocratem à calumnia ſervaret, qui aurium ſcarificationes ad coxendicum affectum (ut dictum eſt) laudavit, ait iis, quibus ex capite fluente humore ad femora, in eos affectus inciderunt, cauterio aurium partibus, vel ante vel retro poſitis inuſtis vel diſſectis, poſſe conferre. Sed quia negare non poterat, hanc ſcarificationem apud multos Saracenos in uſu eſſe, idcirco ſubjunxit, etiam Saracenos hac uti ſcarificatione, quia ſunt timidiſſimi à miſſione ſanguinis; neutrum jure videtur credendum, quando Hippoc. manifeſtiſſime non de aurium cauterizatione vel inuſtione, ſed de ſcarificatione locutus ſit. Neque Saracenos ita ſanguinis vacuationem formidare, hominum relatione certo conſtat. Ægyptii vero atque Arabes, quibus copioſa ſanguinis eductio eſt familiariſſima, aurium (ut nuper dixi) utuntur etiam ſcarificationibus ad evacuandum ſanguinem. Guiland. Puto timorem miſſionis ſanguinis in pueris non aliunde venire, quam ex ipſorum ſumme calido atque humido temperamento, habituque maxime aperto ac molli, facillimeque diſſolubili: ex qua copioſa ſanguinis vacuatione corpora illorum nimium exolverentur: quare Ægyptii pueris quam parciſſimam imperant vacuationem, cum ſua corpora habeant ex temperamento, atque habitu, unde evacuentur promptiſſima. Hincque in pueris aurium ſcarificatione ſanguinis vacuationem moliuntur, quod ipſa pauciſſima, tum iis ſufficere, tum minime multum vires diſſolvere, queat. Alpin. Non ſolum aures, ſed & nares ad multa mala non in pueris modo, verum in omnium ætatum hominibus, Ægyptii ſcarificare ſolent: venas enim intra nares maxima dexteritate ſcarificant, & ut ipſis lubet ſanguinem interim copioſiſſimum exinde evacuant. Idque naturam imitati in febribus acutis, in quibus præſertim

ca-

caput, vel doloribus vel aliqua inflammatione læſum obſervatur, atque in phreneticis, aliiſque ex calidis ſuccis delirantibus præcipueque ex ſanguine. Arcanum etenim quoddam apud illos copioſa ſanguinis à naribus intus ſcarificatis miſſio creditur. In omnibus doloribus, ac inflammationibus capitis partes occupantibus, non minuſque in iiſdem affectibus oculos infeſtantibus, in continuis putridis febribus, ubi ruborem in facie, vel aſſiduas vigilas, vel deliria ægros vexare conſpexerint, ſtatim ad hanc ſanguinis vacuationem confugiunt, maximeque in diebus criticis, in quibus criſis aliqua per ſanguinis eruptionem ſperatur. In phreneticis, atque acute febrientibus, quibus in aliquo criticorum dierum ſtillæ ex naribus illabentes obſervatæ fuerint, minimeque exinde ſperantes ſanguinem poſtea large fluxurum, intus nares phlebotomo ſcarificantes, eruptionem per ſtillas inceptam adjuvant, atque perficiunt. Nova hæc apud noſtros medicos, pro molienda ſanguinis miſſione ſcarificatio erit, neque puto quempiam ipſius rationem, atque uſum habuiſſe. Multi enim intra nares appoſitis hirudinibus ſanguinis vacuationem pertentarunt. Amatus Luſitanus Medicus Hebræus non ſpernendus, ſe rectum uſum à naribus educendi ſanguinem reperiſſe in tertia ſuarum centuriarum memoriæ prodidit, qui tamen ſolis hirudinibus illam vacuationem moliri oportere, putabat. GUILAND. Gal. viſus eſt his verbis hunc vacuationis modum noviſſe ac docuiſſe in 2. lib. de compoſ. medicam ſecundum loc. qui dixit: *Quod ſi amplius ſanguis redundare videatur, etiam ex naribus aperta vena, & quantum ſufficere videtur ſanguis vacuetur.* Hinc intelligi poteſt Galeni temporibus uſum mittendi ſanguinem à naribus fuiſſe probe cognitum, atque frequentatum. Sunt aliqui, qui exiſtimant fieri hanc vacuationem, ſecto naſi mediaſtino, quam multi laudant in faciei, naſique ruboribus, atque in aliqua inflammatione. ALPIN. Errant illi certiſſime id credentes, quoniam apud Ægyptios omnes, narium ſcarificatio, atque mediaſtini, una, eademque non eſt, neque ad eadem mala utriſque his utuntur. Narium enim ſcarificatione multum ſanguinem evacuant, qua vacuatione omnibus capitis inflammationibus cum internis, tum ex-

Cap. 2.

 ter-

ternis, & in febribus ſæpe utuntur: à Mediaſtino vero ſcarificato pauciſſimus ſanguis exit, qui tantum faciei naſique ruboribus adjumento eſſe ſolet. GUILAND. Sed quomodo nares ſcarificant, atque naſi mediaſtinum? ALPIN. Naſo in primis, poſtquam collum faſcia devinctum eſt, ut venæ craſſeſcant, tum multum perfricato, tum aqua calida multa dulci aſperſo, atque tumefacto cutem narium ambarum, vel unius, per longum tribus, vel ad ſummum quinque ſcarificationibus ſecant, a quibus ſanguinem calido aquæ dulcis balneo educunt. Mediaſtinus vero & ipſe eodem modo una ſcarificatione ſecatur, guttæque tantum ſanguinis ex ejus ſectione promanant. Utuntur etiam illi populi labiorum, præſertimque inferioris ſcarificatione pro oris, gulæ, inflammationibus, ſed longe maxime ubi fiſſuris labia fuerint obnoxia, gingivaſque ſcarificant, ex confluxo ſanguine dolentes, vel aliqua inflammatione vexatas. Sed his omiſſis, utilius erit, nos tandem accedere ad celeberrimam crurum, malleolorumve ſcarificationem: qui enim habebitur ſermo de tanto præſidio, non poterit non niſi multum medicis adjumenti afferre, quando hæc ſcarificatio venæ ſectionis vicaria, mea quidem ſententia ſit, de qua nunc prolixius tecum loqui cupio; ſperoque hujus ſermonem majori, quam ceteros nobis voluptati fore, nec minori utilitati, quem totum in hac die vix credo à nobis poſſe abſolvi. GUILAND. Quæſo, quæ in ſermone hujus ſcarificationis, quæ à noſtris etiam iis partibus applicatis cucurbitulis communiter in quibuſdam malis ita facile molitur, tam copioſam orationem accerſunt? Vellem igitur hac de cauſa, ut quamprimum ad illam te converteres. ALPIN. Faciam ut lubet, ſed vereor, ne tu in communi multorum errore verſeris, qui celebrem hanc malleolorum ſcarificationem, ab antiquiſque medicis præclariſſimis pro venæ ſectionis vicario auxilio receptam, atque uſitatam, in cucurbitularum cum ſcarificatione applicatarum uſum commutarunt. Verum ſi quid de illa Gal. & Oribaſius in multis locis, ex quamplurimum celebratorum medicorum ſententia, nobis prodiderint, nunc meminiſſes, fortaſſe ita hic ſermo te delectaſſet, ut longiorem hac de re explicationem à me peteres. GUILAND. Nihilominus ego for-

fortaſſe, avidius quam tu ſermonem, qui de hujuſmodi præſidio accurate habeatur, expecto. Sed antea ſcire ex te volo, an eodem modo Ægyptii mentum ſcarificare ſoleant, & brachia, quando horum ſcarificationem apud Hiſpanos confici aliqui prodiderint: atque & menti ſcarificationis Gal. in 6. lib. de compoſit. med. ſecundum loc. ad multa mala meminerit. ALPIN. Etſi utrumque fieri meo quidem judicio poſſet, tum brachiis, cruribus, quoad venarum ordinem fere omnino reſpondentibus; tum etiam quia menti ſcarificatio, & commode adminiſtrari poſſet, & multis affectionibus eſſet utilis. Cujus utilitatem antiquitas medicorum nos recte perdocuit. Sed tempus eſt, ut ad propoſitam ſcarificationem redeamus.

## CAP. III.

*Malleolorum, ſive crurum ſcarificationem ad moliendam evacuationem auxilium eſſe antiquiſſimum, à Græciſque clariſſimis medicis valde frequentatum.*

### ALPINUS.

OMNIUM maxime crurum, ſurarum, vel malleolorum ſcarificationem pro ſanguinis molienda evacuatione in pueris, Eunuchis, mulieribus, atque carnoſis vel pinguibus omnibus hominibus uſurpant, tutiſſimumque apud eos creditur vacuatorium remedium: quo quiſque multorum morborum occaſione ingenti ſalutis ſpe utitur ad vacuandum ſanguinem, præſertimque viribus vacuationem per venam ſectam præ imbecillitate non ferentibus. Scarificant enim, ut inferius propriis locis dicam, in utroque crure ſuram, ſive partem cruris craſſam, quæ malleolo contermina eſt, multis adactis profundis, ac longis ſcarificationibus, à quibus ſæpe tepida aqua dulci ablutis, quantum volunt ſanguinis ſine multa corporis commotione, educunt. Ad hoc auxilium illi in omnibus morbis, ab humoribus calidioribus ortum habentibus, veluti ad ſacram

anchoram confugiunt, neque id immeritò, cum tot, & tantas habere ad ſanitatem vires ſæpiſſime ſint ſcarificationem experti. Mirorque idcirco, Guilandine doctiſſime, noſtrates medicos nolle tam utile. atque a multis doctiſſimis Græcis medicis antiquis, ad morbos profligandos, hominesque ab his præcavendos, adeò laudatum auxilium agnoſcere, atque in uſum revocare. Et quamquam eos medicos non omnino laudem, qui ita promptè in quovis ferè morbo ſanguinem per venam ſectam mittant, rectiùs tamen eos agere putamus, quàm qui eandem vacuationem ſanguinis per cucurbitulas dorſi partibus cum ſcarificatione applicatas moliri conſueverunt. Guiland. Priores illos medicos eo auxilii genere, quippe venæ ſectione poſſe morbos eos profligare tutius ac certius judico, quàm alios cucurbitularum uſu. Quod miſſio ſanguinis per venæ ſectionem procurata, magnum utique ſit remedium, atque ob id magnis meritò occurrat morbis. Ab uſu verò cucurbitularum tantum abeſt, ut magnos morbos à plenitudine humorum ortum ducentes, profligari poſſe credam, ut potiùs iis applicatis, eos in deterius ſuccedere poſſe autumem. Quod à nobis heri diligentiùs diſputatum, atque conſtitutum fuit. Sed cur ego te tamdiu interpello, teque ab incepto tuo ſermone his verbis amplius diſtraho; perge igitur reliquum hac de re ſermonem abſolvere. Alpin. Pro tollenda corporum plenitudine Gal. nullum cucurbitularum verbum fecit, ut noſtrorum multi cogitant, ſed ſolum venæ ſectionis, atque crurum ſcarificationis meminit. Quod ab ipſiuſmet verbis in 2. Aph. Hippocr. commentario proditis colligitur, quæ hæc exiſtunt: *Evacuatio omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquiſitiſſima eſt, fit per venæ ſectionem; proxima autem huic illa eſt, quæ fit per malleolorum ſcarificationem.* In libro etiam de hirud. cucurb. ſcarif. dixit: Cucurbitulas in plethoricis corporibus non modo eſſe inutiles, ſed etiam noxias. Atque in lib. de curat. per ſang. miſſ. docuit, ante cucurbitularum adminiſtrationem totum corpus evacuatum eſſe oportere, illiſque vel cum ſcarificatione vel ſine ea applicatis. Ex quibus noſtri medici perdocti, neſcio cur, in magnis morbis, viribus ſanguinis eductionem

Aphor. 17.

Cap. 3.

nem per venæ ſectionem non ferentibus, ad hanc, relictis illis cucurbitulis, ſaltem crurum ſcarificationem non accedant vel confugiant, cum hæc tutiſſimum ſit auxilium, vacuationeque (ut ait Gal.) venæ ſectioni proximum. Hocque etiam venæ ſectioni utilitate præferendum Gal. in eodem lib. de hirud. cucurb. aliis verbis meminit: *Eodem namque anno venam frequenter incidere, minime quidem rationi conſentaneum arbitramur: Quandoquidem cum larga ſanguinis copia, vitalis quoque ſpiritus emittitur, quo ſanè abſumpto, crebrius quidem moles univerſa frigeſcet, tum animales functiones omnes deteriores redduntur. Quamobrem ab ignobilioribus membris, ut potè à cruribus ſanguis educendus eſt.* Atque in libro de curat. per ſang. miſſio. in quibuſdam corporibus crurum præfert ſcarificationem venæ ſectioni, ut ipſe hunc in modum prodidit, dicens: *Porro quæ ex mulieribus albidiores ſunt; ſanguinem acervare tenuem ſolent. Quocirca adhibitis malleolorum ſcarificationibus maxime juvantur.* Et paulo poſt ait: *Carnoſis vero & candidis parvæ inſunt venæ, quibus malleolos ſcarificare, quam venam ſecare præſtiterit: quippe cum hæ parvas in cruribus venas habeant.* Eſt & Appollonius ille atque Antyllus, medici olim graviſſimi, ut apud Oribaſium legitur, qui hujus ſcarificationis clariſſima monumenta poſteritati reliquerunt. Oribaſius vero hæc de ipſa crurum ſcarificatione ſcripſit: *Et ſane dum peſtilentia vehemens Aſiam deprehendiſſet, multoſque perdidiſſet, meque etiam morbus attigiſſet, ſecunda morbi die remiſſione febris facta, crus ſcarificavi, duaſque fere ſauguinis libras detraxi, hacque de cauſa periculum vitavi. Plerique igitur etiam alii hoc præſidio uſi ſuperſtites evaſerunt: erant enim plenitudinis ſigna.* Crurum itaque ſcarificationis uſum Galeno, Apollonio, Antyllo, Oribaſio, pleriſque etiam aliis ex antiquis clariſſimis medicis & cognitum, & valde apud eos frequentatum exinde plane conſtat. GUIL. Vera ſane prædicas: ſed quid mireris multos etiam doctiſſimos hoc ita ab optimis medicis laudatum auxilium minime velle agnoſcere, ac in priſtinum uſum revocare, quando multorum inſanabilem in defendendis erroribus pervicaciam tu rectè noveris? Quid mireris, inquam, cum ipſi aliquid habeant; quo culpa carere

Cap. 11.

Cap. 11.

Lib. 7. Cap. 20.

ali-

aliquo pacto videntur? Namquis unquam ab Ægypto huc profectus eſt, qui ejus ſcarificationis verum modum nobis manifeſtarit? Certe nemo nos eam edocuit: ego magis mirandum eſſe puto, hactenus multis in Italiæ urbibus, præſertimque Venetiis perinde ac Eraſiſtratei faciebant, medicorum multos ſanguinis miſſionem per venam ſectam ita abhorruiſſe, ut maximum timorem id genus auxilii pleriſque incuteret. Qua in re non parva gratia Alexandro Maſſariæ medico clariſſimo eſt habenda, qui cum urbem illam olim ingreſſus ita à ſanguinis miſſione abhorrentem, ac timentem invenerit, medicæ artis Hippocraticis principiis veritatem illis ſæpe ſuadendo ac demonſtrando, errorem in medicina ſummum, è mentibus doctiſſimorum multorum medicorum eripuit. Tamen caterva medicorum (ita morbus invaluit) ſuperfuit, adhuc antiquis erroribus plane addicta: qui affirmant, non eſſe conficiendam ſanguinis vacuationem per venæ ſectionem, ob plurimi caloris reſolutionem, ſed tantum cuti dorſi aliiſque partibus applicitis cum ſcarificatione cucurbitulis. Hincque earum uſus eo gratiæ devenit, ut nunc frequentiſſimus apud multos, ac familiariſſimus factus ſit. Hacque de cauſa multi audent affirmare cucurbitulas ſcarificatas venæ ſectionis vicarium eſſe auxilium, Quorum opinio quàm erronea, & à veritate aliena ſit, præter ea quæ
Cap. 5. dicta ſunt, patet etiam ex Galeno, qui & in 2. lib. Aphoriſm. & in 4. de ſanit. tuenda, atque in lib. meth. med. aliiſque multis in locis dixit apertiſſimeque, ſecundum locum, à ſectione venæ, crurum ſcarificationem obtinere: nam in 2. lib. Aphoriſm. ait: hanc ſcarificationem venæ ſectioni eſſe proximam: atque in lib. 4. de ſanit. tuend. aſſerit, tantundem ac venæ ſectio valere maleolorum ſcarificationem; & in lib. 13. meth. med. ſcripſit: *Si corpus fuerit plethoricum, ſanguinem mittendum eſſe, aut vena inciſa, aut cruribus ſcarificatis.* Alpin. Recte ſane dixiſti, ſed hactenus excuſari poterant noſtri hi medici, quod nemo ipſorum hanc ſcarificationem, quo pacto adminiſtraretur ab aliquo didicerit. Nunc vero quiſque ſumme redarguendus erit, niſi voluerit hoc genus præſidii utiliſſimum è nobis ſaltem accipere, & in antiquum uſum revocare. Maxime-

meque cum audierit, hujus ſcarificationis uſum cum in tota Ægypto, tùm in tota etiam Hiſpania apud omnes familiariſſime frequentari in omnibus pueris, Eunuchis, mulieribus, pinguibuſque corporibus, felici ſemper cum ſucceſſu. GUILAND. Amatus Luſitanus medicus non ſpernendus hoc remedium maximi ſemper fecit, atque ſæpiſſime eo pro vacuatione ſanguinis uſus eſt: ut paulò pòſt fuſius etiam narrabitur. Eademque, quæ tu, Joan. Jacob. Manni poſteritati tradidit. Quam ob rem crurum ſcarificationem multis & antiquis, & recentioribus medicis fuiſſe cognitam, & ab eis adhíbitam manifeſtiſſimum eſt. Quod ut apertius omnes cognoſcant, ac ne ab hoc vacuationis uſu, ideo ſe abſtinere dicant, quod ignari ſint, an eodem modo hæc ſcarificatio, tum in Ægypto, tum in Italia hominibus conducat; ideo ſi poſtquam tu in patriam redieris, in aliquibus ipſa fueris uſus, ac quali etiam ſalutis ſucceſſu vel felici, vel infelici, intelligere ex te nunc cupio.

## CAP. IV.

### *Quibus in Italiæ locis hominibus ſanguis crurum ſcarificatione fuerit detractus.*

### ALPINUS.

AB Ægypto ego in patriam reverſus, Baſſanum oppidum loci amænitate pulcherrimum, meorum ſtudiorum gratiâ, me contuli, ibique medicinam publice faciendo multos ſcio ægrotos crurum ſcarificatione, ſanguinis ſæpe evacuatione more Ægyptiorum procurata, ſanitati reſtitutos. Scis etenim poſtquam in Italiam ex illis locis pervenerim, me perpetuo optima Ægyptiorum veſtigia in medendo ſequi voluiſſe, præſertimque in ſanguinis vacuatione molienda, maximeque in uſu crurum ſcarificationis, pro qua exercenda diligenti, atque experto invento hujus operis miniſtro, in multis ſanguinem mittere more Ægyptiorum pertentavi. Quod mihi feliciori cum ſucceſſu ſemper evenit. Primuſque, cui eo modo ſanguis fuerit va-

vacuatus, puer fuit annos decem natus, quem in humanarum literarum cultu Franciſcus Lanzarinus Baſſanenſis in ejus ſchola à Caſtro franco exercendum ſuſceperat. Qui duplici tertiana correptus, cruribus ambobus ſcarificatis, & educto ſanguine convaluit. Huic enim propinato prius pharmaco, quo ejus corpus noxiis pauliſper expurgaretur humoribus, iiſque maxime, qui in ſtomacho & venis meſeraicis continebantur, quarta die ambobus cruribus vel ſuris more Ægyptiorum ſcarificatis, ſanguinis fere libram commodiſſime eduximus, à qua præſtita vacuatione febris imminuta, alia tantum acceſſione deſiit. Paucos ab hinc menſes ab hujus pueri morbo mulier fere ſexagenaria, Bona vocata, quæ, apud Baſſanos famoſiſſimos pictores habitabat, hepatis peſſima inflammatione correpta continue cum dolore, & tenſione dextri hypochondrii, aſſiduis vigiliis atque difficillima reſpiratione, ingentique ſiti, lingua nigra admodumque ſqualida febricitabat. In qua urinæ tenues, coloratiores, cum contentis crudis ſpectabantur, dieſque duodecimus ab ægritudinis principio agebatur, quando accerſitus illam inveni eo modo ægrotantem, cujus morbo, cauſis, ac ſymptomatis recte perſpectis ac cognitis, atque chirurgo accerſito, internam dextri cubiti venam ſecari juſſi, à qua nullo ſanguine, muliere in ſyncopim collapſa, vacuato, ne miſera ceteris neglectis remediis moreretur, ex ejus corporis habitu bene carnoſo, pingui atque albo, Galeno in libro de curand. rat. per ſang. miſſ. docente, malleolorum ſive crurum ſcarificationem magis quam venæ ſectionem, præſtare ei poſſe: probe cruribus ſcarificatis, ſanguis ad libræ pondus commode eductus eſt, à quo ſtatim melius ſe habuit, nocteque ſubſecuta ſomnum cœpit, melius reſpiravit, atque adeo febris minui exinde cœpit; die quarta-decima fere libera fuit, at decima-ſeptima in univerſo corpore critica exorta ſcabie, prorſus convaluit. Poſt hanc aliam eoſdem annos natam, habitu admodum pingui, ac valde carnoſo præditam, villam Angaranum habitantem, febre continua, acuta, correptam cum intenſiſſimo capitis dolore, aſſiduiſque vigiliis, delirio, atque multa inquietudine curandam præ manibus habui, cui die tertia præmiſſo clyſtere, ambobus

iti-

itidem profundis inciſionibus cruribus ſcarificatis, ſanguinis libra & plus fuit educta, à qua mulier melius ſtatim ſe habuit: dieque ſeptima omnino à febre libera evaſit. Puer etiam duodecim annorum Citadellenſis in domo Joſeph Caratelli pharmacopolæ, cum febre ſurdus omnino factus, ejus à ſcarificatis cruribus, plurimo ſanguine evacuato, ſtatim audivit, atque paucis diebus etiam à febre convaluit. Duæ itidem eodem tempore puellæ virgines in Valle Stagna decumbentes, in peſtilentem febrem collapſæ à ſuppreſſis menſtruis, ea ſcarificatione adjuvatæ ſanitatem cito receperunt. Cito enim ambabus iis copioſi menſes denuo fluxerunt ſeptima die cum judicio. Criticeque ambæ judicatæ in eadem die fuerunt. Audiſti ex me igitur, quos vacuatione ſanguinis, ſurarum ſcarificatione præſtita, Deo annuente, Baſſani ſex fere menſium ſpatio ſanitati reſtituerim. In principio dum ea uti cœperim, propter multas magnaſque ac profundas ſcarificationes fere omnes hoc auxilium formidabant. Deinceps vero multi fuere, tum viri, tum mulieres, quæ ab utilitate perſuaſi hoc genus remedii facile complexi ſunt. GUILAND. Gaudeo te tantum de hujuſce ſcarificationis utilitate periculum feciſſe: cui facile omnes acquieſcere poſſent. Ego vero, ut idem confirmem, puto non inutile fore, ſi tuis experientiis alias ab Amato Luſitano memoriæ traditas ſubjungam. ALPIN. Gratam rem facies, ſi eas mihi etiam indicaveris. GUILAND. Is in prima ſuarum centuriarum Curat. 18.
hæc litteris tradidit: *Paucis interpoſitis diebus hujus dicti frater, duos annos natus in eaſdem oris ulcerationes incidit, qui ſurarum ſive tibiarum ventrium ſcarificatione, & topicis adhibitis enumeratis medicamentis ſanitati illico fuit reſtitutus.* Et in ſcholia, poſtquam tum omnes medicos præter Hiſpanos, quod hos ſolum crederet, hujuſce ſcarificationis peritiam obtinere, reprehenderat, ſubjunxit alterius pueri hiſtoriam, his verbis; *Dominicus Maria à Bala mercator Binonienſis cum filiolum graviter ægrotantem haberet, ut illum inviſerem me rogat, ad quem accerſitus jubeo protinus crura ſcarificari, prius ea per ſpongiam fovens aqua calida, & ad poplites ligatura ac ad ſuras evocato ſanguine, eas ſæpe harundine fiſſa percutiendo, ſed invita matre puerulì natio-*

*tione Græca, patria Bizantina, quæ quum intra duos dies puerum ſanum conſpexerit, ad me poſtea, tanquam ad ſacram anchoram, quum pueri ſui vel amicorum ægrotarent, confluebat, ut illam illis juberem evacuationem facere, tantum videlicet huic evacuationi tribuens: nec ſane immerito, quia præter multa, quæ ſecum adfert commoda crurum ſcarificatio, materiam in corpora exundantem minuit, & caput à dolore & malis affectionibus liberat.* In ſecunda
Curat. 58. centuriarum pueri hanc ſubtexit hiſtoriam dicens: *Filius Barboſii natus annos novem cum febri continua corriperetur, & inter medicos conſultum eſſet pro ejus ſalute de ſanguinis miſſione, primo à ſurarum ſcarificatione cœptum fuit; qua vel tantum illico ſanus eſt factus.* Hæc extant monumenta illiuſce doctiſſimi medici de miſſione ſanguinis per crurum ſcarificationem poſterorum memoriis prodita.

## Cap. V.

### *Crurum ſcarificationem non eam eſſe, quam noſtri applicatis cucurbitulis frequentant.*

## GUILANDINUS.

Non video hoc auxilium Arabibus medicis notum fuiſſe. Quamquam nunc ipſorum ferè proprium illud eſſe dixeris, quando nemo illorum de eo aliquid ſcriptum reliquerit. Avi-
Lib. 1. ſen. 4. c. 21. cenna enim hanc ſcarrificationem à cucurbitulis ſeparatam minime cognovit, quod ex ejus his verbis facile perſpicitur: *Et ventoſæ quidem, quæ cruribus ſuperponuntur, ſunt minutioni propinquæ, & mundificant ſanguinem, & provocant menſtrua.* Quod apud alios quoque Arabes medicos multos uſitatum, ac creditum eſt. Nam neque Averroes, neque Rhaſis, neque Haly Abb. neque alii multi de ſcarificatione crurum, ut quid diſtinctum à cucurbitulis ſcripſere. Itaque apud hos vacuatio per crurum ſcarrificationem procurata nihil aliud erit, quàm communiter noſtris cucurbitulis, cum ſcarificatione applicatis ſanguinis facta eductio. Cui opinioni id favere videtur, quòd alios

alios multos præclariſſimos medicos, ne verbum quidem de hac diſtincta à cucurbitulis ſcarificatione feciſſe videam. Nulla ſiquidem apud Hippocratem ipſius extat memoria, neque apud Celſum ſecundum, ut multi ajunt, Hippocratem, neque apud alios multos. Hincque multi etiam doctiſſimi medici nullam differentiam inter hanc & cucurbitulas ſcarificatas fecerunt, ut Hieronymus Cardanus in lib. 2. controv. med. qui hæc Galeni verba de ſcarificatione ita interpretatus eſt: *Sunt autem quæ æquivalent ſectioni venæ retentarum hæmorrhoidum apertio, vel menſium ſuppreſſorum, vel in quibus nihil eſt tale, malleolorum cum cuburbitula ſcarificatio.* Quæ tamen interpretatio (pace tanti medici dixerim) longè à veritate eſt aliena, cum Gal. per malleolorum ſcarificationem diſtinctiſſime eam abſque cucurbitulis intellexerit. Nam in libro de hirudinibus diſtinctè duo capita ſcripſit, alterum de ſcarificatione, atque alterum de cucurbitulis. Qui ſi idem intellexerit ſcarificationem, & ſcarificatas cucurbitulas eſſe, proculdubio cucurbitularum uſum nuſquam meminiſſet. Nam in libro nuper citato dixit: *At incipientes aut etiam vigentes* (ſupple capitis dolores) *per cucurbitam in cervice procurata retractio interim quidem ſolam, interim cum ſcarificatione.* Quod prorſus confirmavit in Aphoriſ. lib. atque in lib. de curat. per ſang. miſſ. Cur igitur ibi Gal. meminit cucurbitularum cum ſcarificatione, ſi nomine ſcarificationis ſemper cucurbitulam ſubintelligat? Certe ex Galeni ſententia, utrumque eſſe unum & idem, falſiſſimum eſt. ALPIN. Cui dubium id eſt, variis utramque operationem moliendi modis perſpectis, atque utriuſque auxilii facultatibus? Nam modus vacuandi applicatis cucurbitulis plane eſt diverſus ab eo, qui in uſu ſcarificationis adhibetur. Cucurbitulam ſiquidem linamento ardeſcente, vel igne vel aquæ calidæ halitu, cuti primo applicant, quæ valide intra ſe cutim attrahit, á qua cutem in ruborem atque tumorem elatam ſcarificant, eique ſtatim rurſum cucurbitulam affigentes ea ſanguinem à ſcarrificationibus extrahunt. Secus vero in molienda ſcarificatione obſervatur, nam qui volunt crura ſcarificare pro vacuando ſanguine, primo arctè crus ſub poplite ligant, & mox totum

crus in primis multum perfricatum, in dulcis aquæ calidum balneum immergunt, ſæpeque abluunt ſuram, ac ac arundine ipſam percutiunt, ut totum crus intumeſcat, multumque erubeſcat, atque obtorpeſcat, ne inciſionum acutum dolorem ægroti ſentire queant. Quibus omnibus peractis crus ordinatis longis, ac profundis inciſionibus ſcarificant, à quibus quantum volunt ſanguinis, aqua calida vulnera ſæpe irrotantes, vel totum crus in aquam obruentes, evacuant. Quis igitur ſcarificationem à cucurbitulis diverſum quippiam eſſe non fateatur, ex modorum omnino variorum, quibus adminiſtrantur, obſervatione? Quæ etiam inter ſe ex utriuſque facultatum dignotione diverſa utique eſſe, facile ſuadebitur. Differunt quidem hæc in ea quam præſtant, evacuatione, quantitate ſanguinis qui evacuatur, nec minus attrahendi modo. Etenim cruribus ſcarificatis libræ ſanguinis facile non ſecus quàm per venæ ſectionem educi poſſunt. Quod ſæpiſſime experientia verum eſſe didicimus. Oribaſiuſque in libro de cucur. ſcarif. hirud. ſibi cum peſte ipſe vexaretur, altero crure ſcarificato binas ferè ſanguinis libras extraxiſſe teſtatus eſt. Addo, per crurum ſcarificationem tantum ſanguinis vacuari, quantum per venæ ſectionem evacuari poteſt. Quæ ſanguinis copia uon ita facile cucurbitulis exhauriri poterit. GUILAND. Neque citra rationem aliquam hoc fieri arbitror, namque ſanguis à ſcarificatis cruribus abſque cucurbitulis calidæ dulcis aquæ balneo continue educitur, ex qua caliditate ſanguinem attenuante, movente, atque attrahere, humiditateque inciſiones venaſque plurimum laxante, facile ſanguis effluit. In ejus vero eductione, quæ cucurbitularum attractione fit, aliæ cauſæ exiſtunt, & tales quidem, ex quibus potius ſanguinis fluxio cohiberi, quàm adjuvari poſſit: namque non adeſt caliditas, quæ fluxurum ſanguinem attenuet, neque adeſt quod relaxet cutem ſed magis cutis ex vacuato ſanguine frigeſcens, denſatur, & ſanguis extra venas egreſſus in trombos concreſcens, fluxionem potius coercere poſſunt. Hinc mirum non eſt cucurbitulis non poſſe tantam ſanguinis copiam vacuari, quanta per nuper dictam ſcarificationem educi poteſt. ALPIN. Differunt etiam ſanguinis

nis vacuationes cucurbitulis factæ ab iis, quas hac ſcarificatione molimur, quod illæ violenta attractione, atque hæ ſine ulla violentia procurantur, ſed ſenſim ac ſenſim ſine multa agitatione. Galen. enim in lib. 13. dixit: Cucurbitulam ad hoc eſſe inventam, ſtrenuumque plane ad id eſſe auxilium, ut foras evocentur, quæ ſunt in alto, atque ut eximantur & eruantur, quæ jam in ſcirrhum abeunt: neque cucurbitæ attractionem violentam eſſe noſtrum cuipiam ignotum eſſe cogito. Scarificatione vero ſanguinem dulcis aquæ calido balneo ſenſim ac ſenſim citra commotionem multam corporis educi, ſenſui patet: ut Appollonius non minus antiquus quam gravis medicus his verbis ſcriptum reliquit. Quæ apud Oribaſium leguntur ex illiuſce medici graviſſimi mente de hac ſcarificatione, hæc exiſtunt: *plethoram autem commoderatam, quæ aliquid mali factura ſit, ac jam everſionem in morboſum ſtatum attingat, tibia quæ ſcarificationibus vexata fuerit, innoxiamque totam quam volumus ſanguinis illigationem reddiderit, citra validam totius molis commotionem ſolvit.* Amplius Gal. atque alii Græci medici multi dixere, ſcarificationem hanc tollere plenitudinem, quod in pleriſque locis legitur: præſertimque in lib. nuper citato de Hirud. revulſ. cucurb. cum dixit: *Si qua exuperans materia in corpore minuenda eſt, atque ob potiſſimum exuperantia ea oriatur, quod materia ipſa, quæ emitti ſolet, ſupprimatur, ſcarificatione utimur.* Cucurbitulis vero ſcarificatis vel ſine ſcarificatione antequam corpus totum vacuatum ſit, nunquam medicos uti debere, Gal. pluribus in locis, quos ſupra adnotavimus, memoriæ prodidit. GUILAND. Differentia evacuationis, hac ſcarificatione facta, atque ejus quæ cucurbitulis celebratur, in alio conſiſtere non videtur, quàm in attractione, quæ in his calido balneo, in illis vero cucurbitulis perficitur. Una eademque ſcarificatio cutis utraque erit, ſed ab una ſanguis calida aqua evocatur, & ab altera cucurbitula ex alto ad cutem trahente. ALPIN. Neque hæc duo exiſtunt vacuationis inſtrumenta, tametſi utraque in ſcarificationem cutis fundentur, etenim in utriſque non eadem fit ſcarificatio. Nam ad uſum cucurbitularum cutem multis inciſionibus, longis, neque profun-

Orib. lib. de cuc. ſcarif. cap. 9.

Cap. 4.

fundis, neque ordinatis ſcarificant. Quæ omnia in hac ſcarificatione Ægyptii ad unguem obſervant. Quod etiam Oribaſius ex Antyllo in lib. de cucurb. ſcarif. faciendum præcepit. Quare multis differentiis crurum ſcarificatio, & cucurbitulæ ſcarificatæ diſtinguuntur, unumque & idem non præſtatur ab utriſque auxilium, nec iiſdem utraque viribus eſt referta, diverſamque inter ſe ambo promunt operationem. Guiland. Non poſſum idcirco non multum Avicennam ceteroſque alios Arabes medicos præclariſſimos admirari, qui de ſanguinis vacuatione agentes hanc ſcarificationem minime à cucurbitulis diſtinctam cognoverint. Alpin. Quid igitur de his diceres? tantos medicos tantum auxilium ignoraſſe? multi nobis non credent. Guiland. Hoc auxilii genus proprium fere fuit Ægyptiorum, atque Arabum: quæ loca cum neque Avicenna, neque Raſis, Averroes, Haly, atque alii habitarint, noſci ab his eam ſcarificationem non potuiſſe putandum eſt. Quod an verum ſit, nemo noſtrum certus eſt: hoc unum tamen ſcio, quod cum hoc remedium apud Galeni ſcripta, Apolloniique, Antylli, Oribaſii inveniatut, & apud illos Græcos medicos nulla extet de eo memoria, iſtorum ſcripta male verſa in Arabicam linguam habuiſſe certo certius judicari poteſt, atque hinc eos nos potuiſſe hoc auxilii genus probe didiciſſe. Quod quidem apud Avicennam manifeſtiſſime comprehenditur ita fuiſſe. Cum quæ Gal. loquebatur de ſcarificatione citra cucurbitularum applicationem, ipſe in cucurbitulas ſcarificatas tranſcripſerit. Galen. ſiquidem in lib. de curat. per ſang. miſſ. de ſcarificatione hac, ita ſcripſit: *Porro quæ ex mulieribus albidiores ſunt, ſanguinem tenuem acervare ſolent, quo circa adhibitis malleolorum ſcarificationibus maxime vacuantur, atque quæ nigriores ſunt, ſecta vena curato. Craſſiorem enim ſanguinem, ac magis melancholicum colligunt, magis vero etiamſi magnas habere venas appareant, quod illis accidit, quæ graciliores ſunt, ac nigriores. Carnoſis vero ac candidis parvæ inſunt venæ, quibus malleolos ſcarificare, quam venam ſecare præſtiterit, quippe cum hæ parvas in cruribus venas habeant: itaque etiamſi recte ſecentur, quod juſtum tamen ſit non profluat:* à quibus ſane verbis

Cap. 11.

bis de ſcarificatione, & non de cucurbitulis à Galeno proditis, male in aliam linguam verſis Avicenna eadem hæc ad unguem tranſcribens, de cucurbitulis ſcarificatis, & non de ſcarificatione intelligens, dixit: *Et ei quidem, quæ ex mulieribus alba exiſtit, ac laxa, ſanguinem habens ſubtilem, ventoſæ in cruribus poſitæ ſunt meliores quam phlebotomia, quæ fit in ſaphena.* Sed hæc ſatis fuiſſe exiſtimo, ad demonſtrandam differentiam, quæ eſt inter ſcarificationem, & cucurbitulas ſcarificatas. Quibus ita explicatis non inutile foret, ſi quæ inter malleolorum hanc ſcarificationem, & venæ ſectionem ſit convenientia ac ſimilitudo, nos aperiemus. Alpin. Jure quidem hoc dixti, neque puto, facile nos hujus ſcarificationis utilitates perſequi poſſe, niſi harum ſimilitudinem ſedulo prius cognoverimus.

## Cap. VI.

### *Inter crurum ſcarificationem, ataque venæ ſectionem maximam eſſe convenientiam, ac ſimilitudinem.*

### ALPINUS.

Sanguinis vacuationem per crurum ſcarificationem factam, ei, quæ venæ ſectione fit, admodum ſimilem eſſe cognoſcitur. Quantitas enim ſanguinis per hujuſmodi ſcarificationem educta vel eadem omnino eſt cum ea, quæ vena aliqua ſecta educitur, vel ſaltem ei proxima: libras ſanguinis iſta ſcarificatione vacuari à nobis nuper dictum eſt, non minuſque Oribaſium in ſeipſum ex ſeipſo eam ſanguinis copiam crure ſcarificato eduxiſſe: Galenumque exinde in comm. 2. Aphoriſm. dixiſſe Aph. 14. vacuationem per malleolorum ſive crurum ſcarificationem præſtitam, proximam ei eſſe, quæ fit per venæ ſectionem. Simili etiam modo & ſanguinis quantitas per eam ſcarificationem, non ſecus quam ex vena ſecta ſenſim ac ſenſim ſanguis effluit, lente & abſque ulla violentia benigne balnei ex dulci aqua

calefacta parati adjumento educitur. Quomodo naturam ſæpiſſime critice, ut verbis utar medicorum, ſanguinem excernere cernimus: atque hinc ſanguinis vacuationem, tum quæ per venam ſectam fit, tum quæ nuper dicta hac ſcarificatione perhibetur, proficuam ægrotis eſſe, quod prorſus à natura factam imitetur, exiſtimo. Quemadmodum etiam ex purgationibus eas ægrotis eſſe valde proficuas dicimus, quæ naturæ optimas excretiones imitantes nulla violentia vel corporis moleſta commotione lædentis humoris redundantiam ejiciunt. Cujus rei ſignum eſſe ægrotos purgationes leviter perferre, Hippocrates in I. lib. aphoriſ. nobis prodiderat. Guiland. Dubia hæc veritas haud parum multis viſa eſt, neque immerito de ea quantitate ſanguinis, quæ educitur crurum ſcarificatione: etenim quæ ratio eſt, quamobrem à cute crurum ſcarrificata plus quam ex aliarum partium ſcarificatione ſanguinis copia major educi ac vacuari debeat? Certe nulla, quando dorſi cutis multis venis referta eandem copiam ſcarificata exhibere queat, ut hinc ſcapularum venas ſcarificatas iecorariæ venæ vicarias Arabes dixerint: ex quibus non videtur crurum ſcarificatio quantitate ſanguinis venæ ſectioni proxima, vel ſaltem aliæ etiam partes corporis ſcarificatæ eandem copiam ſanguinis exhibentes venæ ſectioni itidem proximæ erunt. Alpin. Memini alias de hac eadem quæſtione nos verba feciſſe, remque plane ſic abſolviſſe quia ſuræ ceteris aliis cutaneis partibus, tum numeroſiores venarum ramos, tum grandiores obtinent: ex quibus ſcarificationibus multis venis diſſectis copioſior, quam ab aliis corporis partibus ſcarificatis ſanguis exit. Guiland. Verum dicis, neque immerito; cum Gal. crurum hanc ſcarificationem ſemper venæ ſectioni facultate vel utilitate proximam tradiderit; ait enim plenitudinem corporum ipſam fere, ut venæ ſectio, tollere. Cujus loca nunc, in quibus hoc nos docuit, audire non erit inutile: ex quibus clare cognoſcemus, quanta apud Galenum fuerit inter ſcarificationem hanc & venæ ſectionem ſimilitudo ac in juvando affinitas. Alpin. Exopto illorum locorum auctoritate, veritatem hanc ex te confirmari. Guiland. In lib. 2. Aphoriſ. Hippoc. ut alias etiam eſt, hæc ad un-

Aph. 17.

unguem verba ſcripta reliquit, dicens: *Evacuatio omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquiſitiſſima eſt, fit per venæ ſectionem, proxima autem huic illa eſt, quæ fit per malleolorum ſcarificationem.* Quod non minus clare etiam in libro 4. de ſanit. Cap. 4. tuenda confirmavit iis provecto verbis ita poſterorum memoriæ traditis: *Nam virium robore conſtante ſi laſſitudo adhuc infeſtat, exiſtimandum eſt, cum ſanguiniſne copia, an cum crudis ac minime coctis humoribus, an per ſe ſolus conſiſtat vitioſus humor, qui laſſitudinem creet: Nam ſi cum ſanguinis copia, aut vena incidenda, aut aliquid, quod tantundem valet, agendum. Sane tantundem poſſunt hæc, quibus hæmorrhoides ſunt retentæ ſi has aperueris, ſi mulieri menſtrua conſuetudo ceſſavit, hanc, ſi provoces: ſi horum nihil eſt, malleolos ſcalpello incidas.* Et in lib. 13. meth. med. *Cogimur ergo alias ſanguinem mittere, idque aut vena inciſa aut membris iis, quæ læſa non ſunt, ſcarificatis, manu enim laborante ſcarificabis crura: altero crurum male habente, reliquum. Has namque evacuationes indicat ipſa copia, ſicuti etiam ſuccorum vitium redundantis ſucci purgationem.* Idemque etiam in lib. de Hirud. revulſ. ſi tamen is Galeni liber exiſtit, proditum eſt, atque hiſce verbis. *Si qua exuperans materia in corpore minuenda eſt, atque ob id exuperantia illa oriatur, quod materia ipſa, quæ emitti ſolet, ſupprimatur, ſcarificatione utimur.* Hæc eadem fere apud Oribaſium ex Apollonio, Antyllo, & à ſemetipſo leguntur: quæ cum alias, tum relata ſint, tum quia quiſque apud Oribaſium ea legere poterit, repetere nolumus, exceptis iis, quæ Oribaſius de ſeipſo memoriæ prodidit, quæ ita inſtituto noſtro quadrare videntur, ut nos ea audire fas eſſet. Quæ ſunt hujſmodi: *Et ſane dum peſtilentia vehemens Aſiam deprehendiſſet, multoſque perdidiſſet, meque etiam morbus attigiſſet, ſecunda morbi die remiſſione febris facta, crus ſcarificavi, duaſque fere ſanguinis libras detraxi, hacque de cauſa periculum vitavi. Plerique igitur etiam alii hoc præſidio uſi ſuperſtites evaſere: erant enim plenitudinis ſigna, illique præcipue ſalvabantur, qui ſanguinem copioſum exhauriebant.* ALPIN. Hæc ſufficiunt ex Galeno, Apollonio, Antyllo, Oribaſio, pro demonſtranda hujuſce ſcarificationis malleolorum cum venæ ſectione con-

In lib. de cucurb. Cap. 19.

venientia, hactenus demonſtrata. Ex quibus omnibus conſpicuum ſit, hanc ſcarificationem vicariam eſſe venæ ſectionis, quando ſi quod eſt, quod ex præſidiis vacuatoriis, ad venæ ſectionem prope accedat, hoc unum ſcarificatio malleolorum eſt, cum nullum aliud ex vacuatoriis præſidiis ad ſit, quod ea proximius ad venæ ſectionem accedere queat. GUILAND. Res conſpicua videtur ex Galeni aliorumque Græcorum medicorum monumentis, ſed difficillimum eſt, multis pro vicario auxilio cucurbitulas, cum ſcarificatione applicatas ſubſtituentibus, iſtud poſſe ſuaderi: quæ res nobis non levem anſam præbuit altius eorum ſententiam ſpectandi ac judicandi, ne tam grandis error, tam alte in multorum medullas defixus, non ſine aliqua ægrotantium jactura ulterius progrediatur.

## CAP. VII.

### *An crurum ſcarificatio vicaria ſit venæ ſectionis.*

### ALPINUS.

MALLEOLORUM ſcarificatio an non venæ ſectionis vicaria erit affirmanda? cum nullum evacuans præſidium & proximius ex Galeni aliorumque priſcorum medicorum monumentis, eſſe hactenus cognitum ſit: equidem non video, cur in hac aſſertione nos jure quis reprehendat, etſi plures etiam graviſſimi medici fuerint, quibus alia præſidia pro ſectione venæ ſubſtituenda magis placitum eſt: Quorum alii ſcarificatas cucurbitulas pro tali vacuanti auxilio ſubſtituere, atque alii hirudines non modo hæmorrhoidibus, verum etiam aliarum partium venis appoſitas, quemadmodum ſæpe in pueris, quibus ex eorum ſententia cum merito, ut ſuperius à nobis dictum eſt, miſſio ſanguinis alia via prohibita ſit, ſanguinem hirudinibus alicui venæ appoſitis mittere non diſplicet. Scarificatas cucurbitulas pro ſectione venæ ſubſtituentes: quibus rationibus, atque auctoritatibus moveantur alias à nobis proditum eſt. Quas etiam præſentis occaſionis cauſa itidem repetere non gravabor,

ex

ex quibus hujus propoſiti ratio clarius innoteſcet. Ajunt ſiquidem cucurbitulas, mediis ſcarificationibus adminiſtratas, non ſecus quam venæ ſectio, vel ſaltem proxime, ad venæ ſectionem accedere, ut ſanguinis optatam copiam evacuent, præſertimque ſcapulis applicatas: quas venas ab Avicenna edocti, jecorariæ venæ vicem gerere affirmant: ſanguinis multam copiam evacuari nobis dubium non eſt, atque ab ea etiam totum corpus inaniri, ex quo dubium cui erit, ipſas vicem gerere venarum ſectionis poſſe? certe nemini latet, omnes Arabes clariſſimos medicos huic opinioni fuiſſe addictos, præſertimque Avicennam, qui dixit, cucurbitas cruribus appoſitas minutioni eſſe proximas; & ex Latinis Celſus magni nominis medicus maniſeſtiſſime poſt venam ſectam uſum cucurbitularum celebravit; ex Græcis vero Paulus Simia Galeni appellatus, nuſquam ſcarificationis crurum meminit, vacuationem vero laudare videtur, quæ applicatis cucurbitulis cum ſcarificatione procuratur. Quid igitur? à prædictis rationibus, atque à graviſſimis illis medicis diſſentiemus? GUILAND. Præterea ex Galeno etiam crurum huic ſcarificationi objicientes, per eam fieri poſſe totius corporis perfectam evacuationem, negant: quando non quamlibet humorum redundantiam ea tollat, neque cujuslibet humoris: neque in quolibet habitu fieri debeat, & ut paucis dicam, tantummodo, ubi cum vacuatione ad partes inferas trahendum ſit, utilem iſtam crurum ſcarificationem cenſent. Gal. enim in lib. de hirud. revul. cucurb. de ea agens, inquit: *Corporis partes ſcarificandæ ſunt, quæ phlegmone vel duritie urgentur, quæ vel tenſæ fuerint, vel dolore aliquo affliguntur: quæque fluxionibus vexantur, ubi eæ ipſæ fluxiones deſierint: aut cum acrem materiam ſubeſſe viderimus, ſeu vis aliqua venenoſa extrinſecus illata fuerit: præterea ſi ab altera ad alteram partem deducere materiam volumnus ſicuti ſcarificatis cruribus, affecto capiti medemur: Sique exſuperans materia in corpore minuenda eſt, atque ob id potiſſimum exſuperantia illa oriatur, quod materia ipſa, quæ emitti ſolet, ſupprimatur, ſcarificatione utimur.* Atque in lib. de curan. rat. per ſang. miſſ. Gal. dixit crurum ſcarificationem ſolis albidioribus corporibus, exilioribus venis, atque tenuiori ſan-

Cap. 4.

Cap. 11.

ſanguine præditis conducere, minimeque nigriores latiores venas ac ſanguinem craſſiorem præ ſe ferentibus. Ibidemque non omnem ſanguinem ſcarificationem hanc vacuare, ſed ſolummodo tenuiorem. Hæcque ei ſcarificationi iſti objiciunt. Alpin. Ab Ægyptiis igitur nos diſſentire, atque abſcedere hæc hortantur: Quod tamen faciendum non puto, quando ipſorum veriorem ſententiam putaverim. Neque ipſi carent rationibus, quibus ſcarificationem hanc probe tueantur, atque ab illorum machinis variis oppugnatam defendant. Superius à nobis demonſtratum eſt ſcarificationem hanc majorem ſanguinis copiam vacuare, quam cucurbitulas, neque immerito, cum illa ſanguis calenti aqua dulci educatur, quæ cutem laxat, ſanguinem attenuat, atque attrahit: & cucurbitulæ neque ſanguinem attenuent, neque cutim ac venas relaxent, quinimo magis ex ſanguine educto, in ipſiſque contento ac paulo poſt coagulato, cutim ſtipandi, ſanguiniſque fluxum ſiſtendi non parva occaſio datur. Falſumque etiam hoc eſſe experientia à quoque in utriuſque remedii uſu exercitato, comperitur: quando plurimæ ſanguinis libræ iſthac præſtita ſcarificatione facile, ut volumus, educantur, quod non ita certo de cucurbitulis affirmari poteſt. Divineque hinc Galenum docuiſſe in 2. lib. aphoriſm. pro vacuanda corporum plenitudine, crurum ſcarificationem proximam eſſe venæ ſectioni, vel melius ſanguinis vacuationem illa effectam ſcarificatione proximam ei eſſe, quæ fit per venæ ſectionem, quippe copia, vel quantitate ſanguinis, quæ vacuatur, ſunt admodum ſimiles, ut paulo ſuperius dictum eſt. Qua cauſa Gal. cum Apollonio, Antyllo Oribaſio, ſcarificationem hanc humorum exuperantiam tollere nobis prodidit, cucurbitulaſque non niſi prius toto corpore vacuato; minimeque ante totius vacuationem medicos his uti debere: in lib. enim 13. meth. med. de illa ita ſcripſit: *Cogimur ergo alias ſanguinem mittere, idque aut vena inciſa: aut membris iis, quæ læſa non ſunt, ſcarificatis: manu enim laborante, ſcarificabis crura: altero crurum male habente, reliquum. Has namque vacuationes indicat ipſa copia, ſicuti etiam ſuccorum vitium, redundantis ſucci purgationem.* Atque in 4. de ſanit. tuendo, idem docuiſſe viſus

Cap. 5.

eſt,

eſt, tantundem valere ſcarificationem hanc, ut venæ ſectio. Atque Orib. in lib. 7. hoc identidem meminit. Cucurbitulis Cap. 19. vero Gal. ſcarificatis aliter ſentit in lib. enim de curan. rat. per ſang. miſſ. tradidit, eas non eſſe accerſendas, niſi prius totum corpus probe vacuatum ſit. Quamobrem vero iſtud? niſi quia hæ debitam ac exoptatam ſanguinis copiam, ut ea facit ſcarificatio, non evucuant? Præterea violentia etiam ipſæ ſanguinem attrahunt ab univerſo corpore, ut ſuperius dictum eſt. Quo motu non videntur ſectionem venæ in molienda evacuatione recte imitari, quæ non violentia, ſed paulatim, ſenſimque ac ſenſim fit. Quo ſane modo eam crurum ſcarificationem vacuare ſanguinem dulcis aquæ calentis balnei adjumento, paulo ante à nobis proditum eſt. Sed ad ea, quæ huic illi objiciunt reſpondere conſentaneum eſt, atque ad id, quod in primis afferunt, quippe illam non cujuſcumque humoris, vel ſanguinis exuperantiam tollere poſſe, ſed tantum ſanguinis tenuioris, idque ex Galeno in lib. de curan. rat. ubi dixit, in corporibus Cap. 11. craſſiori ſanguine exuperantibus magis præſtare venæ ſectionem, quam crurum ſcarificationem. At hi, qui ex hoc loco oppugnationem aggreſſi ſunt, non recte videntur Galeni mentem aſſecuti, quando ipſe non negarit, per hanc ſcarificationem non poſſe in mulieribus, quibus menſtruæ purgationes ſuppreſſæ ſint, etiam craſſum ſanguinem vacuari, quod fieri utique poſſe non videtur à ratione remotum, quando calido balneo ſanguis craſſus utique attenuari queat, quod ab Avicenna etiam in lib. 1. proditum eſt. Sed affirmarit in hujuſce ſanguinis redundantia, fen. 4. vacuationem commodius fieri per venæ ſectionem poſſe, quam Cap. 21. per ſcarificationem, atque idcirco illam ſcarificationi præſtare; veluti neque negat ibidem venæ ſectione poſſe utique tenuiorem ſanguinem vacuari, ſed commodius quam per venæ ſectionem ſcarificatione vacuari poſſe; dixit enim: *Porro quæ ex mulieribus albidiores ſunt, ſanguinem acervare tenuem ſolent: quocirca adhibitis malleolorum ſcarificationibus maxime juvantur. At quæ nigriores ſunt, ſecta vena curato:* & paulo poſt: *Carnoſis vero & candidis parvæ inſunt venæ, quibus malleolos ſcarificare quam venam ſecare præſtiterit, quippe cum hæ parvas in cruribus*

*ribus venas habeant: itaque etiamſi probe ſecentur, quod juſtum tamen ſit, non profluat.* Hic enim Gal. ſibi propoſuerat tollendam eſſe ſanguinis plenitudinem, ex ſuppreſſis menſibus in mulieribus ortam, pro qua miſſionem ſanguinis copioſam utilem ſupponens, atque ideo fore moliendam à venis crurum ſolummodo, ut ſimul & ſemel plenitudinem vacuando menſibus naturalem etiam motum reddat: conſiderabat, an ſcarificatis à cruribus, vel a crurum perſectis venis melius eſſet eam moliri, ita ut ea vacuanda ſanguinis copia commodius vel uno, vel altero modo educeretur; proinde in cruribus amplioribus venis refertis, atque in craſſiori ſanguine redundantibus etiam tuto per aliquam crurum ſectam venam, facileque educi poſſe, & in iis, quibus venæ crurum ſunt parvæ, ſanguiſque eſt tenuior, non niſi ſcarificatis cruribus, quoniam & difficillime hæ cum parvæ ſint, ſecari poſſunt, atque ab una etiam exſecta: minime poſtulata ſanguinis copia vacuatur. Idcirco plurimas in cruribus ſcarificandas jure cenſuit. Qua in re interim venam ſectam præfert ſcarificationi, atque interim hanc venæ ſectioni. Neque ex his colligi poteſt, ſcarificationem hanc non poſſe ſanguinem craſſiorem vacuare, quoniam ſurarum venæ non ita parvæ exiſtunt, ut in aliis partibus corporis cernuntur, ſed ea ſcarificatione profundius facta, venarum craſſiores rami ſecantur, calidoque aquæ dulcis balneo craſſities ſanguinis abſque dubio artenuatur, ipſaque fluxilis redditur: & aſſerentibus ſcarificationem hanc non eſſe idoneum inſtrumentum ad vacuandum craſſiorem ſanguinem, è contra dicemus, nos quoque eodem modo ſe habere venam ſectam ad tenuiorem ſanguinem, in exilibus venis contentum ducendum; nam ut dicebat Gal. etiam ab ea recte ſecta ejus juſta copia non diffluet: mirumque hinc non eſt, ſi Galenus in albidioribus, corporibus ſectioni venæ ſcarificationem præferat, atque in nigrioribus, amplioribuſque venis à natura donatis venæ ſectionem. Ex ſuppreſſione vero menſium exortæ plenitudini hanc ſcarificationem maxime conducere certum eſt, ut à viro excellentiſſimo ex multorum ſententia proditum eſt; atque etiam non minus id Galenum in lib. de Hirud. revulſ. ſcarif. nos docuiſſe; ſed quod ob id plenitudinem tan-

tantum, à nuper dicta ſuppreſſione menſtruarum purgationum ipſa tollat, minimeque aliam ab aliis cauſis ortam, falſum plane ex Galeni mente exiſtit: etenim ipſe non abſolute in ſupradicto ejus libro tradidit, hac tolli plenitudinem ex ſuppreſſis purgationibus uteri ortam, ſed plenitudini præcipue conducere, quod ex ejus verbis plane manifeſtum videtur. Neque id injuria, cum hæc ſcarificatio præterquam quod evacuat, etiam revocare interceptos menſes ſoleat: quinimo in lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. ad revocandos menſes præſentaneam eſſe ſcarificationem illam ſtatuit. Verum ſiquidem eſt, hanc præter vacuationem ſanguinis, quam præſtat, etiam ad inferas partes ſanguinem trahere: quod ex Galeni ſupra recitatis verbis plane conſtat; quæ hæc exiſtunt: *Neque enim profecto proroganda in his vacuatio eſt, non tamen neceſſe eſt illis venam ſcindere. Quippe cum malleolorum ſcarificationes ſuperfluitati, quandoque evacuandæ ſatis eſſe queant, quæ & alioqui hoc etiam habent, quod menſium vacuationem ciere poſſunt, ſicuti etiam in malleolis ac poplitibus inciſæ venæ.* Quamobrem ex Galeni ſententia poteſt iſthæc malleolorum ſcarificatio non modo nuper dictam humoris redundantiam tollere, ſed quaſcumque alias, quas venæ ſectionem abigere ſcimus. Quod quidem ex verbis ejuſdem Galeni in 4. lib. de tuenda ſanitate alias etiam recitatis Cap. 4. cognoſcitur; Nam ipſe ſcripſit: *Nam ſi cum ſanguinis copia, aut vena incidenda, aut aliquid, quod tantundem valet, agendum. Sane tantundem poſſunt hæc, quibus humorrhoides ſunt retentæ, ſi has aperueris, ſi mulieri menſtrua conſuetudo ceſſavit: hanc ſi provoces: ſi horum nihil eſt, malleolos ſcalpello incidas.* Quam ſcarificationem plenitudinem quocumque modo obortam tollere poſſe Gal. ut nuper dictum eſt, multis prodidit in locis, quæ jam à nobis antea commonſtrata ſunt, in quibus ait, hanc ad minuendam ſanguinis exuperantiam proxime accedere ad venæ ſectionem; neque ut de cucurbitulis ſæpe ab ipſo dictum eſt, ipſam egere alia vacuatione, vel poſt totius corporis factam evacuationem eſſe adminiſtrandam voluit: ex quibus, quanto in errore verſentur cucurbitulas ſcarificatas venæ ſectionis vicarias facientes, ſatis cuique manifeſtum erit

cum has ſemper poſt vacuationem totius locum habere ipſe in lib. de cur. rat per ſang. miſſ. aperte prodiderit. Guiland. Ita probe adverſus ſcarificationis calumniatores rationibus te erexiſti, ut non difficile ſit, me in tuam veniſſe ſententiam. Hoc tamen verum eſt, perpetuo hujus ſcarificationis proprium eſſe, ſimul vacuando ad crura etiam attrahere, quod certe ab ea ſeparari non poteſt; nequit enim hæc ſcarificatio ſanguinem vacuare, & ad inferas partes è ſupernis exinde evocatum etiam non attrahere; non ſemper vero illa attractione eſt opus, atque, ut paucis rem nunc colligam, malleolorum hanc appellatam ſcarificationem evacuans eſt, revulſorium, atque etiam ſimplex revulſorium, ubi ſcilicet non multis eâ ſanguis vacuatur; vacuatorium atque revulſorium ſimul, ubi plurimus. Alpin. Verum prædicas, ſed quid, quæſo, mali eſt, ſcarificatione hac evacuando, etiam à nobilioribus partibus ad ignobiliores humorem avellere, præſertimque in febribus putridis, malignis, peſtilentibus, in quibus plerumque ſuperiora membra noxiis ſuccis infeſtantur, caputque potiſſimum, vigiliis aſſiduis, diuturnis ſomnis, deliriis, & doloribus, quibus quanti adjumenti auxilium futurum ſit, quod plenitudinem vacuando ſimul ad crura partes ignobiles etiam attrahat veneficos ſuccos, aliis judicandum libenter relinquo? Quinimo tantæ eſſe in his morbis tollendis, utilitatis judico, ut omnium ad præſtandum celeberrimum ſit remedium, quando ipſum cum evacuet exuperantiam humorum, tum à ſupernis nobilibuſque partibus ad infernas ignobileſque noxios humore attrahat. Hinc admirari Oribaſium tantum medicum non debemus, qui ex ſeipſo ea adhibita ſcarificatione, ut à peſte, qua vexabatur, periculum evitaret, ſanguinis vacuationem pertentaſſe, hocque auxilio multos alios è peſte vexatos liberaſſe, cum illo plenitudinem dempſiſſet atque ad crura veneficum humorem attrahendo ſine corporis multa commotione, viſcera ac infeſtatione humoris liberaret. Rectiſſimeque hac ratione arbitror tunc Ægyptios ſe gerere, qui ad eorum, qui peſte infecti ſunt curationem, à ſcarificatis cruribus plurimum ſanguinem mittere conſueverint. Sed tempus eſt, ut priuſquam ad alia tranſeamus, in hac ſcarri-

rificatione conſtituenda, modum prius obſervemus, quo crura Ægyptii ſcarificant, atque quomodo ſanguinem demunt. Quod nihil aliud erit, quam modum ab iis crura ſcarificandi diſcere. GUILAND. Probe: idque ut facias, tempus ipſum ſuadet.

## CAP. VIII.

### *Quomodo Ægyptii crurum ſcarificationem exerceant, atque adminiſtrent.*

### ALPINIS.

ÆGyptii à cruribus ſcarificatis ſanguinem mittere volentes, in primis ſuras multum perfricant, paululumque retractant, & mox in vas aqua dulci calida plenum collocant, eaſque multum ac ſæpius calenti ea aqua irrorantes, manibus, atque arundine modice percutiunt, quas perfricatas pertractataſque, ac ita verberatas, calidaque aqua incalefactas ſub poplite arcte zonula coriacea ligant, atque à ligatura etiam calida aqua ſæpe eas calefacientes, manibuſque ac arundinis fruſtro rurſum ſæpe ac valide totam ſuram verberantes, eam tandem ſummo rubore afficiunt, quo valde adaucto, partem non parum exinde obſtupefaciunt, ne ex ſcarificationibus ægroti prævalidum dolorem tunc ſentiant. Alterius cruris itaque primo ſuram rubore multo ſuffuſam ac affectam, non minuſque cum magnitudinem adeptam, tum fere obſtupefactam uſque ad medietatem à malleolo incipiendo ſummam uſque eminentiam, vel craſſitiem multis longis ac profundis inciſionibus, æqualibus interſtitiis ordinatim per muſculorum longitudinem non κατὰ πληγὴν, id eſt, per percuſſiones, ſed κατὰ συρμὸν, id eſt, per tractum cultro factis, ſcarificant. ab illiſque ſcarificationibus ſinunt ſanguinem exire aquæ calentis, qua creberrime ſuræ irrorantur, & aſperguntur, adjumento; cum vero voluerint ſcarificare ſuram, inferne trahentes, valide diſtendunt, ut cutis commodius ſcarificari queat, aliquando etiam difficulter ac in modica quantitate manantem ſanguinem adjuvant manibus, arun-

dineque ſæpe eas verberantes, ſanguiniſque copiam metiuntur expenduntve, obſervata ſcilicet aquæ cruentatæ copia, ut noſtri etiam in ſectionibus venarum pedis facere ſolent, vel accuratius æqualibus temporis intervallis dorſo cultri egreſſum, atque concretum ſanguinem abſtergentes à ſura ſcarificata: itaque ſingulis vicibus abſtergere unciam ſanguinis obſervant. Qua quidem ratione copiam educti ſanguinis rectiſſime ipſi conjiciunt. Interea alii ambas ſuras ſcarificant, atque ab iis ſanguinem mittunt, & alii ex uno tantum crure, ubi partem quampiam particularem reſpiciunt, ubi vero ſimpliciter pro facienda ſanguinis vacuatione, abſque alicujus viſceris læſi, revellendi cauſa, reſpectu, ſemper ex utroque crure ſcarificato ſanguinis vacuationem comparant, ubi vero vel ex jecore, vel ex alia parte inflammata, aut, quopiam dolore cruciata, vacuando ſimul revellere volunt, ab uno crure ſolum ſanguinem ducere ſtudent. Numerus vero ſcarificationum, atque magnitudo apud varios medicos varia etiam conſtituitur: ſiquidem alii uſque quadragenas faciunt, alii viginti, alii plures aliique pauciores. Plerique vero in viris ætatem perfectam agentibus circiter triginta infligunt, atque in pueris circiter viginti. Qui plures faciunt, eas minores, & qui paucas, majores infligere ſolent: ſunt vero qui in peſte infligunt tres, aut ad ſummum quinque in ſuris non dicam ſcarificationes, ſed magna vulnera, quæ ſaltem quatuor digitorum latitudine per ſuram extenduntur, eamque ab evacuata ſanguinis deſiderata copia, apertam, uſque dum à febribus immunes evaſerint, adverſant, illiſque quotidie medicamentis attrahentibus medentes, ſuccos veneficos exinde vacuare conantur. Auxilium in iis morbis ſummæ efficaciæ, ſed admodum barbarum exceptum eſt. Incipiunt vero ſcarificationem ab inferiori parte, ubi tendones muſculorum deſierint, quippe in principio malleoli ſe extendentes, uſque ad cruris majorem craſſitiem, quæ paulo ſupra ſurarum medietatem terminat. Inciſioneſque, ut etiam dixi, ordinatas, æqualibus ſpatiis interſtinctas, atque cultri tractu, ſuræ infligunt. Hicque eſt modus, quo crurum ſurarum ſcarificationem Ægyptii moliuntur. GUILAND.

LAND. Habeo tibi multam gratiam, qui ita clare me modum, quo crura Ægyptii ad miſſionem ſanguinis ſcarificant, edocueris: is autem non videtur diverſus ab eo, quo priſci medici olim utebantur. Quod ex Antyllo facile conjici poteſt (qui ita referente Oribaſio, de hac ſcarificatione olim ſcribebat;) *Et ſane pars, quæ ſcarificari debet, prius, ſi fieri poteſt, lavanda eſt: ſin minus, aqua tepida, quouſque rubefiat, eſt perfundenda, aut ſpongiis fovenda, aut ſoli ignive exponenda, ac poſtea ſcarificanda:* & paulo poſt: *Magnitudine porro inter ſeſe ſint æquales inciſiones, & quæ inter eas ſunt intervalla, inter ſeſe æqualia ſint: Scarificationiſque initium ab infernis partibus ſumatur: ita enim ſanguis ad ſuperficiarias partes decurrens, eam, quæ ſcarificari deinceps debebit, non obſcurabit. Inciſionum ſitu per æquales inter ſe ordines fiat. Sarificatio autem non* κατὰ πληγὴν, *id eſt, per percuſſiones, ſed* κατὰ συρμὸν, *id eſt, per tractum eſt facienda: hoc enim pacto citra dolorem fiet.* Numerum, magnitudinem, ſcarificationum, atque ligaturam, ut quod cuique ſuis temporibus ſit notiſſimum, omiſerunt: de vapulatione vero vel percuſſione ſuræ ſcarificandæ, quæ apud illos populos arundine fit, quod & apud Hiſpanos pro hac facienda ſcarificatione ad unguem obſervari Amatus Luſitanus in ſuis Centuriis tradidit, nihil meminerunt, quam cum ad trahendum ſanguinem, tum ad ſtuporem parti ſcarificandæ obducendum, inventam Ægyptios fateri audio: de magnitudine vero illarum ſcarificationum quod ex te relatum eſt veriſſimum judico: quippe eas eſſe longas, ac profundas, longas quidem digiti craſſitie, & profundas uſque quo etiam carnem attingant, ac feriant: parvæ enim, quæ communiter apud pleroſque medicorum in epidermidem vel ad ſummam cutem, quam nec perforant, quidem, perveniunt, pauciſſimam evacuationem præſtant. Quod ex Galeno confirmari videtur, in lib. 2. ad Glauc. ita ſcribente: Cap. 7. *Tentavi autem ſæpius plurimas, & valde tenues in ſuperficie ſcarificationes: contrario autem his modo alias profundiores magnas: & tertias, quæ medium tenebant in longitudine, ac profunditate. Quæ igitur in ſuperficie fiebant, debile auxilium afferebant; quæ vero longæ erant, ac profundæ, plurimum quidem ſanguinis exhauriebant,*

 *bant,*

*bant, adeo, ut fere animi defectum afferrent: Rurſus vero ipſæ propriam curationem veluti vulnera exigebant.* Hincque mirari non debemus, ſi illi medici cruribus eo modo ſcarificatis quantum volunt ſanguinis detrahunt, cum ipſi longis, ac profundis utantur ſcarificationibus. Alpin. Longas ac profundas crurum eſſe ſcarificationes, quas ipſis pro vacuatione infligere ſolent, veriſſimum eſt. Vacuato ſanguine, atque recte cruribus abſterſis, manuum volis oleo ſeſamino, vel ſebo inunctis per longum, valide ſupra ſcarificationes inferne manum trahendo comprimunt, ut vulnerum labra probe uniantur, mox goſſypio undique aptato, arcte linea faſcia totum ſcarificatum crus ligant, indeque poſt tres dies ligaturam ſolvunt, omniaque abigunt. Guiland. Inſigni dolore dum ſcarificantur homines affligi debent, cum hæc ſcarificatio non niſi multis ac profundis inciſionibus conficiatur. Durum atque perdifficillimum erit, hic ob doloris timorem iſtud auxilium in uſum revocari. Alpin. Suras, dum eæ ſcarrificantur, dolere dubium non eſt, ſed prævalido dolore, ut putas, atrociter vexari nequaquam verum eſt. Nam dolor multus eſſe non poteſt, tum, ut dixerat Antyllus, quia ſcarrificatio tractu fit, tum maxime quod priuſquam crura ſcarificentur, & aquæ calidæ perfuſionibus, & crebris factis in illam vapulationibus, ac arundine percuſſionibus, ſtupeſcit, ſenſuque illo inſigni deſtituitur. Teſtes multi mihi eſſe poterunt, multos pueros, quibus ſanguinem eo modo vacuare curavimus, dum ſcarificarentur, ullos vel parvos ploratus edidiſſe. Hoc unum priuſquam hinc abeam, monere volui, quippe crura ſcarificata arctiſſime, ac omni ſedulitate devincienda eſſe, ut inciſiones ſtatim rectè coaleſcant, & ſanentur. Aliter enim ni ſumma digilgentia ſimul unientur factæ ſcarificationes, periculum eſſet, ne ægrotus, cui per hunc modum miſſus fuerit ſanguis, citius à morbo ſanetur, quam eæ ſcarificationes coaleſcant, atque priſtinæ unioni reſtituantur.





## CAP. IX.

### *In quibus morbis uſus crurum ſcarificationis, apud Ægyptios frequentetur, atque in quibus corporibus.*

### GUILANDINUS.

ÆGYPTIOS ad hanc ſcarificationem pro tollenda ſanguinis plenitudine, veluti ad ſacrum quoddam auxilium recurrere ex te audio, præſertimque in ægrotis pueris, eunuchis, atque in aliis pinguioribus hominibus. Præcipuos vero morbos, qui illa vacuatione juvantur, te mihi referri cupio, expectoque nunc, ut de his loquaris. ALPIN. In omnibus febribus putridis in principiis uberiorem ſanguinem hac via demunt. In puerisque nullum remedium apud eos eſt, eo uſitatius, atque magis expertum, ut paulo poſt dicam, Hujus itaque præſidii uſus frequentiſſimus eſt, ad omnes putridas febres, quibus ſanguinis per venam ſectam conveniſſet evacuatio, quandoquidem vires præ debilitate minime patiuntur, potiſſimumque in continuis, acutis, malignis, atque peſtiferis. Hoc enim auxilium parum vires labefactando maximam ægrotis adfert utilitatem, quoniam ſimul evacuando, plenitudinem à nobilibus partibus, ad ignobiles noxos humores avellit, caputque ex hac ſcarrificatione maxime juvatur, ita, ut non facile ſit vel vehementes, aſſiduoſque dolores, vel diuturnas vigilias, vel deliria, vel phrenitides, vel in alia ſymptomata ab hujuſmodi vacuatione ipſum incidere, neque eo modo vacuatis, ita facile hypochondria tenduntur ac inflammantur, neque ita ſunt obnoxii inquietudinibus, cordiſque angoribus, reſpirandi difficultatibus, aliiſque viſcerum læſionibus, quæ in febribus acutis, malignis, peſtiferiſque. Mirifice igitur in his febribus id auxilii prodeſt, quando liberet internas partes, noxios ſuccos ad crura trahendo. Quid quæris? noxium humorum à nobilibus partibus, ad ignobiles protrudere, motus eſt ſimilis ei, quem ſæpe naturam critice

tice facere obſervamus, dum à viſceribus detrudit humores ad partes ignobiles; perpetuo etenim ipſa non poteſt humores vel conſumere reſolvendo per halitus, vel foras rejicere: interim ſat ei eſt, humorem à viſceribus ad quaſdam ignobiles partes detrudere, veluti iis contingit, quibus poſt longas febres tumores in cute fiunt. In omnibus verò internis inflammationibus frequentiſſima ac tutiſſima iſthæc ſcarificatio eſt. Certis anni temporibus puerorum multitudo epidemice glandularum fauciumque inflammationibus vexatur: pro quo expellendo malo in omnibus pueris, infantibuſque etiam iſtud auxilii genus exercent: etſi infantibus multi hujus vice aures, ut ſuperius dictum eſt, ſcarificent. In peſte ad hanc ſanguinis vacuationem tanquam ad ſacrum, & divinum auxilium confugiunt, neque immerito, cum, ut nuperrime dictum eſt, hac ſcarificatione tum plenitudo minuatur, tum ad ignobiles partes à nobilibus noxii humores attrahantur. Quare quid dicam, de frequentiſſimo uſu hujus ſcarificationis, quæ tribus vel ad ſummum quinque ſcarificationibus, longis tamen ac profundis, ſpeciem vulnerum præ ſe ferentibus in peſte adminiſtratur, quæque non ſolum in principio copiam ſanguinis tollit, ſed toto morbi tempore, cum hæ aperta reſerventur, perpetuo noxios ſuccos ad eam partem accerſit, atque vacuat, quod in curanda peſte nihil utilius, deſiderabiliuſque eſſe putarim? Guiland. Remedium præ dolore barbarum, atque fortaſſe hinc abhorrendum; neque injuriâ, tamem in peſte ipſum laudandum cenſeo, quando ipſo venenum à viſceribus evocetur ad ignobiles partes, atque per eas perpetuo evacuetur. Quemadmodum illi, qui in péſte, peſtiferiſque febribus, veſicantibus uti conſueſcunt, ut excrementa per eas partes ulceratas effluant, ita non eſſe improbanda illarum ſcarificationum vel melius vulnerum evacuatio. Sed perge dicere in quibus corporibus utantur hac crurum ſcarificatione. Alpin. Uſum hujuſce ſcarificationis evariant corporum ætas, ſexus, habitus, atque temperies. Ætas enim huic auxilio accommodata eſt infantia, pueritia, juventus, atque ætas ſenilis. Infantes vix annum nati ad hoc auxilium ab iis admittuntur: uſque adeo pueris familiaris eſt, crurum ſcarifica-

catio, ut mulieres, pueros à ploratu firmare volentes, eos deterreant, dicentes ſe velle accerſire ſcarificatorem, quem illi Mezaim appellant. Quo audito pueri ſubito ſilent. Eo autem auxilio medici non niſi in pueris magno morbo correptis uti deberent, quia eorum præmollia, humida, ac ſumme calida corpora non ſunt ita temere vacuanda, quando ipſa ſuapte natura ſive ex ſe continuè vacuentur. Quæ noxam etſi non cito, tamen poſt longum tempus ſentiunt. Hinc pleroſque illiuſce gentis crura ac pedes habere imbecillos exiſtimo, in pleriſque enim crura edematoſa, ac male affecta ſpectantur: non immerito, cum Ægyptii ex quacumque cauſa, minimeque ſemper ex magnorum morborum occaſione in pueris per hanc conſuetam ſcarificationem largius ſanguinem mittere conſueſcant. In juvenibus etiam atque ſenibus ſcarificationem hanc exercere cernuntur: jure id quidem, cum in illis corporibus ob redundantiam ſanguinis tenuiores, atque ob virium debilitatem ex Gal. hic modus evacuationis ſit opportuniſſimus: in lib. Cap. 11. enim de cur. rat. per ſang. miſſ. ait corporibus tenuiori ſanguine redundantibus magis præſtare hanc ſcarificationem, quam ſectionem venæ, quæ tenuioris ſanguinis redundantia, tum in pueris juvenibus, tum ſenibus obſervatur, etſi horum ſanguis frigidior ſit, atque illorum calidior. In his etiam ſingulis ætatibus virium lapſus pertimeſcitur, in pueris, & juvenibus ex multa, quæ in iis ſponte fit, vacuatione, cum Gal. in lib. 9. Cap. 7. meth. med. docente, eorum corporum ſubſtantia omnium facillime digeratur, atque reſolvatur, quæ eſt omnium humidiſſima. In ſenibus vero vires per ſe imbecillas eſſe nemo ignorat. Quamobrem in ipſis merito ſcarificatione hac potius quam venæ ſectione utuntur, qua corpora admodum reſolvi, & debilitari Gal. in lib. de hirud. revulſ. teſtatum reliquit. Promptam etiam habent hanc ſcarificationem in variis temperamentis, in calidis ſcilicet, atque humidis, in frigidis & humidis. In ſiccis vero eam abhorrent. Eodem modo pro ea ſeligunt corpora pinguia, mollia & laxa, mulier eſque atque eunuchos exinde ea ſcarificatione vacuare ſolent. GUILAND. Recte ſane; cum omnia hæc corpora ſanguine tenuiori ſcateant,

teant, qui facillime, ut docebat Galen. paulo ſupra citato loco, hujuſmodi ſcarificatione vacuatur quoniam ea corpora minimas venas habent, quas etiamſi quis recte ſecet, Galeno docente, juſta ſanguinis copia non profluit. Itaque calidi & humidi, & frigidi ac humidi recte ea via vacuantur, atque quam per venæ ſectionem magis tuto, quando utraque corpora ſanguine tenuiori exuperent, qui facile per ſcarificationem vacuatur: iis adduntur pingues ac molles, ut eunuchi, atque mulieres multæ, quæ omnia ſanguine tenuiori prædita ſunt. Calida vero & humida, molliaque corpora facile ex quacumque vacuatione reſolvuntur, eaque cauſa non tolerant per venæ ſectionem præſtitam evacuationem, quoniam nimium ab ea debilitantur, ob idque recte Ægyptios ſe gerere arbitror in his corporibus, dum uſum ſcarificationis venæ ſectioni præponunt: frigida vero & humida, qualia ſunt mulierum multarum, eunuchorum, & ſenum ſi vacuando ſunt, non nisi hac via, ne immodice refrigerentur, docuit Gal. In lib. de hirud. venæ ſectione corpora multum reſrigerari. In ſiccis vero vel calidis vel frigidis, quando utraque craſſiori ſanguine abundare ſolent, idcirco per ſcarificationem non recte vacuabuntur, ut dicebat Gal. his verbis: *Porro quæ ex mulieribus albidiores ſunt, ſanguinem acervare tenuem ſolent, quocirca adhibitis malleolorum ſcarificationibus maxime juvantur, at quæ nigriores ſunt, ſecta vena curato. Craſſiorem enim ſanguinem ac magis melancholicum colligunt, magis vero etiam ſi magnas habere venas appareant, quod illis accidit, quæ graciliores ſunt ac nigriores. Carnoſis vero & candidis parvæ inſunt venæ, quibus malleolos ſcarificare, quam venam ſecare præſtiterit.* Sed his finem nunc imponamus, cum de ipſis ſatis ſuperque dictum à nobis fuerit. Verum unum habeo in hac ſcarificatione apud me valde dubium, de parte ſcilicet ex Galeni mente ſcarificanda, deque ea quam hujuſce temporis medici Ægyptii pro miſſione ſanguinis ſcarificant.

In lib. de cur. rat. per ſang. c. 11.

ALPIN. Neſcio quid in ipſa amplius dubii habere poſſis, cum in ea, tum juxta Ægyptiorum uſum, tum Galeni ſententiam literis proditam manifeſtiſſimum videatur, ſuras eſſe ſcarificandas. Sed ne tibi grave ſit, hoc dubium clarius proferre, ut ſolutionem meditari poſſimus, cui nobis ſit acquieſcendum.

CAP.

## CAP. X.

### *An crurum ſcarificatio in ſura, ut Ægyptii faciunt, vel potius in malleolo, ut Gal. docuit, ſit facienda.*

## GUILANDINUS.

Quinimo ex Galeno hæc dubii occaſio ortum habere videtur, quando ipſe crurum ſcarificationem particulatim dicat, malleolorum, eſſe, ſive in malleolis fieri. Et Ægytii in ſura parte cruris carnoſiori, Gaſtrocnœmia Græcis, ut Ruffus Epheſius tradidit, appellata, eam moliantur. Ex quibus illam crurum à Galeno celebratam ſcarificationem, ab ea, quam medici illi frequentant, plane diverſam eſſe non immerito à multis videri poteſt. Quando ſura atque malleolus pars eadem cruris non ſit: ſura etenim, quamquam etiam de oſſe dicatur, cruris, poſteriore, eſt venter cruris ſive carnoſa pars inter poplitem atque malleolum media: malleolus vero, ut Gal. habet in lib. de ſect. venarum, eſt imus proceſſus tibiarum, à talo incipiens in ſuramque deſinens. Cruriſque hæ partes exiſtunt, quarum ex ſitu, atque diviſione facile ſuræ atque malleoli differentia manifeſta eſt. Ex Galeno cruris ſcarificationem in malleolo faciendam eſſe probe ex ipſius verbis, variis multiſque in locis manifeſtum fit. In lib. etenim 2. Aphoriſm. dixit venæ ſectionem præſtitæ vacuationi proximam eſſe, quæ fit per malleolorum ſcarificationem: idemque in lib. de curandi rat. per ſang. miſſ. & in 4. de ſanit. tuenda teſtatum reliquit. Quare hinc jure dubitare poſſumus crurum ab Ægyptiis frequentatam ſcarificationem, non eſſe illam, qua antiqui præclariſſimi illi medici utebantur. Neque aliquis in malam Galeni verborum verſionem cauſam referre poterit, cum ipſe partem cruris ſcarificandam nomine hoc quippe σφύρα ſignicaverit. Quod ex Græca lectione commentarii lib. 2. Aph. qui omnium locorum præcipuus eſt, patebit; ibi etenim hunc in

Cap. 8. Aph. 17. Cap. 18. Cap. 11. Cap. 4.

in modum ſcripſit: *κένωσις δ' ὁμοτίμως ἀπάντων τῶν χυμῶν ἡ μὲν ἀκριβεστάτη διὰ φλεβοτομίας ἐστὶν, ἐγγὺς δ' αὐτῆς ἥτε ἀπὸ σχαζομένων τῶν σφυρῶν ὥσπερ ἡμῖν εἴθισται.* Per *σφύρα* autem omnem intelligunt imum tibiarum proceſſum: quam partem Latini malleolum vocavere. Alpin. Docta ſane ac diligens dubitatio videtur, non tamen quæ poſſit, aut debeat aliquo pacto uſum ſcarificationis apud Ægyptios uſitatæ dirimere, vel damnare. Quod ſane ſi etiam eſſet, ego potius cum Galeno errare vellem, quam cum Ægyptiis ſi alia cruris in parte à ſura
Ahh. 17. diverſa, ſcarificationem faciendam intelligerem. Ille enim in comm. 2. lib. Aphoriſ. ait vacuationem malleolorum ſcarificatione factam proximam ei eſſe, quæ fit per venæ ſectionem: & in 4. de ſanit. tuen. hanc in vacuanda plenitudine tantundem
Cap. 4. valere, ut venæ ſectio: Atque in libro de curat. per ſang. miſſ.
Cap. 11. eandem pro venæ ſectione ad minuendam plenitudinem in mu-
Cap. 19. lierum corporibus adbidioribus laudat. Quæ res quo pacto vera erit, ſi malleoli ſcarificabuntur? cum ab iis ſanguinis pauciſſima quantitas educi poſſit, etiamſi profundius inciſiones infligerentur, cum ea pars excarnis, atque exanguis ſit, nervis ac tendonibus tantum referta, ex quo illiuſce partis ſcarificatio cum ſumme doloroſa erit tum periculo ſcarificata minime carebit. Quamobrem hujuſce partis ſcarificatio ad revellendum præſtans erit remedium; ad evacuationem vero nequaquam, cum ex ea pauciſſimus ſanguis mitti, vel educi poſſit. Quo pacto igitur vacuationi per venæ ſectionem abſolutæ, qua copioſus ſanguis promanare poteſt, proxima erit? Dixit evacuationum omnium eam eſſe exquiſitiſſimam, quæ fit per venæ ſectionem, huicque proximam eſſe, quæ per malleolorum operatur, ſcarificationem, quomodo autem erit proxima, ſi illâ ſanguis pauciſſimus promanat, & vacuatio omnis quantitatem ſanguinis reſpicit, veluti purgatio qualitatem? Nullo profecto pacto eſſe poterit proxima, cum non habeat, quod in vacuatione obſervatur ſcilicet copiam ſanguinis, quæ vacuatur cum vena ſecta copioſiſſima, atque malleolo ſcarificato pauciſſima, Certe nullo pacto verum eſſe poteſt, Galenum per malleolum intellexiſſe extremam cruris partem oſſibus, tendoni-

nibus, nerviſque tantum refertam, omninoque excarnem. Namque ejus mentem fuiſſe arbitror, vacuationem ex cruribus faciendam, poſtquam meminit, ipſum velle medicos debere partem cruris ad vacuationem aptam ſeligere, ex qua queant deſideratam copiam ſanguinis educere, quæ utique neque poples, neque malleolus erit. cum hæ partes tendinoſæ ac fere exangues ſint, & ad ſcarificandum ridiculoſæ: neceſſario igitur erit aſſerere ipſum ſuram, ſive ventrem cruris, carnoſam, ac multis venis repletam, intellexiſſe. Quod veriſimile videtur, cum pleriſque in locis à cruribus ſcarificatis fore moliendam ſanguinis vacuationem docuerit: neque immerito, cum crus ex triplici parte conſtet, ſcilicet, poplite, ſura, & malleolo, non extremis, ſed potius medio ſignificetur: nam ſi cuipiam crus oſtendere voluerimus, non poplitem, vel malleolum, quæ ſunt ejus extrema ei detegemus, ſed magis ſuram. Crura vero fore ſcarificanda pro molienda univerſi corporis vacuatione, ex Galeni locis pleriſque conſtare facile hinc cognoſcemus. Is ſiquidem in lib. 13. meth. ait: *Manu enim laborante ſcarificabis crura.* Et in lib. de Hirudinibus: *Quemadmodum ſanguinis perfuſionibus ſuppreſſis (quas hæmorrhoidas Græci vocant) crura ipſa lota quidem prius, vel ſpongia calido fomento adhibito ſcarificantur*: & paulo poſt: *à cruribus utpote ſanguis ducendus*: in pluribus etiam aliis locis licet legere apud ipſum crurum ſcarificationem. Cui ſententiæ addicti quoque viſi ſunt, Antyllus, Oribaſius, qui omnes crurum ſcarificationem nominarunt. Apollonius vero rem apertius ſignificaſſe videtur, cum hæc ſcripſerit: *Plethoram autem commoderatam, quæ aliquid malefactura ſit, ac jam everſionem in morboſum ſtatum attingat, tibia, ſcarificationibus vexata, innoxiamque totam quam volumus ſanguinis illigationem reddiderit, citra validam totius molis commotionem, ſolvit.* GUILAND. Tuæ ſententiæ me quoque addictum habes: ſed cur aliquando Gal· partem ſcarificandam particulatim edocens, dixerit, eſſe malleolum? ut ex Græco etiam nomine σφυρά plane cognitum eſt. ALPIN. Aliqui ex Ægyptiis reſpondent, Galenum ſcarificandam partem vocaſſe malleolum, quoniam ea pars, quam noſtri ſuram appellant, proprio no-

Cap. 5. capit. de ſcarificatione.

Cap. 19.

nomine uſitato carebat, licet aliqui eam appellarint γαστροκνημίαν, apud omnes tamen illud nomen non erat uſitatum vel cognitum; ob idque nomine malleoli, quæ eſt ſcarificandæ parti pars proximior, partem ſcarificationibus, vexandam indicavit. Suræ vero nomen ei non proprie convenire ajunt, cum proprie illo nomine os cruris poſterius, & non muſculum illum ventrem etiam à quibuſdam cruris nuncupatum. Alii vero melius reſpondere putantes, ſcindunt, vel dividunt crus in tres partes, ſcilicet in malleolum, ſuram, & poplitem. Malleolumque cruris partem eſſe ajunt à pede incipientem, quæ ad cruris partem craſſiorem, carnoſioremque, elevatioremve deſinit. Suramque eſſe craſſiorem partem cruris, atque ab ipſa declinare incipiente poplitem accedere, qui ad genu uſque terminatur. Ex qua diviſione clariſſime apparet, Ægyptios malleolum, & non ſuram ſcarificare, non craſſiorem, atque elevatiorem, ſed quam eâ minus eſſe craſſam, & carnoſam ſuperius dictum ſit. Incipiunt enim ſcarificationem parum ſupra claviculam, fere ad cruris elevatiorem craſſioremque partem eam continuantes. Quare juxta iſtorum ſententiam vere malleolum ſcarificant, minimeque ſuram, vel partem malleoli, & ſuræ. Qui vero hanc cruris diviſionem minime laudant, ſaltem fateri debent, Galenum vocaſſe malleolum, quoniam vult ſuræ tantum medietatem malleolo contiguam ſcarificari, ad differentiam illius, quæ ad poplitem pervenit; vel demum vocavit malleolum, quoniam ſcarificationem deorſum incipientes, ab ipſo malleolo omnes illam exordiuntur. Guiland. Rem hanc perdocte, atque diligenter hactenus es perſecutus, atque ita, ut hinc dubitare amplius de cruris parte ſcarificanda non liceat. Sed tempus eſt, ut ad alios uſus ſcarificationis narrandos te transferas, ut quæ ſuperſunt de hac materia dicenda, hac die abſolvere poſſimus.

Cap.


Poples.
Sura.
Malleolus.

## CAP. XI.

### *De ſcarificatione partium, inflammatione, tumore; puſtula, calore non naturali, inſigni dolore, vexatarum apud Ægyptios frequentata.*

### GUILANDINUS.

AN non illi alias partes pro aliis uſibus ſcarificant, quando priſci medici eam ad multa alia ſcarificationem commendarint? ALPIN. Itidem & ipſi pluribus aliis affectibus cutem vexatam ſcarificare ſolent. In vehementiſſimis enim doloribus potiſſimum vel ex copia, vel venefica qualitate ſenſibiles partes lædente in fluxione paululum firmata, præmiſſa univerſali, tum purgatione, tum vacuatione, partes dolore afflictas, vel proximas illis alte ſcarificant, multumque ſanguinis emanare ſinunt. In ſingulis enim inflammationibus diu perſeverantibus ſolent, partem inflammatam alte ſcarificare, veluti in pleuritide latus dolens, atque in peripneumonia pectus, dextrumque hypochondrium jecore inflammationem patiente, atque liene ſiniſtrum, atque ſic de aliis inflammatis partibus facere ſolent, præſertimque in magnis eryſipelatis, vel aliqua alia inflammata parte, ubi pertimetur, ne in gangrænam degeneret, vel in ſcirrhum abeat. In uſu frequentiſſimo habent in podagricis doloribus ex ſanguinis defluxu obortis poſt univerſalem vacuationem, tumefactos digtos dolentes ſcarificare: ea enim ſcarificatione modico deflexu ſanguinis vacuato, mirifice eis conducit. Eodem itidem modo, tum in tumoribus, tum in ulceribus ad citatricem non venientibus, ſcarificatione utuntur. Ad omnes etiam cutis defœdationes, maculas, puſtulaſque, idem præſtare ſolent, Non minuſque etiam partem à ſcorpione ſauciatam, vel ab aliqua alia fere demorſam alte ſcarificant, multumque eo modo ſanguinis ab ea parte detrahunt. Ad hæc igitur Ægyptios etiam partis ſcarificatione uti obſervavi; quem uſum plane à noſtris laudatum etiam intelligo. Sed te

de

de ipſo aliquid loqui decet, ut ſciamus, an ille ſcarificandi afflictas partes uſus ex artis ratione laudari queat. Guiland. Cur non hic uſus etiam ſcarificationis laudandus erit, quando reſpiciat partis moliendam vacuationem? Cui etenim dubium eſt, in omnibus vel inflammationibus, vel fluxionibus humorum ex plenitudine obortis, binas indicare vacuationes, alteram totius, univerſalem appellatam, atque alteram partis, in quam humor decubuit? Qua vacuationis diſtinctione in his affectionibus, quemadmodum in primis neceſſaria eſt totius corporis univerſalis vacuatio, ſic poſtea inflammatæ partis particularis: illa enim cauſam reſpicit abigendam, atque hæc affectum ipſum. Noſtri vero medici multi hunc uſum, partis ſcilicet inflammatæ ſcarificandi tuto frequentari poſſe negant, eo majorem defluxi ſanguinis copiam in partem affectam ferri aſſerentes, ex quo non poſſe juvari ægrotos autumant. Quod tamen vanum eſſe exiſtimo, corpore prius probe vacuato. Quinimo in iis etiam cucurbitularum uſum Galenum laudaſſe certum eſt, quibus facilius ex prævalida, quam præſtant, attractione, ad læſam partem humorem copioſiorem deduci poſſe, atque exinde inflammationem, vel fluxionem peraugeri ſuſpicandum eſſet. Sed de ſcarificationibus ſatis, Ad uſumque variarum partium inuſtionis, quam maxime eam gentem affectare audio, tranſeundum eſt. Quam te ſedulo apud illos obſervaſſe, certo ſcio: de ipſo igitur cupio modo te ſermonem facere, vel ipſum uſum probe, ut reliqua feciſti narrare, quem mihi non minus utilem, quam reliqua ex te audita fore ſpero.

Lib. 13. meth. Cap. 17.

Cap.

## CAP. XII.

### *De variis partium inuſtionibus, quæ ſelectiſſima ſecreta ad varios curandos morbos apud Ægyptios habentur.*

### GUILANDINUS.

AUDIO igitur apud eos populos variarum partium inuſtionem, non ſecus quam olim apud antiquos medicos in uſu fuerat, adhiberi tanquam præſtantiſſimum auxilium ad multos morbos ſanandos: quod remedii genus, veluti priſcis ſeculis notiſſimum ac uſitatiſſimum ſemper fuit, ita nunc apud noſtros fere omnino obſolevit, atque non ſine aliquo artis medicæ dedecore, ac etiam non levi ægrotantium jactura, cum hoc præſidio multis ægrotis deſperata ſanitas miraculo quaſi reſtituta fuerit. De hoc igitur præſidio aliqua ex uſu Ægyptiorum nunc ex te ſcire deſidero. ALPIN. Homines ibi quaſi infinitos licet ſpectare, quibus ex cicatricibus multas partes inuſtas fuiſſe certo conjicitur. Siquidem permultis capitis partes, præſertimque ſinciput, occiput, aliaſque pericranei, non minus tempora, poſt aures, collum, pectus, latera, hypochondria ſub umbilicum, ſpinam dorſi, articuloſque brachiorum, vel manuum, vel crurum, vel pedum inuſtos fuiſſe, ignis relictæ cicatrices facile, ac certo ſignificant. Et, ut uno verbo dicam, omnes ejus regionis incolæ, inuſtionem ad multos morbos aliis remediis non cedentes pro ſecreto habent auxilio. GUILAND. In primis inurendi modum mihi narrato, atque an ipſi inurant ferro, vel auro, vel medicamento igneam facultatem obtinente, & ad quos morbos inuſtionis ille uſus apud illos ita familiaris evaſerit. ALPIN. Non ferro, non auro, neque alio metallo ignito ad inurendas partes illi utuntur, neque ut aliqui utebantur, buxeis lignis, ſed goſſypio, & lineo panno ignito inuſtionem moliri conſueverunt. Volenteſque inurere aliquam partem corporis, ſumunt lineam petiam, cubiti longitudine,

latitudineque trium digitorum, atque goſſypii juſtam quantitatem, quod totum linea prædicta petia involunt, ac filo ſerico ligant ad formam pyramidis, ipſiuſque latiorem extremitatem urendæ parti applicant, probeque cuti adhærere ſtudent, alterumque caput vel extremum ſuccendunt, comburique permittunt, quouſque faſciculus ille ex linea petia, atque goſſypio omnino crematus ſit, continue dum cutis uritur, carnem circum circa ferro tangentes, ne ex eo calore oboriatur interea aliqua inflammatio; obſervant etiam dum involucrum illud parant, ut in ejus medio ſit foramen, vel meatus, per quem fiat aliqua reſpiratio, atque eventatio. Poſt inuſtionem in parte exuſta utuntur oſſium medulla, quoad eſchara cadat. Hicque eſt inurendi modus apud eam gentem obſervatus, ac frequentatus. Eſtque non modo Ægyptiis familiaris, ſed multo magis Arabibus equitibus ſub tentoriis degentibus, atque aliis omnibus loca diſerta habitantibus, qui cum aliis careant loci inopia auxiliis, inuſtione multos morbos ſanant. Pauciſſima etenim ipſorum corpora invenies ab igneis cicatricibus non defœdata. Uſus hujus remedii ibi eſt frequentiſſimus, ob multos genuum, aliorumque articulorum atque partium aliarum dolores antiquos, ex frigidiorumque humorum defluxu obortos, aut à ſimplici frigida intemperie, vel à flatulento ſpiritu aliunde elato, vel in ipſa parte genito. Doloribus igitur, iiſque antiquis hac inuſtione occurrunt, qua partium omnem imbecillitatem corrigunt, contentos humores, vel flatus reſolvunt, articuloſque calefaciunt, & valide ſiccando roborant. Hincque mirum non eſt, ſi proſpere hoc remedium in omnibus articulorum doloribus curatu difficilioribus, experiuntur, potiſſimoque in coxendico dolore multas uſtiones non modo ſupra articulum, ſed etiam ſupra femur facientes. Et non minus in podagra & chiragra, priuſquam pedes vel manus tophi invaſerint, vel geniti ſint. Exurunt enim articulos, atque illis ſuperpoſitas venas in podagra, ex qua dolor occupat nodum pollicis. exurunt ſupra ipſum, inquam, nodum inter pollicem, & indicem. Qua facta ipſarum partium uſtione, per quas humor ad debiles articulos fluit, viæ angu-

ſtio-

ſtiores redduntur, neque ita facile poſt humor ad articulos fluet; ex quo, neque ita facile in podagram incidunt. Gal. ſiquidem in 6. lib. Aphoriſm. dicebat, duplicem eſſe cauſam podagricorum dolorum, alteram humoris redundantis fluxionem ad articulum, atque alteram articuli imbecillitatem, qua articulus defluxioni ſuccumbit. Altera vero harum deficiente non poſſe homines ſimili malo corripi, à Galeno ibi proditum eſt. Itaque Ægyptii inuſtione, articulorum laxitatem vel debilitatem corrigunt, roburque ipſis conciliant, quo ab humoribus illuc decurrentibus defendantur, minimeque ipſis ſuccumbant. Probatiſſimum igitur eſt remedium ad quaſcumque partes ab humorum defluxione vexatas. Verum non tantum partes fluxione vexatas inurunt, ſed illas quoque, quæ ipſis humores demandant. Atque ea ratione caput multis uſtionibus afficere ſolent. Ad omnem etenim fluxionem vel diſtillationem à capite ad pectus, aut pulmones, urunt ſynciput, verticem, occiput, ac quod eſt poſt utramque aurem, quod etam faciunt in antiquis lippitudinibus, atque aliis diuturnis oculorum malis. In epilepticis non minus, paralyticis, apoplecticis, vertiginoſis, amentibus, patientibuſque in capite gravitatem, ſtuporem, ſtoliditatem, atque ſomnos immoderatos. In vehementibus doloribus ex capitis diſtillatione effectis, oculorum, aurium, atque dentium, tempora inurunt. Periodicos dentium dolores, commotiones atque putrefectiones gingivarum, ipſorumque dentium, peruſtione ſanant. Quamobrem inuſtione partibus, tum humores mandantibus, tum iis, quæ ipſos præ imbecillitate recipiunt, obſiſtunt. Qua de cauſa utiliter inurunt ſuſpirioſis à frigidis craſſiſque, ac lentis humoribus pulmones ac aſperam arteriam invadentibus, vel obſidentibus, pectus: & vexatis malignis ex capite ad thoracem diſtillationibus ſanguinemque etiam expuentibus, ab iiſdem humoribus aliqua vena eroſa, caput & pectus. Phtyſicis, & ſuppuratis, empyis vocatis, pectoris tantum partes exurunt. Dominicus è Rege quadraginta annorum Cayri multos annos ab aſthmate difficillimo vexatus. à nullo ex inumeris ab ipſo expertis auxiliis juvatus,

demum ad pectoris uſtionem Ægyptiorum modo præſtandam, ad ultimam ſalutis ſpem, quaſi totus conſumptus ac fere tabidus, ſibi pectus triplici uſtione inuſſit, ulceraque diu aperta ſervavit: quo auxilio ſanatus eſt. Habentibus quoque ſtomachum frigidum humidumque, & ab humorum defluxu, à flatibuſque multis vexatum, eo auxilio ſuccurrunt. Hepar etiam ac lienem induratum, refrigeratumque multa cum utilitate inurunt. Et in hydrope ſub umbilico, ſub hypochondrio ſiniſtro. In doloribus dorſi, lumborum, colli, articulorumque omnium hoc auxilium frequentant, in ſpina dorſi, lumbis, collo, & aliis partibus dolore cruciatis uſtionem adhibentes. In tumoribus à crudis pituitoſiſque humoribus obortis inuſtione utuntur pro ſecreto. Demumque hoc auxilium, quod cito multa mala ſanet, inopum proprium eſſe affirmant. Hoc igitur eſt illorum propoſitum auxilium, quod multis aliis utilitate in morbis antiquis præferunt, de ipſoque illi populi non parum iactantur. Guiland. Gloriam hanc aliis concedant, ſatiſque eis ſit tanti remedii commodo, ac beneficio uti poſſe. Ubi ex te nunc modum audivi, quo id genus remedii factitant, fere præ tanta illorum doctrina obſtupui. Etenim quod fortaſſè alii parvi faciendum fore putarint, quippe ipſos involucrum ex linea petia cum goſſypio pyramidali forma paratum, acutiore altero ejus extremo ignito, alteroque latiore parti urendæ applicato, ac aptato, ſinentes cutim inuri, non ſine multa ratione ab iis fieri exiſtimo. Nam eos non uti fero ignito, vel aliquo alio metallo, ſed involucro ex goſſypio, & linea petia parato, accenſo, quod ignis, cum ſit in materia rariori, clementius agat, alteret, ac reſolvat, mitiuſque dolorem ac inflammationem cuti, dum uritur, inferat; ex quo hic inurendi uſus non eſt apud ipſos ita horribilis; qualis noſtras. Ignito enim quovis metallo, intenſiſſimus, ac intolerabilis dolor excitatur, qui ægrotos miſcere dilacerat, ob quem dolorem hoc genus remedii noſtri non immerito abhorrent. Materiam hanc uſtionis creditur noviſſe Polybus in lib. de affectionibus, quando in coxendico dolore, ac podagra ſcripſerit, uſtionem eſſe faciendam

lino

lino crudo. Cenſeo igitur illos rectius agere, quam noſtros, qui ferro ignito utuntur, dum goſſypio, atque lino ignito utentes, ut mitius in reſolutione ſe gerant, neque ita partem urendo inflamment, præſertimque ubi nervi, tendineſque reperiuntur, periculum ſiquidem eſt ex prævalido igne, ne multum lædantur. Sed majus artificium ex urendi modo detego, aptantes cuti urendæ alterum involucri extremum non ignitum vel ſuccenſum, atque alterum, quod ſemicubiti longitudine à cute diſtat, in primis ſuccendentes igniunt: quo ſane modo primo illos urendam partem, non ignire apparet, ut noſtri ferro cauterizantes facere ſolent, peſſimeque mea quidem ſententia, quando ſubitaneas mutationes natura recte non ferat, vel etiam ab iis non modice lædatur. Atque ſenſim ac ſenſim partem à ſuccenſo involucro extremo ad calorem diſponi, atque ita calefieri, ut toto involucro cremato, igneque ad cutem deducto cutis prius calfacta, fereque ſtuporem ex eo adepta, ignis incendium non omnino totum ſentiat, neque ab eo admodum doleat, quod etiam ignis incendium rarioris involucri ſubſtantiæ ratione, neque immodicum ſit. Duo igitur ex hujus præſidii operatione ſcitu digna animadvertuntur, quippe partem ab igne clementius inuri, atque ab ea haud immoderatum, qualis ex igniti ferri uſtione ſentitur, percipi dolorem, primum ab accenſæ atque ignitæ raræ ſubſtantiæ, ſcilicet goſſypii, & lini ratione fit, atque ſecundum, præcepto calore ex totius involucri combuſtione, quæ ſenſim ac ſenſim procedit, cute calorem ſtuporemque adepta, non ita acute ſentiente. Ex his hoc auxilii genus facilius ægroti admittent, neque præ intenſiſſimo dolore, qualem ferro factæ inuſtiones inducere ſolent, ipſum abhorrebunt. ALPIN. Hac ratione ægroti facilius admittent uſtionem non ferro, vel aliquo alio metallo, vel ſupradicto involucro, ſed medicamento ignea vi prædito, clam uſtionem faciente præſtitam, quando hoc nullo, vel ſaltem leviſſimo dolore uſtionem præſtet, quo etiam remedio multi fonticulos apud noſtros uſitatos factitare ſolent. GUILAND. Noſtri appellant hæc medicamenta cauſtica poteſtate, veluti inuſtiones actu dicuntur cauſticæ; quæ tamen auxilia inter ſe non parum

differre, medici omnes cognoſcunt, quando ea minime urendo, roborent partes ob ipſorum veneficam naturam, calorem naturalem partis exolventia: & hæc ipſum vivificantia, humidumque excrementitium reſolventia, multum uſtas partas roborent. Alpin. Poſſunt itaque Ægyptiis medici merito tanti auxilii cognitione non parum gloriari, lætarique ſe his ſeculis ſolos auxilii hujus uſum, atque utilitatem præſtare poſſe. Guiland. Neque hoc verum erit, quando neutiquam hujus remedii inventores fuerint, vel ipſo ſoli uſi ſint. Antiquis etenim ipſum probe fuiſſe cognitum multorum teſtimoniis conſtat. Namque Hippoc. de capitis uſtionibus in lib. 2. de morbis, in capite humoribus repleto poſt totius præſtitam purgationem, ait: *Cruſtas octo capiti inurito, duas circa aures, duas in occipitio hinc atque ad cervicis nervum, duas in naſo circa angulos oculorum. Venæ autem circa aures urendæ ſunt, donec pulſare deſinant. Ferramentis vero cuneoli forma paratis, obliquas venas] perurito:* & in lib, de lloc. in homine eaſdem eapitis uſtiones laudat, pro capitis dolore tollendo. Et Gal. in iis, qui morbo laterali ægrotant, de hoc auxilio in 7. comm. Aphor. ita dixit: Quos urere Aph. 44. conſuetos eſſe veteres diſcere licet ex his, quæ dixit Plato Comicus de Cineſia, hiſce verbis; *Poſt hæc Evagoræ filius Cineſias è morbo laterali aridus, puris expers, calamacea gerens crura, tabis nuncius, pluribus eſcharis corpus inuſtus, in concionem prodiit:* Hippoc. etiam in præcitato libro de morb. laudat, iis, quibus pulmones ſunt inflammati, ut pectus, & dorſum inurant. Ibidemque non minus in ſputo ſanguinis, priuſquam ad puris ſputum deventum ſit, urendum eſſe pectus, atque dorſum ex utroque latere memoriæ prodidit. In ſuppuratis vero utilem quoque eſſe uſtionem in 7. lib. Aph. docuit. necnon in lib. de internis affectibus idem confirmavit, quod etiam in 3. lib de morb. apud ipſum legitur: præſertimque uſtiones ad eos morbos curandos prope ſeptum tranſverſum fieri oportere meminit. In hepate vero indurato, vel inflammato, ita in lib. de inter. affect. ſcriptum reliquit, dicens: *Si vero neque ſic deſinat, urere oportet, quum maximum factum fuerit, & maxime eminuerit. Urito autem per buxeos fuſos in oleum fervens tinctos. Apponito au-*

*autem donec tibi bene habere, & uſtionem factam eſſe viſum fuerit, aut per fungos octo cruſtas inurito.* Ibidemque in liene tumefacto faciendum eſſe docuit, his verbis: *Si vero ab his non melius habeat, ſplenem fungis urito decem magnis cruſtis inuſtis, cum maximus fuerit ſplen, & maxime elevatus.* Idemque in eodem libro pluries confirmat, atque docet. Ad articulos vero, qui ob multam humiditatem vel dolent, vel luxantur, uſtionem ſummopere conducere ſcribit. Quod manifeſtiſſime apparet ex his, quæ apud ipſum leguntur in lib. de aëre loc. & aq. in hunc modum: *Magnum autem argumentum humiditatis corporum Scytharum hoc exhibeo. Multos enim ipſorum, præcipue qui Nomades ſunt, reperies exuſtos humeros ac brachia habentes, manuumque juncturas, pectora, coxas, & lumbos, nullam ſane aliam ob cauſam, niſi ob humoris, & mollitiei naturæ detractionem. Nam neque arcus intendere, neque telum torquere poſſunt, præ impotentia humiditatis humorum. Quum autem uruntur, humor ipſe à juncturis exolvitur, fiuntque corpora ipſorum validiora, melius nutriuntur, & magis redduntur articulorum uſu potentia.* Particulatim vero in coxendico dolore in lib. 7. Aphor. ait: *Quibuſcumque à coxendico dolore moleſtatis diuturno excidit coxa, iis crus tabeſcit, & claudicant, ſi non urantur.* In hiſque malis utilitatem ex uſtione Gal. in comm. hiſce verbis comprehendit, dicens: Aph. 60. *Cum ipſe ſuadeat aduri coxam, ſicut in lib. de artic. docebat, ut & id, quod mucoſum eſt abſumatur, & laxitas cutis, ad quam articulus lubricat, magis ex aduſtione contracta, arctet, ac prohibeat articulum tranſponi.* Et in lib. de internis affect. Hippoc. ait, *in coxendico dolore eſſe crus urendum multis, atque profundis inuſtionibus.* Atque in lib. de affect. quem Polybi Gal. eſſe autumat, legitur *crus eſſe inurendum lino crudo.* Hoc idem ex Græcis Paulus in lib. 3. confirmat his utique verbis: Cap. 77. *Quare cum vitium longius ſe prorogat, articulum tribus, quaturve locis urere oportet, ut in chirurgia dicetur, ac compluſculis diebus ulcera adaperta, ſine cicatrice ſervare;* quod clarius docet etiam in ſexto libro. Cornelius Celſus ex Latinis in lib. 4. ſuæ medicinæ ſcribens de coxendico dolore ait: *Ultimum eſt, & in veteribus quoque morbis efficaciſſimum, tribus aut quatuor locis ſuper coxam cu-*

tem

*tem candentibus ferramentis exulcerare, & genuum inveteratos dolores vix citra uſtionem finiri.* In podagra vero venas paulo ſupra pollicis digiti articulum, vel nodum inuri oportere lino crudo Auctor lib. de affect. nobis prodidit. Quod Aetius in lib. 12. ubi ſcribit de articulorum morbis, plane confirmat. Quem locum hic non inutiliter referendum eſſe duxi, quia ad omnium articolorum dolentium curationem mirifice faciat. Ibi itaque ab ipſo literis tradita, hæc exiſtunt. *Cruſtas igitur inurere oportet aliquas quidem paulo altius loco fluore infeſtato, aliquas vero propius, atque id cauteriis facere præſtat, aut ſi id æger ferre recuſet, cum medicamentis, longe autem præſtantior eſt cauteriorum uſus, nam & citius, & ſiccius perurunt. In univerſum vero pedibus ex fluxu infeſtatis, loci circa utrumque talum forinſecus, & intrinſecus inurendi ſunt, cauteriis juxta magnas ibidem ſitas venas admotis, paulo altius ſupra talorum locum. Inurendus item locus inter magnum pedis digitum, & eum, qui ei proximus eſt, medius, ubi ſanæ venæ magis tumefactæ conſpiciuntur, præſertim ex eis maximæ. Quibuſdam autem & articulos ipſos excurere expedit, quum ſubmucidi valde conſpiciuntur, priuſquam durities ad modum toforum in eis generetur.* Sciendum tamen, inquit Ruffus, *quod in articulorum ſubmucidorum peruſtione ulcera ægre curabilia oboriuntur, verum ubi cicatrices coaluerint, maximum robur ipſis articulis præbent, ut non amplius ad ſuſcipiendum influentia excrementa ſint apti.* Hæcque ac multa alia multi antiqui medici de uſtionum utilitate, & uſu ſcripſere: omitto multos alios ex Arabum ſchola, velut Haly Abb. atque alios, quos hæc eadem cognoviſſe ex ipſorum ſcriptis conſtat. Non tamen modum inurendi, qualem Ægyptii frequentant, ullum antiquorum, vel juniorum medicorum cognoviſſe comperi. Niſi dixeris Auctorem lib. de affectio. tali experientia aliquando uſum fuiſſe, cum ad coxendicum dolorem, & ad podagram, inuſtionem lino crudo faciendam tradiderit. At iſti non lino crudo, ſed cocto, atque goſſypio id præſidii genus exercent. Audio etiam Barbaros multos urere ſolis petiis lineis coctis ſimul glomeratis, & inuſtis. ALPIN. Fortaſſe hoc auxilium non videtur omnino tutum, quando apud Hippoc. lib. 5. epidemiorum

Cap. 25.

rum legatur, Eupolemum coxendico morbo afflictum, ex multis magnis inuſtionibus ſupra coxam factis interiiſſe. GUILAND. Reſpondet ejus libri Auctor, & recte ſane, Eupolemum mortuum fuiſſe, à magnitudine, & multitudine ulcerum, atque ex virium imbecillitate: quæ morbo admodum imbecillæ redditæ, tam grande remedium ferre non potuerunt. Sed his nunc finem imponamus. ALPIN. Quin huic de uſtione ſermoni paulisper adhuc immoremur, ſiquidem ea gens hoc præſidio familiariſſime ad empyos, hydropicos, hernioſos, atque ad omnes frigidos tumores utitur. GUILAND. Age igitur aliquid hac de re, ſi quid habes, afferas. ALPIN. Uſtione utuntur in ſuppuratis, quos Empyos Græci vocant, hydropicis, hernioſis, atque in frigidis omnibus tumoribus. Qui pectus, ac dorſum inurere ſolent, tribus vel quinque uſtionibus inflictis, modo antea narrato, eo auxilio multi ſuppurati ſanitati fuere reſtituti, nam per factas inuſtiones pus continuo reſudabat, quouſque totum vacuatum fuerat. Hic modus non admodum periculoſus eſt, quoniam modicum ſic puris ſenſim, ac ſenſim tranſmittitur, & vacuatur. Recteque Hippocratem hi ſequuntur in copia puris educenda, qui in lib. 6. Aphor. ſcripſit *Quicumque ſuppurati, aut aquam inter cutem patientes uruntur, aut ſecantur: ſi pus, aut aqua univerſim effluxerit, omnes moriuntur,* In pectoris, pulmonumque inflammationibus, atque in tumoribus frigidis, & non minus in anheloſis ex frigida temperie, frigidoque humore, uſtione utuntur, quem uſum in iis morbis Hippoc. in libro de morbis, & de internis affec. docuit. Urunt hydropicos aqua affectos, multis in locis, quorum alii ſub umbilico in tribus locis, aperta ulcera ſervantes, ut per ea aqua exſudare queat, alii in ſtomacho, liene, hepate, atque ſub umbilico inuſtiones infligentes, utuntur in pleriſque uſtione prænarrata, atque in multis etiam medicamento poteſtate urendi prædito, alii ſub claviculis pedum, atque alii ſupra genu intus extraque inurentes, ulcera aliquandiu aperta ſervantes. Alii etiam tibias eo modo inurunt, vel veſicant, veſiciſque ex iſtis ulcera eodem modo faciunt, per quæ paulatim aquam univerſam vacuant. His omnibus inuſtionibus hydropem aſcitem ſanant: itidemque

hernias aquoſas, atque etiam carnoſas, de aquoſis mirum non eſt ſi inuſtione ea, quæ cum actu eſt, tum potentia exſiccans, ſanentur, quando aqua eo auxilio abſumatur, ſed carnoſas etiam eo auxilio curatas in multis fuiſſe hernias vidi, quemadmodum & tumores omnes frigidos Oedematoſos, atque ſcirrhoſos. GUILAND. Quid de cancroſis obſervaſti? ALPIN. Paucos eo auxilio curari, niſi in principio, ubi neque occulti, neque magni tumores ſint. Scirrhos vero ex phlegmate craſſo obortos eo auxilio tolli, certum eſt. Sed de uſtionibus jam ſatis, etenim de iis multa locuti ſumus, eaque attulimus, quæ etiam apud Hippocratem, Galenum, Avicennam, atque alios graviſſimos medicos paſſim leguntur. Ad nonnullas alias adminiſtrationes chirurgicas jam tranſeamus, in primiſque ne hydropicorum, empyorum, hernioſorumque aliis remediis deſparata ſalus, ſectione aliquando multis inſtituta in oblivionem abeat, de ea ſectione aliquid prodam, ac interea de nobiliſſimo modo, quo illi lapides è veſica ſine ulla inciſione educunt, deque ridiculo experimento, quo dyſentericos fluxus ſanare, autumant. GUILAND. Multam tibi gratiam habeo, qui hæc etiam proferre in medium velis, non inutilem fore mihi hunc tuum ſermonem ſpero, quamobrem expecto, quid loquaris.

## CAP. XIII.

### *De ſectione, qua in hydropicis, & ſuppuratis Ægyptii utuntur*

### ALPINUS.

CURANT etiam non raro hydropicos, ſectione aquam educentes, quorum varii varias ſectiones ad id celebrant: alii ſiquidem ſub umbilico per tres digitos verſus partem, à qua hydrops ortum duxit, terna vulnera infligunt. Atque alii parvis ſcarificationibus ventrem tumidum ſcarificant, per quas aqua paulatim exit. Alii vero tutius ſupra, vel infra pedum claviculam intus extraque binas adigunt ſectiones, per quas com-





commodo, ſenſimque ac ſenſim aqua educitur. Quo ſane modo ſectionis aliquos ab hydrope effatu digno ſanatos obſervavi. Sed periculum tamen eſt, ne à longo aquæ ad eas ſectiones defluxu illiuſce partis, tum ulcera aperta, tum ceteræ aliæ partes mortuo fere calore in gangrenas mutentur. Mulierem etenim Venetiis vidi, iis ſectionibus omnino ab hydrope ſanatam, & paulo poſt ulcera illa in gangrenas degeneraſſe, à quibus gracillima mortua eſt. GUILAND. Novum illud remedium non eſt, quando omnibus antiquis medicis, junioribuſque non minus probe notum fuiſſe, multorum ſcriptis plane conſtet. Hippocrati enim id notum, Aphoriſmus vigeſimus ſexti libri certe explicat, Cujus verba hæc ſunt: *Quicumque ſuppurati, aut aquam inter cutem patientes uruntur, aut ſecantur, ſi pus, aut aqua univerſim effluxerit, omnes moriuntur.* Et in lib. de loc. in homine hæc leguntur. *Ceterum in puero hydropem ſic curare oportet. Partes tumidæ, & aqua plenæ aperiendæ ſunt ſcalpello & frequenter, ac parum educendum eſt. Educendum autem eſt à ſingulis corporis partibus, & fomentis utendum, & ſemper locum apertum, unde eduxeris calfactorio medicamento illines.* In lib. vero de affect. ubi curationem hydropis recenſet, idem confirmavit, dicens: *Si igitur à pharmacis, & alia victus ratione æger utilitatem percipiat & venter ipſius evacuetur, bene eſt: ſin minus, ſectione facta aquam emittat: ſecatur autem vel juxta umbilicum vel retro juxta lumbos.* Gal. etiam de hoc auxilio multis in locis meminit, ſed clare ſatis in comm. 6. Aphoriſm. cum dixit: *In* Aph. 27.
*iis autem, qui aquam inter cutem patiuntur, illæ, quæ à Græcis paracenteſes, id eſt, punctiones nominantur: magis quam uſtiones, medicis ſunt conſuetæ.* In lib. vero compoſ. medicam. ſecun- Cap. 30.
dum loc. 9. hæc ita etiam ſcripta de hydropicorum curatione, ex Archigene reliquit: *Scarificatis item ipſorum talis, & vulnuſculis impactis ipſos in ferculo, aut lectica geſtato, ac circumvehito: multus enim humor hoc modo ipſis profluere ſolet.* Quam cu- Cap. 21.
rationem ad unguem fere meminit Celſus in lib. 3. ubi ſcripſit: *incidendum quoque ſuper talum quatuor fere digitis ex parte interiore, qua per aliquot dies frequens humor feratur.* Et Paulus, & Lib. 6. Cap. 50.
Aetius prolixe ſatis hujuſce remedii uſum ac adminiſtrationem Lib. 10.

 pro- Cap. 20.

prodiderunt, præſertimque Aetius; ex quo quiſque noſtrum poterit ſectionis in hydrope rationem habere. Arabes etiam omnes eodem modo ſæpe hydropem aſcitem, atque leucophlegmatiam curandam eſſe nobis tradiderunt, ut apud Avicennam, Albucaſim, Haly, atque Raſim legere poſſumus. Antiquis igitur medicis id auxilii genus notiſſimum fuit, & non modo ad duas hydropis differentias, quippe ad aſcitem, & anaſarcam, vel leucophlegmatiam, verum etiam ad hernias aquoſas, & ad omnes aqueos tumores. Herniæ aquoſæ tutiſſime hac ſectione ab omnibus curantur. Quod autem cognoſcatur hoc remedium pro hydropis curatione etiam ab omnibus junioribus, atque præſentis temporis medicis, id ut manifeſtum omitto. Non eſt itaque remedium hoc tantum Ægyptiorum, ſed omnium fere aliarum nationum, ad id mali inventum. Non eſt tamen admodum in frequenti uſu, tam quia, ut recte monent optimi medici, poſt alia omnia auxilia tentandum eſt, tum etiam quia raro eo hydropici juvantur. Alpin. In Ægypto eſt ſatis familiaris ſectio hæc apud pleroſque prope talum, ſupra claviculas adminiſtrata, tum in aſcite, tum leucophlegmatia: in utraque enim diu apertis vulnuſculis adſervatis, humor omnis vacuatur, atque ex ea vacuatione humoris non minus ſublata cauſa, à qua hydrops originem duxit, aliquot ſanatas vidi; nullum vero ſecto ventre, quamquam ibi audierim à multis per eam ſectionem aliquot ſanatos fuiſſe. Plerique vero tutiorem eſſe ſcarificationem malleoli affirmant, atque ſub talo, in parte enim interiore duas ſcarificationes alte infligunt, atque unam in exteriore, per quas qualecumque tumidiſſimum corpus commode exſiccari, certum eſt, non ſemelque ego inſpexi. Hac vero ſectione pleroſque ſanari arbitror, ſi in principio, vel non longe ab eo ſecentur. Quo tempore vires validæ exiſtunt, commodeque talem aquæ vacuationem ægroti ferunt. Quod recte Hippocratem in 6. epidem. nos commonuiſſe Palladius in ejus Commentario prodidit: ſiquidem Hippo. ait: *Aqua ſuffuſos celeriter ſecare oportet: tabeſcentes ſtatim urere. Noſtri vero ſectione uti ſolent, jam deſtitutis ægrotis omni ſpe ſalutis, quo tempore vires tale remedium non patiuntur.*

*tur.* Unum ex illorum obſervatione addo, quippe multos inſigni ventris tumore eo modo omnino curatos, ulceribus tamen ac pedibus ipſis in grangrenam verſis obiiſſe; quod non aliunde illis accidiſſe arbitror, quam, quod ulcera illa atque partes item proximæ ex larga aquæ fluxione diu eas partes lædente, atque refrigerante, calore multum diminuto, facile in gangrenam labuntur: eaque cauſa doctiſſime Hippocratem vel auctorem lib. de locis in homine, poſt ſectionem, aquæque eductionem hæc etiam addidiſſe exiſtimo, *& ſemper locum apertum, unde eduxeris, calfactorio medicamento illines.* Quo calido medicamento non alia ratione ulcera ſovenda eſſe ſtatuit, niſi ut calor naturalis conſervetur, neque à fluxione frigida ullo pacto extinguatur. Quod Ægyptii non animadvertentes, ſæpe infelicis ſucceſſus cauſæ exiſtunt, eorumque auxilio hydrope homines ſanati, ſæpe alterius morbi cauſa moriuntur: ſed jam tempus eſt, ut ad ſuppuratorum curationem, quam itidem ſectione non raro adminiſtrant, ſermonem convertamus, de hydrope ſatis ſuperque locuti. GUILAND. Recte putas, quando, ut audio, homines ſuppuratos non minus ſecare, quàm urere ipſi ſoleant. Operatio ſane valde celebris, quæ magno etiam periculo non vacat. ALPIN. Cum illi viderint pleuriticum, vel peripneumonicum, multum, ut par eſſet, non expuere, doloremque cum febre perſeverare, atque cetera alia ſymptomata, pus fieri arbitrantur: neque immerito, cum in iis morbis ſi tuſſi non purgantur, contenti in pulmonibus humores ſuppurentur. Quod Hippoc. his verbis docuiſſe viſus eſt. *Quicumque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ii ad ſuppurationem vertuntur. Ex pondere in latere percepto, & fluctuatione obſervata, mitiorique dolore effecto, cum difficili reſpiratione ſuppurationem certam intelligunt.* Quam ſtatim tollere ſectione conantur, neque dant ad id perficiendum inducias; ſecant vero plerumque latus ſiniſtrum inter coſtas ſpurias, prope ſeptum tranſverſum; plerique tamen inter ſecundam ac tertiam coſtam phlebotomo perforant, atque per intromiſſam in vulnere cannulam argenteam modicum puris educunt, eamque quantitatem, quam ſuppurati vires commode

patiuntur, omnique pure educto, vulnus exſiccantibus ſanant. Qui inter ſecundam & tertiam coſtam perforant, rectius ac tutius rem tranſigere putant, ut totum pus, quod ad ſeptum tranſverſum gravitate reſidet, commode vacuetur. Ceterum alii ipſorum ſeptum tranſverſum lædi phlebotomo formidantes partem ab eo magis diſtantem, ſeligunt, quare ex ipſis omnes ſecant inter tertiam & quartam coſtam. Atque hic eſt uſus ſecandi empyos, vel ſuppuratos, quo Ægyptii multos ſanatos fuiſſe prædicant. Guiland. Uſus hic, ex ſententia etiam priſcorum, medicorum, qui ſumme hunc modum empyos perforandi commendarunt, non eſt ſpernendus. Hippocrates enim in lib. de morbo ipſum clariſſimis verbis hunc in modum docuit: *Hunc ubi decimus quintus ab eruptione dies adeſt, multa calida lotum in ſella firma collocato, & alius quidem manus ipſius teneat: tu vero humerum concutito, ut audias in utrum latus affectio ſtrepitum edat. Optandum autem in ſiniſtrum. Hunc ipſum igitur locum ſeces, minus enim lethalis eſt. Si vero craſſitudine, ac copia ſtrepitum non edat, quo ipſum cognoſcere poſſis (nam hoc aliquando contigit) utrum latus tumuerit, ac magis doluerit, hoc infimo ſecato retro tumorem magis, quam ante ipſum, quo puris exitus facilem fluxionem habeat. Secato autem inter coſtas per novaculam primum cutem, deinde ſcalpello acuto, quod panniculo ſit obligatam, ita, ut ſumma ipſius pars ad unguis magni digiti menſuram expedite reſtet, quam intromittas, poſtea emiſſo pure quantum viſum fuerit, vulnus linamento ex lino crudo alligato, foras propendente filo, concludito, & quotidie ſemel pus educito: poſtquam autem decimus affuerit dies, omni pure emiſſo linamentum ex linteo indito.* Apud multos etiam alios graviſſimos medicos tale præſidium ad ſuppuratos, quibus nulla ſpes ſalutis reliqua erat, laudatum atque celebratum reperias. Veruntamen empyos tutius magis uſtione curari poſſe Gal. tradidit, hiſque proprius uſtionem convenire, veluti hydropicis ſectionem. Raro etenim in curandis ſuppuratis ſectionis meminit, ſed magis uſtionis. Quod etiam ex traditis in comm. 6. Aphoriſ. Hippoc. facile confirmatur, ibi enim ſcripſit: *Uſtione igitur indigent, qui plurimum habent pus, adeo, ut deſperent per ſpuitiones poſſe expurgari.*

Aph. 77.

gari. *Nos vero ipſos ſi difficultas anhelitus vehementer infeſtat ex loci anguſtia, quæ etiam nos cogit, ut eos uramus:* in comm. etiam 7. Aph. veteres urere ſuppuratos conſueviſſe, prodidit. Hippocrateſque in 6. epid. dixit: tabeſcentes ſtatim urere oportere. Quare in iis tutiorem eſſe uſtionis, quam ſectionis uſum putaverim, quamquam me non lateat apud Hippoc. præſertim, utraque auxilia pro illo affectu uſitata fuiſſe: ut ex 6. lib. Aph. atque ex 7. apparet, atque adeo, in pluribus aliis locis. Arabibus quoque multis hoc remedii genus cognitum ſane fuit. Alpin. Ubi pueris multum non eſt, uſtio accommodatior videtur, quæ revera, ut illi affirmant, eos tuto magis quam ſectio ſanat. Sed puris immoderata copia thoracem obſidente, uſtionem recte ſanare raro obſervatum eſt, quos ſi curare velint, ſectione uti debent, qua totum pus vacuatur. Utrumque tamen remedium pro eodem affectu apud eos familiare eſt, ſectioneque, uſtio familiarior. Nam formidant & ipſorum multi ſectionem, de qua ſatis locuti ſumus, proinde ad alia orationem noſtram traducamus.

## Cap. XIV.

### *De lapidis è viſica extractione abſque ulla inciſione apud Ægyptios frequentata, & de dyſenteriæ curatione empirica.*

### GUILANDINUS.

Optarem priuſquam de aliis ſermonem haberes, ut modum, quo audio, Ægyptios lapides è veſica abſque ulla inciſione extrahere, nunc mihi explicares: ſummæ enim utilitati hujus actionis cognitionem noſtratibus medicis fore exiſtimo: avide igitur id, quoniam modo ſe habeat, audire expecto. Alpin. Certe hic modus extrahendi lapides è veſica valde utilis eſt, eo quod nulla inciſione operetur. Extrahunt lapides è veſica colem in primis vento replentes, atque cum eo os etiam veſicæ dilatantes, atque laxantes, ut per os veſicæ lapis

fa-

facile meare poſſit, coliſque dilatatum & ampliatum meatum, ex quo ipſos lapides vento ſubreptos foras extrahunt, ipſo continuo toto violenter evocato. GUILAND. Haud probe intellexi quin dixeris, uſque adeo obſcura oratione uſus es. Duo tamen mihi videris dixiſſe, quorum alterum eſt, illiuſce regionis medicos, lapides è veſica extrahere volentes, in primis colis veſicæque meatum vento laxare ac dilatare, per quem commode lapides exire poſſunt, atque eoſdem lapides vento eodem foras educi, an non hæc dixti? ALPIN. Plane eadem, ſed quid te dubii cæpit? GUILAND. Quoniam vix credere poſſum os veſicæ, coliſque meatum tantum dilatari ac ampliari poſſe, ut magni lapides in veſica contenti, qui magnæ nucis inſtar ſæpe cernuntur, commode exire queant: ex quo dubiat fit apud me ea lapidum eductio, quonam pacto ita poſſit adminiſtrari, maxime, cum ut etiam affirmaveris, eos vento ſubrepi, foraſque educi, quod mihi haud fieri poſſe videtur. ALPIN. Utrumque verum eſſe cognoſces, neque omnino à veritate id alienum putabis, os veſicæ, colemque eo modo dilatari poſſe, quando nervoſa, ac pelliculoſa ſubſtantia illi meatus conſtet. Admirandum magis exiſtimare debemus. Uteri os in mulieribus nervoſum durum, atque ita anguſtum, tempore partus tantum ampliari augeri, ut fœtus per ipſum exeat, atque foras propellatur. Unum hoc ſcio, me colis meatum ita dilatatum inſpexiſſe, ut per eum facile magna avellana tranſiiſſet. At utilius erit, ut nunc modum oſtendam, quo ad extrahendum lapidem ii uti ſoleant. GUILAND. Hac eadem de cauſa apertis auribus tuum hunc ſermonem expecto. ALPIN. Eo tempore, quo ego in Ægypto moram faciebam, Arabs quidam Haly vocatus ad extrahendos lapides ſine inciſione celeberrimus erat, quem ego ſane cuidam duci Turcarum, Horam Bei vocato, multos lapides extraxiſſe vidi. Quo in opere abſolvendo ille ligneam cannulam accipebat, longitudine octo digitorum, & latitudine digiti pollicis. Quam colis canali admovebat, fortiterque inſufflabat, atque ne flatus ad interiora perveniret, al tera manu extremum pudendi perſtringebat, foramen deinde cannulæ claudebat, ut virgæ canalis intumeſceret, & latior fie-

fieret, ac appareret. Quo facto miniſter digito in ano poſito, lapidem paulatim ad canalem virgæ: atque in ejus extremum deducebat. Qui, ubi præputio lapidem appropinquaſſe ſentiebat, cannulam à virgæ canali fortiter impetuque amovebat, ut magna dexteritate lapis ad nuclei olivæ magnitudinem fuerit extractus; & ego interfui huic duci Turcarum, & poſtea duobus item Judæis, quorum alter puer erat, cui octo lapillos extraxit, & alter adultus, cui extraxit lapidem ad magnæ olivæ magnitudinem. Hicque eſt extrahendi lapidem è veſica modus, quo utebatur ille medicus Arabs. Audivi tamen alios etiam ibi eſſe, qui alio etiam modo lapidem extrahebant, quem modum nunquam ab aliquo, quamdiu Cayrum habitaverim, potui cognoſcere. Cum vero GENUÆ pro Illuſtriſſ. ac Excellentiſſ. Joan. Andrea Auria Melphorum Principe, atque Philippi Hiſpaniarum Regis, maritimæ Claſſis præfecto medicinam facerem, atque hæc mea ſcripta reviderem, Octavius Roveretus Medicus doctiſſimus, mecum multo amore conjunctus, quique poſt me in Ægypto pro natione Veneta, medicinam multa cum laude faciebat, extrahendi lapidem hunc modum à priori ſatis diverſum mihi literis ſignificavit, his verbis. *Aliud etiam ſatis ſcitu dignum tua Excell. narrare non omittam, eſtque modus aliquis è veſica lapidem extrahendi ſine inciſione, hic à quodam Arabe viro Chriſtiano Sajetico ad quendam Chriſtianum Cophtum vocatum, ab hinc nonnullos menſes operatus. Atque is eſt hujuſmodi. Hic habet quaſdam cannulas, unam majorem altera, in modum muſici inſtrumenti Syringæ appellati, è ſubſtantia Cartilaginea, quæ facile dilatatur. Harumque graciliorem in virgæ canalem intromittit, figitque quoſque ad veſicam pervenerit, moxque ore inſufflando ipſam inflat quantum plus poteſt, poſteaque hac majorem, vel craſſiorem introducit, inſufflandoque inflat eodem modo, & poſt tertiam, vel etiam quartam omnium maximam. Et cum ſic iis virgam dilataverit, ut putet viam canalis fuiſſe ſufficienter dilatatam, per eamque lapidem exire poſſe, Ægroto in primis commode collocato, digitoque in ano poſito, lapidem ad collum veſicæ ubi majoris cannulæ extremitas pervenit, deducit; in cannulam lapidem conducere conatur. Quo facto altero cannulæ meatu ore ex-*

*cepto conatur ſpiritum ad ſe trahendo, lapidem ſimul trahere, qui ſi nimis craſſus ſit, ſæpe rumpitur, atque in fruſta attrahitur. veluti contigit ſupra dicto viro Cophto. Cui fruſtum, & reliquum lapidis admodum craſſum, & durum, intus remanſit, non eductum. Hic modus ſcitu eſt facilis; atque ab alio fortaſſis medico exercitaiori, & acutiori multo plus facilitari poterit, ac in meliorem atque utiliorem uſum reduci. quod multorum ab eo malo hominum infortunatorum auxilio ſumme efflagitandum ac expectandum eſſet.* Hactenus Roveretus. Ex his igitur cogito te recte audiviſſe binos hos modos, quibus Ægyptii ad extrahendos lapides è veſica utuntur. Addo aliam operationem, quam pro ſecreto in dyſentericis conficiunt; quæ res cum ratione, ut arbitror, demonſtrari non poſſit, tibi, qui omnia ex ſuis cauſis ſpectare ſoles, haud facile ſuadebitur: ſed cum ego una cum aliis ſæpe viderim ex illa operatione empirica fluxus dyſentericos interdum curatos fuiſſe, non ſinam te hinc aures ad alia retrahere, priuſquam hanc quoque audieris. Illi ſiquidem empirici hoc pacto fluxus dyſentericos ſanant, illoſque præſertim, qui diuturniores facti ſunt, minimeque aliis remediis ceſſerunt. Quod ut efficiant, primo hypochondria manibus molliter fricant, atque mox ſeſamino oleo, vel amygdalino dulci ea inungunt, digitoque poſtea intra umbilicum poſito, ipſum pluries circumvertunt, terque mane jejunis ea re repetita, aliquos dyſentericos ſanitati fuiſſe reſtitutos memini; hocque genus remedii familiariſſimum apud multos exiſtit, qui variis remediis ad dyſenteriam inutiliter tentatis, ad hoc veluti ad ſacrum confugiunt. Pauci tamen exiſtunt, qui recte hanc moliri circumvolutionem umbilici ſciant. Guiland. Secretum, teque una ridendum cenſeo, qui ipſum non modo verum credideris, verumetiam aliis confirmes. Caſu ſiquidem arbitror (ſi aliquis tamen unquam eo modo ſit ſanatus) accidiſſe, ut inde aliquis à dyſenteria ſanatus fuerit; veluti accidit, ut Socrate ambulante tonaret; hocque experimentum ex iis eſt, quæ cum nullam in ſe rationem habeant, nullo pacto ſunt credenda. Ni dixeris, eos defendendo, frictione hypochondriorum, atque inunctione juvari hepar, vel aliquod aliud membrum ſub ipſo locatum, quod bilio-

ſum

ſum humorum tenuiſſimum atque acrem, acrimonia, vel ſalſedine inteſtina abradentem, vel exedentem, fluxum gigneret, ad inteſtinaque ipſa demandaret, vel humorem illum tenuiſſimum ea frictione, & inunctione digeſtum reſolvi, vel ejus fluxionem ad inteſtina diverti, vel umbilici illa præſtita digito circumvolutione motioneve, inteſtina mota in meliorem ſitum mutari, ex quo non ſint fluxioni ita obnoxia. Sed de aliis loquamur. ALPIN. Melicerides, Stheatomata, Atheromataque vocatos tumores, atque etiam ſtrumas optime ſecant, radicem avellentes. Carnem etiam, quæ palpebris adnaſcitur, maxima elegantia abigunt, palpebras in primis ſecando, & poſtea ſectionem conſuentes, & conglutinantes. Sed poſtquam de his à nobis ſatis dictum eſt, de dulcium balneorum uſu, quo non ſecus quam priſcis ſeculis, utuntur, atque de frictionibus, & vomitibus, qui in balneis fiunt, dicendum eſt. GUILAND. De his quoque libentiſſime nunc te audiam, horumque ſermo mihi erit gratiſſimus, neque minorem nobis afferre poſſe utilitatem arbitror, quod hoc genus remedii apud nos minime nunc ſit in uſu, atque etiam quia ipſo pluribus morbis mederi ab antiquis proditum ſit: proinde, ut de eo loquaris, nunc à te vehementer peto.

## CAP. XVI.

### *De uſu dulcium apud Ægyptios balneorum.*

### ALPINUS GUILANDINUS.

QUEMADMODUM populi frigidarum regionum multa habent, quibus ad calorem conciliandum familiariſſime, uti ſolent, ita calidarum, ad refrigeranda corpora multis itidem utuntur. Ex quibus Ægyptii inter multa ad id excogitata, qualia ſunt fontes multi, domorum tubæ ſuperius recitatæ, ad ipſarum refrigerationem inventæ, terrenæque habitationes, balnea quoque ex dulci aqua parata, in uſu habent frequentiſſimo, tum ad refrigeranda corpora, tum ad varium illorum orna-

natum. GUILAND. Arte illa ibi parari exiſtimo, quando Ægyptus (ut audio) ſponte natis balneis nunc plane careat. Proinde ſi ita eſt, ea mihi ſedulo narrato. Atque an ex aqua ſimplici, qualia priſcis antiquis medicis in uſu fuerant, an potius medicata illa parentur. ALPIN. Arte ſane ab illis parantur, ex dulcique aqua Nili fluminis clarefacta, eaque ſimplici, minimeque medicamentis alterata. Sed in primis balneorum loca tibi in memoriam revocanda cenſeo, ſiquidem te olim Cayri, ac Alexandriæ, cum tu ea loca inviſiſſes, multas, fereque innumeras ædes magnifice pro balneorum uſu conſtructas, inſpexiſſe intellexerim. Dicam præterea quot, ac qualibus cameris ſive cellis eæ conſtent, atque aërem in ſingulis quomodo illi calefaciant, qualiſque calor eo in aëre ſentiatur. GUILAND. Domus eæ balneorum, ſi recte memini, multis cellis inter ſe diſtinctis conſtructæ erant, in quibus homines ſudabant, fricabantur, atque lavabantur. Permagnaque in ipſarum medio tanquam in domus centro cella extabat, in qua homines lavandi nudabantur, veſteſque omnes reponebant: quam ſpoliarium vel Apodyterium noſtri appellant. Aliæ vero cellæ omnes ea cauſa conſtructæ erant, ut in iis lavarentur: ſpoliariique aër temperate calidus eſt, atque humidus, ipſeque aliarum cellarum calidor ita, ut variæ cameræ varium aërem quoad calorem haberent. ALPIN. Recte meminiſti, innumeras permagnas ædes ibi pro balneis paratas ſpectari, multis variiſque cameris inter ſe diſtinctis, præditas, eodemque modo, ut tu dixiſti, conſtructas atque ordinatas, ut in qualibet camera idoneus, quoad caliditatem, aër eſſet pro variorum corporum uſu vario paratus. Namque varia hypocauſta, ſive cameræ varium, quoad caliditatem, aërem habent, ut variis corporum temperamentis auxilio ſint. Nam factæ ſunt pavimentis marmoreis, emblemate conſtructis; duoque labra marmorea, quilibet illorum locorum obtinet, in quæ aqua ex alto decidit. Tectum ſive culmen illa habent orbiculari forma, ex vitreis luminibus perbelle laboratum, undique concluſum, ne aër aliquis ingrediatur. Hypocauſta illa calfaciunt calentis aquæ vapore in ſingularum labra elabentis. Non enim, ut noſtri, igne illorum balneorum

aërem

aërem calfaciunt, ſed humidis calidiſque aquæ calidæ vaporibus loca illa complentibus. GUILAND. Cum varia corpora variis indigeant balneis, quippe ipſorum alia multum calidis, & alia moderate, aliaque tepidis, atque demum alia etiam frigidis, qualia hecticorum eſſe Gal. in lib. 7. meth. med. ſcriptum reliquit, quæſo an non illa omnes has partes obtinent, quippe ut corpora variis illis modis alterare queant? ALPIN. Balnea illa calida, tepida, frigidaque quolibet tempore, quando quis velit, ibi reperiet. Sed plerumque ea balnea ſunt temperate calida, quandoquidem præcipuus uſus ſit, apud pleroſque ad refrigeranda, humectanda, evacuanda atque munda corpora. GUILAND. Recta ſane ratione calidarum regionum incolas tepida balnea ex dulci aqua parata cupere dicendum eſt, quando ob aëris ambientis inſignem caliditatem corpora inflammentur, areſcantque, quæ utique dulci aqua irrigata, ac humectata refrigerantur, & humectantur, cutiſque eorundem corporum meatus relaxantur, denſatique aperiuntur, exindeque naturalis calor per eos difflatur, refrigeriumque capit. Sed his obiter dictis, cupio ex te audire omnes illorum balneorum uſus apud eos populos frequentatos. ALPIN. Balneis illis ea gens utitur ad corporis ornatum, atque ad multos morbos ex plenitudine humorum prohibendos, demumque ad multos varioſque obortos etiam morbos abigendos. Hos vero omnes uſus tibi ordine libenter narrabo, ab eorundem uſu ornatus gratia comparato, exordiens. GUILAND. Atque ego libentiſſime hac de re te dicentem audiam.

## CAP. XV.

*De uſu balneorum dulcium pro ornatu corporum atque quid mulieres, ad pinguefacienda corpora in ipſis moliantur.*

### ALPINUS.

A PULVERIBUS, qui Ægyptiis fere toto anno, ventorum, terræque ſiccitatis occaſione perpetuo familiares

exiſtunt, atque ab aſſiduis ſudoribus, quibus cœli calore omnia corpora continue abundant, illuvieque quadam immunda redduntur, atque fœtentia, ex quo pleraque ipſorum, & fœtere & pediculis abundare ſolent, Balneis omnes hi populi utuntur familiariſſime, pro corporum abſterſione, maximeque mulieres, quibus curæ magis eſt corpora ipſarum, pulchriora facere ipſorum illuviem, & fætorem corrigentes, ut cariores ſint ſuis viris. Eæ etenim ſæpiſſime corpora in iis lavant, & mundant ab illuvie, perlotaque variis ornant odoribus, ut recte unguentis oleant. Ac veluti Italiæ mulieres, atque aliarum multarum etiam nationum ad capillorum, facieique cultum omne adhibent ſtudium; ita Ægyptiæ capillorum cultum negligunt, ex conſuetudine omnes capillos in burſam ſerico panno paratam concludentes, ac ad pudendorum, abditarumque corporis partium ornatum omnem diligentiam adhibent, Pudendis igitur tota cura in balneis ab iis adhibetur. Ea ſiquidem in primis lavant, piliſque nudant, locaque pudendorum perpetuo glabra geſtant, turpeque ibi eſt mulierem pilis obſitam vulvam habere. Demum lotas eas partes, glabraſque effectas variis unguentis etiam exornant, Muſco, ſcilicet, Ambra, Aloë, Zebet, ſumptum ferre potentes; aliæque aliis unguentis recte olentibus, quæ ibi viliori pretio ubique venduntur. Copia unguentorum fere incredibilis in vulvæ ornatu, ejuſque corrigendo fœtore, ac ad coëuntibus voluptatem conciliandam, ibi continue diſſipatur. Guiland. Quæque regio ſuos mores habet, ibique omnes nimis libere Venere utuntur. Sed quid? nonne aliud in balneis iis præter ornatum moliuntur? Alpin. Multæ etiam pinguedinem in iis procurant: gracileſque præſertim ita ibi carnis vitium hominum medullas invaſit, quando mulieres, quo carnoſiores, & pinguiores ſint, eo libentius à viris expeti putent. Ex quo ibi plurimas pinguiſſimas reperies: quid turpius corporum obeſitate ob ſceleſtiſſimum carnis vitium, effrenemque libidinem deſiderari poteſt? Quod vitium ita ibi frequentatur, ut illarum plurimæ perinde ac ſues cernantur pinguiſſimæ humi recumbentes, maximeque Hebreæ, quibus iſtud vitii aliis familiarius obſervatur. Quod ut obtineant, mul-

multis diebus, dulcibus tepidis balneis indulgent, in iiſque diu morantes, comedunt, potant, clyſteribuſque ibi ex variis pinguedinibus ac adipibus paratis utuntur, multaque etiam medicamenta per os aſſumunt. GUILND. Recte ſane videntur pro pinguefaciendis corporibus, uſum illorum balneorum, à cibo, aſſervare, Quod Gal. in lib. 14. meth. med. his verbis docuit. *Ceterum quibus totum corpus extenuatum; iis lavari quoque poſt cibum eſt idoneum.* Quod ſane etiam nobis ratio perſuadet, quando dulci illo balneo à cibo adhibito, ad cutim plurimum alimenti trahatur, atque deducatur, ut Hippoc. & Gal. in lib. de Salub. diæta prodidere. ALPIN. Verum iſtud eſſe ſæpe experientia didici: plures etenim mulieres illorum balneorum multis diebus à cibo uſu frequentato, pingues evaſiſſe vidi. Atque in hæc balnea præcipuam ego cauſam confero, qua illiuſce calidioris cæli corpora pleraque habitum pinguem obtineant. Cum tamen cæli ratione gracilia potius, quam pinguia eſſe debuiſſent. Hincque Galen. in libro 7. de Compend. med. ſecundum loc. dixiſſe, dulcium balneorum uſu corpora reddi effœminata. At dubium eſt, quomodo gracilia corpora eorum uſu balneorum poſſint pinguefieri, cum potius contrarium arbitrari quiſpiam merito poſſet, quippe ab illis balneis plurimis largioribuſque vacuatis ſudoribus potius corpora vacuata gracileſcere, quam craſſeſcere deberent. Pinguia enim à plurima aliqua vacuatione contabeſcere, certum eſt. GUILAND. Balnea, quibus mulieres eæ pro impinguefaciendis corporibus, utuntur, tepida exiſtunt: quando calida in triplici ſint caloris differentia, etenim illorum quædam multum, & quædam parum calida ſunt, hæc tepida, atque illa calida medici appellant. Tertio ſunt alia medio modo ſe habentia, quæ ſcilicet temperate calida exiſtunt. Quorum omnium balneorum Galen. in libro. 3. de ſanitate tuend. facultates ac vires his profecto verbis prodidit: *Dulcium calfactarum aquarum ſi media temperie ſint, vis calida, & humida eſt: Sin tepidiores ſint. humida & frigida; quod ſi juſto calidiores fiant, calida quidem, ſed non perinde humida.* Ex quibus dixerim, eos, qui pinguefieri volunt, balneo dulci tepido uti oportere, quali ex te audio mulieres illas uti.

Cap. 14.

Text.com. 14.

Cap. 4.

Ce-

Cetera enim ſua caliditate vim habente reſolutoriam, vel vacuatoriam, potius ad gracilitatem, quam craſſitiem comparandam corporibus conducunt. ALPIN. An non præcipua cauſa eſt, quam naturales proximam appellant, & materialem, ex qua corpora craſſeſcunt ac pinguefiunt, copia multa humiditatis? GUILAND. Facile cognoſcitur, cum mulieres viris ſine dubio humidiores, etiam ipſis corpora pinguiora obtineant, & crapulis, ocioque indulgentes aliis ſint pinguiores. Qui enim multum comedunt, atque potant, quod multum pinguedinis alimentum aſſidue ſuppetat, ceteris pinguiores merito fiunt. Sed qualis ſit hæc humiditas, ex qua corpora pingueſcunt atque quomodo ipſa in corpore concreſcat, Gal. in 2. lib. de temp. hiſce verbis prodidit, dicens: *Quidquid in ſanguine pingue, leve & tenue eſt, id in calidioribus corporibus alimentum quodam calido fit, in frigidioribus ſervatur, cumque id venæ extra ſe tranſmiſerint, ubi in frigidas particulas incidit, quod genus membranæ ſunt, circum eas concreſcit; in partibus vero natura calidioribus, cujuſmodi carnoſæ ſunt, à calore ipſo abſumitur, ac digeritur, niſi ſic ubi frigiditati temperamenti etiam vita indulgentior accedens ipſis carnoſis particulis aliquid adipis allinat.* Cauſas, quibus corpora pinguia fiunt, probe Gal. attuliſſe, cenſeo: etenim ad gignendam pinguedinem, ac adipem, concurrere debent alimentum pingue, leve, & tenue, atque calor remiſſus, vel frigiditas partium, in quibus adeps ac pinguedo concreſcunt. Hæc, inquam, duo, alimentum, atque partium frigiditas, ad impingueſcenda corpora ſunt neceſſaria. Citra pingue alimentum nulla pinguedo fieri poteſt, ideo ipſum ad id efficiendum neceſſario, ut materia concurrit, A diminuto vero calore, quod frigus vocare poſſumus, id alimentum in adipem ac pinguedinem concreſcere, docent corpora frigidiora, quæ facilius calidis impingueſcere ſolent. Ex quo Gal. dixit, corpora latioribus majoribuſque venis prædita difficilius pinguefieri, quod ea valde calida ſint, frigida ſiquidem parvis venis gaudent, atque ab eo calore, pinguedinis, adipiſque alimentum abſumitur. Et parvarum, anguſtarumque venarum corpora ob oppoſitum temperamentum, quippe frigidum, impingueſcere quam faciliime,

quo-

quoniam in his multum ejuſce adeſt alimenti (quando parum ex eo conſumatur) quod ob frigus non diſſolvitur, faciliuſque concreſcit. ALPIN. Cui mirum, mulierum Ægyptiarum corpora alimento craſſo ac pingui referta, balneorum tepidorum uſu refrigerata, in balneis ad cutim deducto, & coagulato alimento, carnem ac adipem acquirere? GUILAND. Quæſo, omnia, quæ illæ in balneis, ut pinguefiant, moliuntur, mihi nunc paucis narrare non te pigeat. Ea ſiquidem etiam audiviſſe ſumme jucundum erit.

## CAP. XVI.

### *Quæ Ægyptiæ mulieres in balneis factitent, ut ipſarum corpora pingueſcant.*

### ALPINUS.

Mulieres Ægyptiæ multa factitant in balneis, ut pingues evadant, quæ omnia utramque nuper dictam pinguedinis cauſam reſpiciunt, eamque præſertim, quæ pinguedinis alimentum ſuppetit: Multa ſiquidem agunt, è quibus multum humorem pinguem generent, ex quo multa fiat pinguedo, balneique calida vi ad cutim deducere ipſum ſtudent, in qua tepido balneo refrigerata concreſcat. Potant itaque ob eam cauſam jura multa variis ex adipibus, & pinguedinibus parata. Bammia melochia, & Culcaſſia alterata; nam his viſcoſiora redduntur, ex quo facile partibus adhærent. In uſu familiariſſimo apud multas eſt jus gallinarum pinguium, Maluph ab iis appellatarum, vel nigrarum arte pinguefactarum. Ipſum etenim totum ex unica gallina confectum unaquæque mulier potat, totamque gallinam in balneo comedit. Multæ ex pauperculis fæcem olei ſeſamini, quam thaine vocant, vel oleum ex Indicis nucibus expreſſum, vel chinæ radicis decoctum, carne nuper dictarum gallinarum ſimul cum Indica nuce percoctam epotant, vel oleum ſeſaminum, in quo ſit diſſoluta nux Indica, vel expreſſum ex piſis, fructibuſque terebinthi, & amygdalis

 dul-

dulcibus, nucibus avellanis, & piſtachiis. Comedunt etiam adhuc multa, gallinas quippe arte pingues factas: nucemque Indicam in jure diſſolutam, ac in maſſam redactam. Sed ex omnibus pro ſecreto habent ſingulo die, dum eunt dormitum, ad decem vulgares bulbos, pro hermodactilis à noſtris pharmacopæis receptos, quos aliqui potius Colchicum eſſe autumant, contoſtos mandere, eoſque pluribus diebus, quidecim ſcilicet & viginti ad uſque, frequentant. Ex quorum uſu, quod noſtris mirum videbitur, nihil vel per alvum, vel vomitum evacuantes, minuſque aliqua moleſtia mulieres vexantur. Guiland. Hinc noſtros falſis uti hermodactilis, cognoſcitur, dubiumque etiam ſit, eos eſſe Dioſcoridis Colchicum, cum per os ſumpti nullam noxam inferant, minimeque ſtrangulent. Niſi loci diverſitate illi collecti aliam à noſtris facultatem obtineant, minimeque venenoſam. Sed hæc omittamus, atque tu reliqua dicito. Alpin. Nulla alia ſunt à te hac de re audienda, quam quæ à doctiſſima medica Ægyptia, publice per urbem Cayri mulieres olim artem pinguefaciendi profitente, audivi. Ex quibus omnibus aliqua fortaſſe ex artis medicæ principiis ad hoc negotium deſumpta cognoſces. Guiland. Gratum erit hæc ex te etiam audire, Alpin. Aliquæ in balneo hoc oleum epotant. Accipiunt ſarcocollæ, olei ſeſamini an. libram mediam Mirabolanorum chebul. XIII. Citronorum XII. omniaque probe contuſa cum oleo miſcent, ſinuntque ſic permanere, quouſque in ea maſſa niger color cernitur, moxque colant, & reliqua ſiccari ſinunt, oleum hoc totum in balneo unica vice calidum bibunt, reliquaque in pulverem tenuiſſimum redacta cum vino dum eunt dormitum, aſſumenda pluribus diebus exhibent. Aliud, quod eodem modo factitant. Accipiunt piſa, amygdalarum dulcium, pulpæ nucum avellanarum, piſtachiorum an. dra. 6. fructuum terebinthi, pulpæ nucis Indicæ an. dra. 3. omnia ſimul contundunt, ab ipſiſque oleum exprimunt. Quod quatuor vicibus in balneo bibunt, & quæ remanent ab expreſſione, quatuor iiſdem diebus euntes dormitum devorant. Aliud. Accipunt gallinam nigram probe pinguem ac carnoſam, in cujus ventrem injiciunt avellanarum contuſarum,

rum, amygdal. dulc. piſtachiorum pineollorum, ipſorum an. dra. 3. quam hoc pacto paratam in aqua concoquunt, ipſamque percoctam unica die in balneo mulier una totam comedit, ejuſque jus, in quo etiam ſarcocolla ebullivit, abſorbet, pluribuſque diebus hoc mulier pinguefienda factitat. Eodem fere modo aliam concoctam gallinam eandem comedunt, & ejus jus bibunt. Sed prius tritici mundi in aqua cum driaſmagarb uncia una decocti libram unam comedendam, exhibent. Quod dum ipſa comederit, ab ipſis decapitatur, & coquitur, totaque in balneo comeditur, & jus totum bibitur. Idem factitant aliæ, ſed alio modo gallinam coquendam præparant, nam piſa, & triticum ad libram ſemis in aqua decoctum gallinæ comedendum exhibent, quod ubi totum comederit, decapitatam decoquunt, ſolamque comedunt, ejuſque jus bibunt in illa die, quinquieſque, hoc illæ factitare ſolent. Aliæ iis non contentæ, addunt uſum variorum clyſteriorum, quibus in balneo non bis unica die, ſed ter quaterque utuntur: quos aliæ ſola pinguetudine urſi præparant, aliæ hoc clyſtere uti ſolent. Accipientes pinguedinis urſi dra. 3. olei ſiris. id eſt, ſeſamini dra. 3. furfurum triticearum man. II. quos furfures in aqua calida per aliquod tempus infundunt, à quibus mucilago exprimitur, qua adipi oleoque permiſta clyſterem faciunt. Ex his, quibus extra balneum utuntur, hæc à multis factitari ſolent. Siquidem ante prandium exhibent quaſdam pilullas ita paratas. Accipe mirabol. Indorum pulverizatorum dra. I. jujubarum ab oſſibus mundatarum, dra. 3. ex quibus una commiſtis fiunt pillullæ. Aliæ conſueſcunt ſingulis diebus per plures dies, ubi eunt dormitum, devorare quinque mirabolanos Indos, ad uſque etiam ſeptem. Vel aliæ eorundem prius intra pulpam unius batech, per noctem *maceratorum*, unciam ſingulis diebus ante prandium devorant. Aliæ etiam dum eunt dormitum ſingula die ſumunt mirabol. citrinorum pulverizatorum unciam, miſtam cum fæce olei ſeſamini atque ſaccharo candido. Aliæ ſumunt gummi draganthi unciam ſemis, quod infundunt in modico aquæ per horas duodecim, cui admiſcent ſacch. candidi tantundem, atque ubi dormitum eunt, devorant, pluribuſque diebus factitant. Aliquæ

armonicaco utuntur pluribus diebus, ejus drag. ſemis aſſumentes, Demum aliquæ in balneo novem diebus ſumunt fellis vaccini chirat in aqua calaf diſſoluti. Nonnullæ ex nobilibus utuntur in balneo, decocto radicis chinæ, nucis Indicæ, atque colocaſſiæ radice alterato, viginti diebus, & plus; ex quo auxilii genere plures vidi emaciatas mulieres pingues evaſiſſe præſertimque parato in pingui gallinarum jure. Pauperculæ multis diebus ſimplicem aquam, in qua per noctem infuſa fuerit ſeminum fœnu Græci, atque zizib Cretici ſemuncia, cum eunt dormitum potant, prius fænu Græcum, & zizib comedentes. Hæc ex Ægyptia medica illa muliere, quæ pinguefaciendi artem publice per urbem profitebatur olim audieram.

## Cap. XVII.

### *De dulcium balneorum pro ſanitate corporum apud Ægyptios uſu.*

### GUILANDINUS.

Habeo tibi gratiam, qui ad pinguefacienda mulierum corpora ſecreta mihi etiam communicare volueris, quæ neque prorſus nobis fore inutilia ſpero; nam multa materiam ex qua pinguedo fit, reſpiciunt, & dulcium balneorum tepidorum uſus adjuvat attractionem illiuſce alimenti pinguis ad cutim, in qua refrigerata facile toto illo pingui alimento concreſcente, pinguedo fit. At tempus eſt, ut tu eorundem balneorum uſum non ad corporum ornatum, ſed magis ad ſanitatem apud eas gentes utilem etiam narres. Scio etenim illos populos plurimum illorum balneorum habere uſum, tum ad ipſorum tuendam, tum ad vitiatam corrigendam, atque denuo reſtituendam ſanitatem: proinde de uſu illo te in primis loqui, quo ſe à morbis præſervant, deſidero. Alpin. Uſus illorum balneorum maximus ibi ſervatur ad eos, qui ex itinere inflammantur, ipſorumque cutis areſcit, ac conſtipantur meatus: his ſiquidem utentes, refrigerantur, atque humectantur. Quando talis ſit illo-

illorum temperies, Galeno in tertio, de ſanit. tuend. docente, ut refrigerent ac humectent, corporaque illorum difflantur; iis etenim ita affectis mirum in modum ea balnea conducunt. Quod in multis ſæpiſſime cernitur, qui ab itineribus calidorum locorum, arenoſorumque, in quibus nihil eſt, quo ab urente Sole illi deffendantur, inflammati atque exuſti illis tepidis balneis utuntur. At non ſolum ab externa cauſa inflammatis exuſtiſque corporibus uſus illorum balneorum magnopere conducit, ſed omnibus quoque ex jecore immodice calido ita affectis. Qua de cauſa ſæpiſſime corpora immodice calida, ac exuſta ea ingrediuntur, atque ipſis lavantur. Omnes etiam, qui ex quacumque cauſa in meatuum cutis obſtructionem inciderunt, libere iis utuntur, calidis; qui ex frigiditate; tepidis, qui ex uſtione, & ſiccitate id paſſi ſunt. Multi vero iis balneis utuntur vacuationis gratia, quando ipſorum corpora plurimo ſanguine redundant, ita ut ab ea plenitudine morbus aliquis oriri poſſit. Trifariam itaque illi plenitudini ipſorum corporum providere balneorum uſu aſſolent, ſiquidem alii in iis ſudando, alii vomendo, aliique perfrictionibus ad univerſas corporis partes adhibitis plenitudinem tollere conantur, & alii etiam omnibus iis tribus modis vacuantur. Horum plerique ſemel in menſe iis vacuationibus utuntur, aliique non pauci bis ſaltem. Sunt qui ſingula hebdomada id facere ſtudeant. GUILAND. Quam tuto illi has omnes vacuationes in balneo exercere queant, non intelligo: quamquam recte noverim, quam utilis ſit vomitio multis facile vomentibus, maximeque bilioſis atque per æſtatem, quando hac vacuatione ſtomachus ab excrementis multis mundetur. Multos etenim novi à podagra, renumque calculis vexatos, vomituum crebro uſu magnopere juvatos, eodemque modo, & exudatione atque frictione vario tempore uſitatis idem multis contigiſſe. Sed quam, inquam, tuto eodem tempore ſimul halitus reſolutionem, exudationemque, atque vomitum quiſpiam poſſit perferre, non recte intelligo. Etenim naturam à multiplici illi vacuatione haud levem jacturam ſubire, ſtomachique præſertim calorem nativum, ejuſque omnes functiones in deterius abire poſſe dubitarim. Stomachi naturalis calor in

ambiente calidiore multum exolvi ex Hipp. colligitur, qui dixit in Aphoriſmis: Hyeme ventres eſſe calidiſſimos, & æſtate frigidiſſimos. Neque immerito, cum multus ambientis calor naturalem calorem diſſipet ac reſolvat. Corporaque in ſumme calido cœlo degentia continuis vacuationibus ſubjiciuntur, ex quo mirum haud eſt, ſi multis, atque magnis non egeant vacuationibus, vel potius eas non recte perferant. Hincque doctiſſimus ſenex Hippocrat. ſub canem, & ante canem fugiendas à medicis vacuationes inſignes prodidit, hac eademque ratione, quod puerorum corpora præ multo calore habent unde vacuentur; magnis vacuationibus inepta eſſe Gal. pluribus in locis ſtatuit. Cui igitur dubium erit, ſtomachum in balneo ab illis multis vacuationibus lædi oportere, atque exinde admodum imbecillum ad concoquendum evadere, ejuſque calorem tum à calore balnei ipſum foras evocante, tum ab halitus reſolutione, exudatione, vomitione, admodum pati? ex qua illiuſce membri labefactatione quamplurimos Ægyptiorum iis vacuationibus ſæpe indulgentibus, ad concoquendum ventriculum ineptum habuiſſe, atque crebrius, familiariuſque ejuſce membri cruditatibus acidis vexari minime miror, etſi non hanc ſolam cauſam illiuſce membri ſuſceptæ imbecillitatis eſſe certo ſciam, ſiquidem à venere immoderata, ciborumque refrigerantium atque aquæ crudæ in potu uſu, etiam ſtomachum multis lædi ex te ipſo audierim. Alpin. Vomere nihilominus in balneo humido homines facilius poſſe, cum id ſtomachum relaxet, ad motumque accommodatiorem reddat, nemo ſane contendet. Hacque vomitione homines à multis morbis defendi, vel præcaveri poſſe itidem ſæpius à multis comprobatum eſt. Illo vero crebrius frequentato homines ventriculo imbecillitatem aliquam comparare veriſſimum eſt, quando hujuſcemodi membrum ex validioribus crebrioribuſque his motionibus, fieri non poteſt, ne modo aliquo laxetur debiliteturque. Poſſe vero aliquando eodem tempore ſimul hominem in balneo multiplices illas innoxie ferre vacuationes, experientiæ repugnare non videtur. Quando, & naturam id ſæpe in multis ægrotis feciſſe obſervatum ſit, ex quo non videtur omnino à ratione alienum, medicum,

cum, qui ommimodo naturam ſemper imitari debet, quique hinc ejus imitator à Galeno in Aphoriſmorum Hipp. Comm. vocatus eſt, itidem in homine aliquando multiplici ſimul eodem tempore uti poſſe vacuatione. GUILAND. Verum dicis, nam & Hipp. in multis ægrotis id plane ſe obſervaſſe in libris epidemicis memoriæ prodidit. Etenim in primo lib. de Metone, ſcripſit, ipſum quarta die ſanguine è naribus atque ſudore decretorie vacuatum fuiſſe. Et mulierem trimeſtri fœtu ægrotam decumbentem & qui in Deulcis horto, exudatione, alvique pituitoſa excretione. Virgineſque Abderæ, & Lariſſæ ſanguinis ſudoriſque eruptione. Si itaque ægroti poſſunt innoxie multas aliquando ferre eodem tempore vacuationes, cur non multo tutius recte valentes, præcavendi à morbis cauſa? Quinimo hoc neceſſarium videtur pro molienda alicujus corporis univerſali vacuatione, medicis eſſe, quando varii purgandi humores varios vacuationis modos expoſcant, tenues etenim ichoroſi humores per urinam, inſenſibilem tranſpirationem, exudationemque facilius, præſertimque in univerſo venarum ambitu contenti, vacuabuntur, quemadmodum pituitoſi ac melancholici per alvum, & per vomitum bilioſi. ALPIN. Dico itaque non male Ægyptios aliquos aliquando tollenda univerſali plethora ſimul uti vomitione, ſudatione, atque frictione. Non omnes vero iis omnibus ſimul utuntur, aliquibus ſola vomitione ac exudatione contentis, & aliquibus ſola exudatione, & frictione totius corporis. Plerique vero, quibus non eſt difficile vomere priuſquam ſudent, & fricentur, copioſa excitata vomitione, in primis ſtomachum à cruditatibus multis, atque etiam aliis humoribus vexatum exonerant. Ut vero quiſque vomat, ad decem uſque libras aquæ, in qua glycirizæ radix, ſeminaque fœniculi ſint percocta, epotat, cum qua evomit multa, & quam facile. Sed illi tamen ea multum juvantur, quique, & facile vomunt, atque ſtomachum multis excrementis repletum habent. Difficulter vero vomentibus, quibuſque ſtomachus minime copia excrementorum redundat, neque tutus eſt, neque utilis, ſiquidem qui difficulter vomunt, non mediocre periculum ſubeunt, ne vena aliqua pectoris rumpa-

Com. 3.

Com. 3. text. 3.

patur, & viſus oblædatur, non minuſque fauces, columella, & gula inflammentur. Qui etiam duro ſtomacho conſtant, minimeque excrementis multis redundante, vomitus ipſum laxiorem facit, labefactat, aptumque facit ad recipiendam excrementorum quancumque redundantiam. Neminem ſiquidem latet, partes imbecilliores factas facilius ſibi ipſis mandata excrementa à robuſtioribus partibus ſuſcipere, neque fluxionibus obſiſtere poſſunt. Quamobrem iis neque tutum; neque utilem eſſe vomitum puto. GUILAND. Omnia veris medicinæ principiis plane reſpondere videntur, at de exudatione, & frictione, qua ipſi ita familiariter in balneis iis vacuationis, atque partium roborationis cauſa utuntur, velim aliquantulum agas. ALPIN. De exudatione haud multa ſunt dicenda, cum nullis ii medicamentis ſudores provocare ſoleant, ſed ſolo calido balnei aëre. Quo quiſque utens, large, & facile ſudat. De frictionum autem uſu prolixior ſermo futurus eſt, tum quoniam illi in iis peragendis magno ſtudio utuntur, tum quod ſunt omnibus admodum familiares; proinde de iis nunc prolixius loquar, quando de exudatione apud eos frequentata illud tantum dixiſſe ſat erit, quod illi poſtquam vomuerint, exudant: tempus autem exudationis, apud varios varie obſervatur, etenim aliqui horæ ſpatio, & alii binis atque ternis etiam horis ſudare ſolent; nunc vero de frictionibus ſermonem facere incipio. GUILAND. Recte facies.

## CAP. XVIII.

*De frictionibus, quibus Ægyptii in balneis utuntur.*

### ALPINUS.

Usus frictionum in balneis apud Ægyptios ita eſt familiaris, ut nemo ex balneo non fricatus abeat. Eas vero exercentes, hominem in primis horam fere in calido balneo commoratum, quo vomuerit, vel ſaltem exudaverit, in ſolio ſedere jubent, ac ſedentis omnes partes corporis manibus variis modis

dis pertractant, atque exercent. In primiſque à pedibus incipientes, eos antrorſum, retrorſum, ſiniſtrorſumque movent, & mox crura, & coxendices undequaque ter quaterque: poſtea ad manus exercendas pertranſeunt, quas itidem eodem modo moventes, ac manibus flectentes exercent, ſigillatim vero ſingulos manuum digitos, & mox cubitos, atque ab his humeros, & ſcapulas, ab hiſque collum primo, caput ſecundo, tertioque pectus atque dorſum, ut undequaque flectatur, ſtudent. Qua ſingularum partium motione finita, qua ſingulis ter, & quater fieri, contendunt, hominem ſupinum humi decumbere, atque hic diſtendi ſupra pavimentum (quod omnes cameræ habent ex lapillis marmoreis perbelle paratum) jubent, corpuſque univerſum molliter fricare deorſum verſus a pedibus incipiunt, inprimis anteriorem univerſi corporis faciem, molliter per ſingulas partes perfricantes. In hac vero univerſali frictione tribus frictionum generibus utuntur. Prima etenim, quam moliuntur eſt mollis, mediocris. Secunda mediocris ac multa. Tertia eſt dura, & mediocris. In perfricanda vero tota anteriori corporis facie, à pedibus, ut dictum eſt, exordiuntur, ipſorumque omnes muſculos per rectum, ſive per ipſorum longitudinem, manibus ſuperne deorſum dimotis, ab articulo ad articulum pertractant, quod illi tanta concinnitate, & peritia perficiunt, ut non fricatum nullum articulum relinquant. In primis itaque anterioris faciei pedum omnes muſculos mediocriter, ac molliter volis manum fricant, ſimulque etiam omnes articulos, & poſtea muſculos, malleolorum, tibiarum, poplitum, ac coxendicum, molliter, ac mediocriter fricant, & mox manuum, cubitorum, humerorum, & ſcapularum, & poſt hos, vultus, colli, pectoris, ventriſque interioris idem per omnes muſculos præſtant. Finita hac in poſtica corporis parte frictione, corpus in oppoſitum, vel contrarium mutant, ut poſterior pars recte fricetur, quam non ſecus, quam anteriorem perfricant. Atque hæc prima eſt frictionum differentia, quam primo in toto corpore exercent, quæ ut dictum eſt, eſt mollis, & mediocris, quam volis manum plerique operantur, & nonnullis inunctis oleo ſeſamino. Poſt hanc, paulo

 poſt

poſt ſecundam factitant, quæ inter mollem, & duram media, atque multa exiſtit, nam fit in nuper dictis omnibus corporis partibus prolixius, & durius, quam panno lineo crudo omnes exercere ſolent. Tertia, quæ poſtremo fit, aſpera, præduraque eſt, atque mediocris, hancque panno aſpero ex caprina lana parato præſtant. His tribus frictionum differentiis abſolutis, corpus univerſum à planta pedis uſque ad verticem capitis communi ſapone illi emplaſtrant, & deinde calido dulci balneo cutim lavant, atque ab ea immuniditias abſtergunt. A lotioneque pudenda pilis nudant, emplaſtro caſum illorum ſubitaneum præſtante. Demum pedes per horam emplaſtrant maſſa quadam ex pulvere archenda, & aqua communi parata. Pulvis hic fit ex foliis liguſtri Ægyptii, Alcanna, & Elhanna ab iis vocati. Hæc paſta mire humidis, & fœtentibus pedibus juvat, nam valenter ſiccat, adſtringit, ac roborat, ita multo adjumento ſit iis, qui pedes imbecillos habent. Colore etiam aureo eos exornat. Populares etenim mulieres conſuetudine ſibi manuum, pedumque ungues eo colore tingunt. Guiland. Uſus harum frictionum in illis balneis optimis medicinæ conſervatricis principiis recte reſpondere cognoſcitur, quando & Gal. in 2. lib. de ſanitate tuenda dixerit: *Frictio vim habet ſolvendi, ligandi, carnem augendi, minuendi. Nempe dura ligandi, mollis ſolvendi, multa minuendi, mediocris carnem augendi.* Atque ut audio pleraque Ægyptiorum corpora, multo ſanguine exuperant, quibus tum balnea, tum frictiones illas poſſe conducere arbitror, quod iis ipſorum plenitudo tollatur, exindeque corporis oborta gravitas, laſſitudineſque non minus, ipſiſque interim deperdita appetentia, roburque quam facile comparetur, Etenim in balneo primo calido, & humido corpora per inſenſibilem tranſpirationem, atque ſudorem tenuioribus ſuccis vacuantur, moxque contentos in muſculis, articuliſque motione, & frictionibus mollibus humores reſolvunt. Prima vero, quam in balneo tentant, frictio, quæ mollis eſt, cutem aperit, atque laxat, in qua multus ſanguis ex univerſo corpore trahitur, ex qua frictione mediocriter uſa is parum reſolvitur, caroque ab eo gignitur. Uſuſque ob id hujus frictionis apud mulieres,

ut

ut impingueſcant, ibi eſt affectatiſſimus, ea ſiquidem de cauſa à cibo molli frictione hæ utuntur; ut ex ea attractum alimentum non diſſolvatur, ſed in carnem, vel adipem vertatur. Secunda frictio, quæ mollis eſt mediocriter, atque multa, multum attracti ſanguinis reſolvit, & evacuat, cutaneoſque multo plus meatus aperit, & laxat, ex qua corpore multum tum vacuato, tum laxato, tertiam frictionem, duram, mediocriter ad ſiſtendam reſolutionem ac vacuationem, atque ad cutim denſandem atque firmandam. Duro etenim aſperoque panno ex caprina lana contexto, cutem parum vel mediocriter omnium corporis partium fricant. Apparet itaque illarum frictionum uſum non eſſe pro vacuandis corporibus omnino ſpernendum. Ceterum hinc non levis oriri difficultas videbitur, quando non æque illas frictiones omnibus corporibus, pro qualibet tollenda humorum plenitudine, conducere poſſe non immerito ſit ſuſpicandum: Siquidem humores calidi atque tenues, ſuapte natura, & quam facile per cutim vacuari queunt, frigidi vero ac craſſi nequaquam: quod Gal. in lib. 3. epid. his verbis docuit, dicens: *Sæpe enim dictum jam eſt, ut humores corporis calidiores tenuioreſque paratiſſimi ſint ad excretionem: Crudis vero & craſſis, aut per abſceſſum aut per ſympepſim, id eſt, concoctionem natura medeatur.* Ex quibus frigidis humoribus atque craſſis corporibus exuperantibus peſſime has frictiones poſſe conducere arbitror, quando ob craſſitiem per tenues corporis meatus illis permeatio non ſit commoda, veluti iis, quæ tenuioribus calidioribuſque abundant, multi fore adjumenti has affirmare poſſumus. ALPIN. Qamquam eam ob cauſam multi craſſis, frigidiſque humoribus exuperantes mirum in modum ab iis frictionibus lædantur, multoſque ego hac cauſa in difficiles viſcerum obſtructiones incidiſſe obſervaverim, & alios in putridas febres, nihilominus vomitibus copioſioribus, ut Ægyptii priuſquam fricentur, facere conſueſcunt, ſtomacho à cruditatibus probe purgato, illos innoxie ac tuto fricari eo modo poſſe dicerem. GUILAND. Cum, te affirmante, pleraque illorum corpora, ſtomachum ex ſuperius à nobis cognitis cauſis imbecillum atque infirmum obtineant, crebrioribuſque, cru-

ditatibus vexantur, non minuſque exinde continue ea corpora hypochondria habent aliquibus cruditatibus, ac flatibus repleta, non video, eos tuto fricari poſſe, etiamſi copioſius in balneo prius vomant: unica etenim die in multis multa redundantia excrementa, poſſe vomitu expelli non cogito, quamobrem cogito illas multarum obſtructionum occaſionem eſſe poſſe, ut ex Gal. lib. 4. deſanit. tuend. & 8. meth. med. proditum eſt. Averrhoeſque acriter Galenum, in lib. de ſanit. tuend. docentem febres ex cruditatibus ortas frictionibus curari debere, damnat, minime effugere poſſint. Caute itaque uſus ille vacuandi corpora per frictiones tractandus erit. Sed nunc tempus eſt, ut ad quos morbos tollendos iis utantur balneis, narres, quando jam ſatis ſuperque de his frictionibus à nobis dictum ſit: non deſunt rationes multæ utrique parti faventes, quibus earum uſus ſuaderi, & diſſuaderi poterit, quod noſtrum non eſt in præſentia comtemplari. Sequere itaque reliqua de uſu balneorum in curatione multorum morborum enarrare.

## Cap. XIX.

### *De balneorum apud Ægyptios uſu ad varios morbos perſanandos.*

### ALPINUS.

Balneis illis ex aqua dulci paratis, non ſecus quam antiqui utebantur, Ægyptii noſtri temporis ad varios tollendos morbos uti ſolent: nam iis interim humorum minuentes eo modo, quo dictum eſt, plenitudinem, corpora à multis morbis ex plenitudine ortis ſublevant: interim, cutis meatus adſtrictos, atque ex calore, vel frigore, vel ſiccitate conniventes aperientes, multas febres exinde genitas ſanant. Multis etiam morbis ex ſola ſicca & calida temperie, vel ex ſanguine, vel bili acutiori, vel ab exuſto humore obortis, opem præſtant. Multaſque

taſque tum internas, tum externas inflammationes perſolvunt. Etenim balnea illa, ubi volunt, vacuant humorum exuperantiam, cutis meatus laxant, aperiuntque, & inflammatas partes aliquando refrigerant, ac ſiccatas humectant, carnemque non minus à cibo utentes generant, atque ob id gracilioribus utiles exiſtunt. GUILAND. Pro quibus autem particularibus morbis, iis Ægyptii uti ſoleant, ſcire cupio. ALPIN. Uſum illorum exercent ad febres ephemeras omnes ex caliditate, frigoreque, nec minus ex ſiccitate obortas, atque etiam ad putridas quæ ex copia ſanguinis, bilis amaræ, atque exuſtæ oriuntur, ad hecticas quoque, & ad omnes inflammationes, melancholicas, variaſque cutis defœdationes, & ad luem veneream, ad ſuppreſſaſque menſtruas purgationes, atque etiam ad earundem immoderatos fluxus, ad opthalmias, hemorrhoidum dolores, & urinæ ſuppreſſionem. GUILAND. Mirum non eſt, ſi balneorum ille uſus, vel illorum morborum cauſis, vel ipſis morbis, dum recte omnia comparentur, eos prodere poſſit effectus; in febribus fere omnibus balnea ex dulci aqua parata uſum uſque in antiquis temporibus apud omnes præcipuos medicos, habuere, neque immerito, cum ea tali ſint temperie ac facultate prædita, qua calfaciunt, humectant, refrigerant, ſiccant, evacuantes per poros cutis, Gal. enim in 3, lib de ſanit. tuend. de iis dixit: *Dulcium calfactarum aquarum, ſi media temperie ſint, vis calida, & humida eſt: ſin tepidiores ſint, humida & frigida: quod ſi juſto calidiores fiant, calida quidem, ſed non perinde humida.* Ex quibus dignoſcitur illorum balneorum uſum febribus, atque inflammationibus etiam eſſe utiliſſimum. Siquidem omnes febres in hoc conveniunt, quod in calore & ſiccitate conſiſtunt, ſive ipſarum eſſentia ignea exiſtit, quam corrigere ac delere poſſunt tepida dulcia balnea, quippe quæ refrigerant atque humectant, ex quo omnibus febribus cauſis conjunctis carentibus ipſa valde conducere videntur, atque etiam aliis ſimul cauſas habentibus, quales putridæ exiſtunt, quæ pro cauſis, exuperantiam variorum humorum putridorum, atque vaſorum obſtructiones habent. In iis etenim etſi febrium ratione balnea conveniant, non tamen in principiis ipſarum,

quando prius febrium cauſæ ſint auferendæ, quæ fere contrariis medicamentis auferuntur. In Ephemeris vero febribus cauſis carentibus ſtatim in principiis homines in balnea tepida ducunt, veluti eos quibus una cum febre quæpiam etiam cauſa adeſt, qualis obſtructio cutis meatuum exiſtit, vel meatus iidem ex ſiccitate conſtipati, in eadem balnea moderate calida in primis ducunt, & mox in tepida, illis etenim conveniunt calida, quia aperiunt obſtructiones, quibus ſublatis, mox tepida conveniunt, & iis quibus cutis ex ſiccitate conſtipata remanſit tepida maxime conveniunt, quæ refrigerando atque humectando tum cauſam, tum morbum reſpiciant. Quod Gal. in lib. 8. meth. cap. 3. docuit, iis verbis: Quippe in prima acceſſione inclinante ducendi in balneo omnes ſunt: tum pinguiter ſimul ac molliter fricandi, ii quidem qui ex aliquo, quod cutim adſtrinxit, laborant, ſicut dictum eſt. Qui vero ex ſiccitate, fricandi quidem & ipſi, ſed parcius, lavandi autem uberius. Qualia vero illa ſint, quæ ad hecticas febres atque ad putridas, ex te nunc ſcire cupio. ALPIN. Uſus eorum balneorum apud eos non unus obſervatur, ſed multiplex, quando alii balneo utantur tepido, & alii frigido; eo profecto modo, quo Gal. hecticos lavandos docere in lib. 10. meth. med. videtur, attamen illis non valde frigidis utuntur. Tepidum balneum, quo utuntur, alterant lactuca, violis, loto Ægyptio ſcilicet nenuphare, endivia, ſunco, hordeo, coriandro, ſolatro, malva, foliis vitium, papavere, aliiſque refrigerandi, & humectandi facultate præditis. Hi vero obſervantes ex his frebrilem calorem hecticorum nihil diminui, ad frigidum balneum accedunt, ſenſim ac ſenſim ad frigiditatem per tepiditatis gradus aſcendentes; à tepido ſiquidem ad minus tepidum, & ab eo ad frigidum, & poſtea ad magis frigidum aſcendentes, corporaque tandem tota ſubito in aquam frigidam injiciunt, ut æque ſimul omnes partes corporis alterentur. In putridis etiam febribus, apud illos uſus balneorum eſt frequentiſſimus; eo etenim in omnibus tum continuis, exceptis peſtilentibus, tum intermittentibus familiariſſime utuntur, non tamen in principiis, ſed quando febres ſtatum adeptæ ſunt, vel declinare cœperint.

In

In his etenim calidis balneis ſingulis diebus ante cibum ægrotos immergunt, eoſque ibi per horam morari jubent. GUILAND. Corpora cruditatibus ſcatentia balneis uti non debere, Gal. pluribus in locis docuit, præſertimque in lib. 10. meth. med. quando ex balneo cruditates funduntur, ac liquantur, atque facile in viſcera fluere poſſunt, præſertimque ſi aliqua ſint imbecilla. Gal. etenim in balneis tria fore obſervanda præcepit, nempe ne, qui balneantur, aliquo pacto horreant, ſecundo, ne ullum viſcus imbecillum habeant; demumque, ne multitudo crudorum humorum in primis venis adſit: Quæ ab ipſo in lib. 2. meth. med. hiſce verbis docentur: *Tribus enim his in balneo, quod in quacunque febre adhibebis, intentus ſis oportet: uni quod citra horrorem ſit adminiſtratum: Secundo, quod nullum primæ notæ viſcus ſit imbecillum: Tertio, quod multitudo crudorum humorun in primis venis non contineatur. Horror namque (ut prius dictum eſt) non ſolum intendere eam præſentem febrem poteſt, ſed cum non fuit, eam interim excitare: Partes vero imbecillæ, liquatos jam humores magis recipiunt, quam antequam liquarentur: Crudorum vero humorum copia in totum corpus digeritur. Horum ſi nihil obſtet, ex balneis duo hæc ægro compendia accedant, & quod redundantiæ humorum aliquid vacuabitur, & quod multum febrilis calor tranſpirabit.* Quamobrem ex his colligitur, quomodo febricitantes balneis uti debeant, ut ipſis utilitatem afferant; ex quibus non video, quamobrem Ægyptiis corporibus, tantopere balneo conducere queant, quando alias ex te audierim illorum corpora fere continuo in primis venis multas cruditates habere. ALPIN. Verum eſt, at quis eſt putrida febre correptus, cujus nunquam ad vigorem vel decrementum etiam febris, venæ meſenterii cruditatibus minime repletæ ſint? idcirco illo tempore balnea neutiquam tuta eſſe, aſſero: ſed ubi illæ cruditates conſumptæ ſunt; qua ratione neque in principio acceſſionis, neque in incremento, quando neque cutis meatus pervii facti ſunt, neque excrementa digeſta, Gal. ægrotantes balneis uti debere meminit in lib. 2. meth. ita dicens: *Quo rationabilius nec in febrilis ſignificationis principio, nec incremento quiſquam ægrotantem lavit: quippe denſata eſt hoc tempore, coarctaque*

que

*que & cutis ipſa, & quæ ſub hac habetur, carnea ſubſtantia. At in febris inclinatione incipente, aut jam progreſſa, & nos ſæpe, & alii medici nonnulli multos ſæpenumero ægrotos lavantes, non parum his contulimus.* Quare cum Ægyptiis quoque ægrotantibus in primis duobus morbi temporibus, quippe in principio, & augumento, primarum venarum cruditates, quibus & ipſi exuperant, plane digerantur, meatuſque cutis, & carnis ſubſtantiæ aperiantur, balnea importuna, & noxia eſſe videntur; in aliis vero temporibus ipſa utiliſſima exiſtunt, præſertimque corporibus calidioribus, calidioribuſque febribus correptis, quibus uſus illorum balneorum familiarior, ac magis peculiaris ibi obſervatur. Etenim quamquam his balneis omnes indiſcriminatim febricitantes utantur, tamen corpora bilioſa, atque aduſta, quæ acrioribus excrementis abundant, igneis febribus correpta magis in familiari uſu illa habent. Neque id injuriâ, cum ſi ea temperata adhibeantur, non modo fuliginoſorum excrementorum acrimoniam, verum etiam totius maſſæ ſanguinis, hepatiſque præſertim fervorem ac acutiem compeſcant, evacuent, & humectent‘ cutimque laxant. Quare in bilioſis febribus, atque aduſtis illorum balneorum ibi jure merito eſt frequentiſſimus uſus. Corporaque illa in primis in aërem temperate calidum paululum verſari ſinunt, in quo exudant, atque cutanei meatus laxantur, mox oleo violaceo vel nenupharino ab eis inunguntur: & tertio in aquam tepefactam merguntur ſinuntque ibi tantiſper morari, quouſque aqua balnei omnem calorem amiſerit, frigidamque redditam ægri amplius innoxie ferre non poſſunt: qui e balneo educti linteis abſterguntur, atque exſiccantur, in lectuloque poſiti aliquantiſper dormiunt, mox cibo reficiuntur: in intermittentibus febribus, diebus tantum, quibus ægri febre non tentantur, in balneum ducuntur, ſpeciatimque in febribus amphimerinis, duplicibuſque ſpuriis tertianis; quartanis; in iis etenim tempore acceſſionum à balneis abſtinent, in tertianis vero exquiſitis, vel multum ad ipſarum naturam accedentibus, quotidie balneo utuntur, atque aliquando bis & ter, in corporibus graciliori ac ſqualidiori habitu, temperamentoque exuſto præditis, quotidie fre-

freqentant: neque mirum, cum Gal. de his in primo libro ad Glauc. tertianarum febrium curationem docens, dixerit: *Balnea vero calida ex aqua potabili proſunt, tum quia aliquid bilis educunt, tum etiam, quia ſua qualitate plurimum juvant: nam hujuſmodi omnia balnea humectant, ac potentia refrigerant:* atque hæc obiter de uſu balneorum in putridis febribus diximus, quibus illi nil minus familiariter utuntur ad plures alios morbos, nempe ad oculorum inflammationes: nec ad oculos modo ipſos, ſed ad univerſum corpus, ut corpora exſiccent, atque contemperent. Sunt aliqui, qui pluribus diebus in balneis illis exudantes, atque hepatis flammeam qualitatem iis contemperantes, à Gallica lue ſanari arbitrantur, qui quanto in errore ſint, poſtea cognoſcunt, qui intermiſſa victus ſobrietate, & uſu balneorum, quibus ipſorum corpora inaniebantur, ac ſiccabantur, rurſum eodem morbo ægrotant, iiſdemque ſymptomatis Gallicis conflictantur. Sed quid dicemus de melancholicis, qui his tepidis balneis tum in univerſum corpus, tum præcipue ſupra capitis ſuturam coronalem ſtillantibus perfecte ſanantur? de his ſatis. Ac ſi placet hoc tandem ſermone diem claudamus. Craſtina die polliceor me tibi viro doctiſſimo omnia tum ſimplicia, tum compoſita medicamenta, quæ apud eos in frequenti uſu exiſtunt, narraturum. Quorum hiſtoriam non minus, quam cetera hucuſque à nobis tradita, utilitati, & voluptati fore judico: finem igitur hodierno ſermoni imponamus. GUILANDINUS. Satis loquendo ambo defeſſi ſumus, ut nunc conſultius ſit, paululum quieſcere. Libentiſſime te cras mane expectabo, ut medicamenta, ab ea gente uſitata ex te etiam audire queam. Vale. Cap. 7.

FINIS LIBRI TERTII.

# PROSPERI ALPINI
## DE
# MEDICINA ÆGYPTIORUM.
## LIBER QUARTUS.

### Cap. I.

*De medicamentis alterantibus, quorum eſt apud Ægyptios uſus.*

### GUILANDINUS.

ORTO Sole, quando jam in locum noſtris ſermonibus conſtitutum oportune venimus, ne tempus fruſtra conteramus, cum multa hodie de medicamentis ab Ægyptiis uſitatis nobis dicenda ſuperſint, jam de his ipſis ſermonem aggrediare. In primis vero illa medicamenta, quæ pro alterandis corporibus, & mox purgandis ea gens ſequitur, mihi prius narrato: ſpero enim illos medicos aliqua ex illis in uſum habere, quorum notitiam, & novitate rei, & eximia utilitate, mirum in modum nobis profuturam, voluptatique futuram arbitror. Expecto itaque de his nunc, ut loquaris. Alpin. Quamquam nihil fere habeam, ex his, quod tuis auribus dignum eſſe judicem, nihilo-

minus,

minus, ne laborem ſubterfugere videar, quæ per hos annos ibi medendo obſervavi, tibi dicere non recuſabo: Quæ qualiave ſint, tu quoque facilius conjectura aſſequi potes. Situs enim locorum, hominumque loco habitantium perſpectæ ac cognitæ naturæ, uſum familiarium medicamentorum communi quadam ratione medicis ſignificare videntur. Siquidem cœli frigidiores plagas habitantes, quod corpora exinde habeant frigidiora, calida medicamenta frequentare obſervamus. Contra, qui ſub calidiori cælo degunt, quia calidioribus corporibus præditi ſunt, frigida appetunt, ac pro tuenda ipſorum valetudine refrigerantium medicamentorum uſus apud illos eſt frequentiſſimus. GUILAND. Vera loqueris: Hincque Germani, Boemi, Poloni, Angli, Flandri, atque alii frigidarum regionum populi, uſque adeo aromatum uſu delectantur, ut maxima piperis, zinziberis, Gariophyllorum, nucum, aliorumque omnium aromatum apud illas nationes copia abſumatur, itidem arbitror, ut hi calefacientia medicamenta ſequuntur, ita calidarum regionum incolas frigidis oblectari ac gaudere, atque exinde uſum refrigerantium medicamentorum ipſis eſſe familiariſſimum, præſertim vero Ægyptios, ut ex te alias audivi, ea de cauſa plus æquo refrigerantibus indulgere. Ex quo etiam malos ibi cum vivendi, tum medendi uſus, vel potius abuſus originem duxiſſe recte arbitrari poſſumus. Quandoquidem incolæ frigidorum locorum ab uſu refrigerantium pluſquam opus eſſet, timentes, uſque adeo à refrigerantibus tum cibis, tum medicamentis cavere, & abſtinere ſolent, uſque adeoque uſum calidorum amplecti, ut refrigerantia plane negligant, non tantumque inutilia, verum etiam ſibi valde noxia eſſe autument: exindeque refrigerantia omnia medicamenta abhorreant, ac fugiant, adeoque vulgo ob eam cauſam calfacientium uſus receptus eſt, ut illum immodice ſequentes, in cauſa ſit, ut plurimi populares morbi, per ea loca fere aſſidue graſſentur. Plures enim Germani, Poloni, atque alii frigidarum regionum populi ob eam cauſam à frigidis caventes, vinis generoſis, aromatibuſque nimium indulgentes, hepar immodice calfaciunt; atque exurunt, ex qua temperie qualia oriri ſoleant mala, no-

bis obſcurum non eſt; & cum ab his tamen abſtinere nolint, eos breviorem vitam vivere, mirum non eſt. Eodem quoque modo alias me dixiſſe memini, ex frigidorum frequenti, & continuo uſu, Ægyptios in multos morbos incurrere: atque hanc eſſe ex præcipuis cauſis unam exiſtimo, qua terra Ægypti calidori cœlo utens, corpora pleraque ſanguinea, ac pituitoſa gignat, quod magis admirandum nobis videatur, ea loca populares morbos frigidos pleroſque pati, ab hiſque pluſquam à calidis incolas vexari. Sed cur mihi cupienti ex te cibos, atque medicamenta, quibus illi utuntur, audire, egomet impedimento ſum? Alpin. Ne ab incepto ſermone diſcedamus, dico in primis Ægyptios ob multum ambientes calorem, victum, medicamentaque vi refrigerandi atque humectandi prædita præcipue conſectari. Plerique enim pro victu omnia eduliorum genera, quæ ex lacte parantur, uſurpant, maximeque lac acetoſum, quo omnes ibi libentiſſime, atque familiariſſime veſcuntur. Plebsque paupercula lac comedit, cucurbitæ, cucumeri, lactucæ, endivæ, portulacæ, vel aliis oleribus refrigerandi vi præditis minutiſſime inciſis, miſtum. Oleraque, quibus eos veſci conſuetudo eſt, ſunt Melochia, bammiæ, fructus, lactuca, endivia, ſoncus, coriandrum, portulaca, culcaſſiæque radices, quas quiſque ibi familiariſſime variis modis paratas comedit. Atque ex fructibus, cucurbitæ, cucumeres, mala inſana, Melones, anguriæ, Muſæ fructus, ficus noſtrates, & ſicomori, qui ſunt noſtris latiores, breviores, atque longe inſipidiores, limonia, atque aurantia, dactili, fabæ, ciceres, atque ipſa viridia. Ex radicibus, ut nuper dictum eſt, culcaſſiæ eſt frequentiſſimus uſus. Arundinum quoque viridium, ex quibus ſaccharum ibi exprimitur, in cibo apud eos uſus eſt familiariſſimus. Pro potu plerique fluminis Nili aqua perpetuo utuntur; ſiquidem illis vinum lege interdictum eſt. De medicamentis itidem dicendum eſt: illa etenim ſequuntur, quæ refrigerandi, atque humectandi facultate ſunt prædita, qualia exiſtunt Nymphea, papavera, ipſorum ſuccus ab ipſis affion, à Græcis meconium, & à latinis opium vocatus. Pſyllium, coriandrum viride, quod etiam in ferculis

lis in frequentiſſimo eſt uſu. Endivia, ſoncus, cichoreum, lactuca, plantago, Melochia, malva, roſa, ſandala, limonia, cytria, atque acacia. Interim etiam ex calidis utuntur, meliloto, fœnu-græco, amaraco, menta, camomelo, anetho, liquiritia, fœniculo, aniſo, atque aliis multis. Berberis fructus in medicinæ uſu valde frequentant, quos putant cor multum roborare, vireſque reficere, ac perfrigerare, ſitimque extinguere, in febribuſque ardentibus, atque peſtilentibus iis paratis uti ſolent. Horum ſiquidem libram in vaſe magno aqua pleno, vel duodecim etiam aquæ libras continente, mittunt cum nonnullis ſeminibus fœniculi, vel fruſto panis, atque per noctem, vel diem ſic manere volunt, deincepſque de frigida hac expreſſione, per colum transfuſa, cum ſaccharo multo roſaceo, vel ſimplici, vel ſyrupo ex acido citri large ægrotis propinant, qua potione calorem febrilem ſitimque extinguunt, vireſque reficiunt, atque etiam putredini prævalide obſiſtunt. Præſtantiſſimum auxilium ad alvi fluxiones apud eam gentem ſua adſtrictione, habetur, eoque potu ego olim ibi peſtifera febre correptus. cum immoderata diarrhæa bilioſa, libentiſſime felici cum ſucceſſu, Ægyptiorum medicorum conſilio ſum uſus. Cum autem volunt, hos fructus non modo roborare, ſed etiam alvum ſolvere, tamarindos ipſis miſcent, aut mannam, aut terrengibil. Chinæ radices ex proximis Indiis delatæ uſus apud eos eſt familiariſſimus, non tantum ad Gallicam lucem, ſed ad multos alios innumeros morbos curandos, præſertimque pro emacitatis, atque gracilioribus corporibus. Hujuſce radicis recentis ex jure gallinarum nigrarum pinguium decoctum per multos dies propinantes, corpora carne replent, pinguiaque reddunt. Id etenim, præterquam, quod corpora pinguia reddit, cutem etiam faciei ſic pulchram efficit, ut ſi illiuſce vires noſtræ mulieres recte aliquando experientia didiciſſent, hujuſmodi chinæ radix apud nos cariori pretio, ſine dubio venderetur. Raro ligno Indo, vel ſalſaperilla ii utuntur, ejus regionis merito calorem timentes. Mulieres pauperculæ ſumptum pro aliis ferre nequeuntes, vulgares hermodactilos, quibus communiter noſtri pharmacopolæ utuntur, modice contoſtos,

æque atque nos caſtaneas edimus; multos unica vice, ad impinguefcendum, devorant, ex quibus neque alvus aliquo pacto turbatur, neque aliud quippiam mali accidit. Hinc noſtri pharmacopolæ ſcire poſſunt, quantum illis, pro vero hermodactilo utentes, hactenus erraverint. Egoque hos non parum admiratus ſum, quando Ægyptiæ mulieres earum radicum (quas ſine dubio, ſi modo Dioſcoridi credendum ſit, Cholchici eſſe quiſque herbarum materiæ peritus fatebitur) per multos dies ad decem, & plures etiam euntes dormitum ſumpſiſſe, inſtarque caſtanearum comediſſe, ſine ulla noxa ibi ſæpius compererim. Eſt etiam illis in uſu frequentiſſimo ſemen illud bon ab ipſis appellatum, ex quo illud decoctum parant, de quo poſterius loquemur. Huic omnes non ſecus quam noſtri in publicis tabernis, vinorum potationibus, operam dant. De eoque ſingulis diebus ſæpe admodum calenti interdiu, ſed maxime mane jejuno ſtomacho large bibere conſueverunt. Siquidem ipſo ventriculum calefieri, roborarique apud eos compertum ſit, non minuſque etiam viſcerum obſtructiones tolli, quotidie experiantur: Mulieribus ad evocandos menſes præſentaneum eſt remedium, apud eaſque in uſu eſt frequentiſſimo, quibus diminute fluentibus, ejus decocti probe calentis multum epotant, paulatim modicum ſorbitantes. Sic enim in uſu eſt apud omnes, ut paulatim ipſum deglutiant. In uſu etiam ſatis frequenti ſunt ſemina lactucæ, Altheæ, malvæ, cucumeris, melonis, abdellavi vocati, papaveriſque utriuſque. Albi quidem ſemina ſanitatis tempore libentiſſime, largiſſimequecomedunt. Utuntur etiam fruticis cujuſpiam floribus, ſalicem æmulantis, quem alii ban, alii calaf appellant, ad multos morbos, præſertimque ubi cor patitur; nam ajunt, cor iis maxime roborari expertum eſſe, ſatiſque valenter excellentiori putredini obſiſtere, febreſque delere. Hincque eis ad peſtiferas febres utuntur frequentiſſime. Flores etiam alterius fruticis elhanne dicti, qui eſt Alcanna Avicennæ, maxime frequentant, ad dolores, caput ex frigida cauſa infeſtantes. Et quos præterea ex caſſiæ arbore colligunt, pro omnibus leniendis doloribus, maximeque in podagra habent itidem in uſu. Utuntur frequentiſſime & ſeminibus pſyl-

pſyllii, maximeque in febribus ardentibus, quorum infuſum, ſeu mucilaginem, in his febribus tutiſſime propinant ægrotis. Ex quo proſpicitur errare cum Dioſcoride omnes, qui pſyllium venenum eſſe ſcribunt; quando ibi tutiſſime nemine ab eo unquam læſo, pſyllium aſſumatur. Opobalſami quoque, quod illuc ex felici Arabia legitimum, ac ſincerum defertur, ad multa mala uſus apud eos eſt familiariſſimus, præcipuuſque ad mulieres ex uteri frigiditate, atque humiditate ſteriles, per clyſterem intra uterum injecti. Expertum eſt ſæpiſſime, ipſum ad id magnum auxilium eſſe, quibus imbecillus, laxus quippe, ac frigidus eſt ventriculus, id per os ſumptum maximi eſſe adjumenti. Ejus ſiquidem calorem valde fovet, auget, ac roborat: ex quo ad juvandam concoctionem ceteris omnibus ſine dubio præſtat. Opii, quod ii affion nuncupant, utuntur hi frequentiſſime, cui longo tempore ſic illi aſſueſcunt, ut mox, vel trium etiam drachmarum pondus aliqui tuto per os aſſumere audeant, eo homines duarum horarum intervallo hilares fieri arbitrantur, promptioreſque in obeundis ipſorum muneribus, maximeque ad bellum, atque venerem. Ibique vulgus faubulatur, milites in bello, qui eum ſuccum ſumpſerunt, omnes belli timorem deponere, ſicque ferociores ad ſubeundam pugnam fieri, ut quælibet belli incommoda fortiſſime ac ſtrenuiſſime deinde ferant. Non pauci etiam ſunt, qui eum aſſumentes, opinantur, ſe per ſomnum varia pulcherrima, amœniſſimaque viridaria, atque amatas puellas viſuros, ſeque cum iis oblectaturos. GUILAND. Neſcio unde affirmes, eam gentem opio, Græcis meconio, atque ab ipſis affion dicto, tuto vel innoxie uti, quando tu ipſe in libris de prævidendis morbis, à te olim conſcriptis, plurima ſæviſſimaque ſymptomata ex uſu hujus ſucci concitari ſcriptum reliqueris: atque ab omnibus tum Græcis, tum Arabibus medicis meconium, ſeu opium, ſeu affion in numero frigidorum medicamentorum recenſeatur. ALPIN. Haud eſſe abſurdum, ut homines aliquorum venenorum uſui aſſueſcant, tibi plane notum eſt, præſertim, ſi quiſpiam eo uti à minima quantitate incipiens, paulatim ac gradatim ad majorem quotidie aſcendat. *Quod Anus Athenienſis, Galeno his*

*ver-*

*verbis in lib. 3. de alimen. facul. docente, cujus percelebris memoria eſt; feciſſe dicitur, etenim ea à minima cicutæ portione auſpicata, nullo detrimento ad permagnam progreſſa eſt copiam: principio enim paucum exiguitate ipſa devictum eſt, at conſuetudo naturale addidit.* Multi Ægyptiorum in iſta erronea opinione adeo permanent, ut ab aſſumpto opio multa ſe per ſomnium ſpectare imaginentur, atque pro certo habeant omnes opium per os ſumentes multa optata viridaria, puellas, & alia id genus eſſe ſpectaturos. Quot deliramenta læſa imaginatio aliquando in homine pariat, neminem medicorum latere arbitror. Mirumque idcirco haud erit, illos ea imaginatione, quod omnes uſu opii multa videant, deductos, eo devorato, ſomno graviori captos, quippiam rerum deſideratarum ipſorum imaginationi objectarum, ſomniare. An vero vere quicquam eis opii uſus conducere poſſit, non eſt, quod tibi perſuadeam, quando te non lateat, ipſum prævalidum venenum eſſe, ac nullo pacto juvare, & omnino homini nocere. Negandum tamen non eſt, quamplures Ægyptios opium quotidie ſumentes, nullam noxam ſentire, eo longa ſcilicet conſuetudine à natura ſuperato, & in alimentum quoquo modo verſo. Hincque fieri puto, eos qui ipſum quotidie devorare conſueverint, aliqua die intermittentes, hora, in qua aſſumebant, in graviſſima ſymptomata incurrere. Animi ſiquidem deliquio faſtidioſiſſimo ipſi tentantur, nulloque auxilio ſic tuto liberantur, quam rurſus opium devorantes. Multos ab hac ſervitute liberatos vidi, ſi in hora, qua ſoliti ſunt ipſum capere, largius ex vino cretico, pipere, atque aliis aromatibus alterato potent. Verum etſi ii affirment eo uſu recte ſe valere, minimeque lædi, tamen eorum corpora valde frigida redduntur, functioneſque deteriores fiunt, ebriique, atque torpidi fere perpetuo apparent. Singula, quæ ſunt à me viſa, ex opii uſu ſymptomata, in libris de prævidendis morbis in Ægypto momoriæ proditis, extant, ad quos, qui hac de re plura ſcire volunt, nos remittimus. Sed ad rem modo redeo, reliquaque medicamenta ab illis uſitata perſequor. Habent ſiquidem alia multa compoſita medicamenta, quibus animi gratia utuntur, veluti de opio nunc dictum eſt. A quibus

bus per os ſumptis inquiunt ſe multa per ſomnium videre, de quibus, niſi nunc multa decocta, quæ medicinæ cauſa uſurpant, expoſiturus eſſem, longiorem ſane ſermonem tibi feciſſem, cui tamen finis jam eſt imponendus. GUILAND. Haud inutile, neque injucundum fore exiſtimo, ſi antequam ad illorum decus te conferas, illa eadem medicamenta, quæ animi gratia ab ea gente aſſumuntur, ediſſeras. In memoria ſane habeo, dum per Ægypti loca olim diverſarer, multos ejuſmodi medicamentis veluti ebrios, ac amentes factos, multa capite, oculiſque præſertim deliramenta facientes inſpexiſſe, de quibus aliqui ex Turcis, qui mihi tum ad ſecuritatem aſtabant interrogati, reſponderunt, illos eſſe, qui herbam animi gratia comedere aſſolent, quique etiam confirmabant illos tunc in ſomniis multa lætiſſima viridaria, amataſque puellas videre. Multaque alia de iis dixere, quæ mihi riſu valde digna videbantur. Itaque de his etiam aliquid aliud te loqui, deſidero

## CAP. II.

*De medicamentis ab Ægyptiis animi gratia uſitatis, quibus ſperant, his devoratis, varia exoptata in ſomniis ſe viſuros.*

## ALPINUS.

PRIUSQUAM tibi ea medicamenta recenſeam, quibus devoratis multi Ægyptiorum ſopore capti, varia optata objecta ſe videre opinantur, atque iis admodum delectantur: præſtiterit, an iſtud verum eſſe queat, nunc ex te in primis addiſcere, quando ipſorum alii affirment, ſi per os affion vel affis, vel boſa, vel bernavi, vel denique bers acceperint, ſe plurima pulcherrima viridaria, atque formoſiſſimas laſcivienteſque puellas, quaſi ſomniantes videre: Atque alii ſe illa tantum ſomniare ac videre, quæ ipſos valde delectant ita, ut viridariorum viſione gaudentes, eadem in ſomniis videant, & amantes, deſideratas puellas, & milites bella. Hæcque opinio ſic ipſos invaſit, at-

que ibi tandiu invaluit, ut nunc quamplurimos ſemper ibi ſpectare poſſis illis medicamentis indulgentes. Nec tantum hic uſus in plebe, verum etiam in primatibus, nobilibuſque Ægyptiis retinetur, ibique antiqua conſuetudine fit, ut aliquis ad rem aliquam vocatus, volens ejus laborem ſubterfugere, neget ſe id poſſe, quod ea die, atque hora herbam comedere conſueverit. Guiland. Cur tu de his loquens, qui ad movendas illas viſiones iis medicamentis utuntur, dixti, herbam eos comedere, proverbio dici, quando ex te quædam electuaria potius, quam herbam illos devorare, nuper audierim? Alpin. Non me latet Ægyptios ad illas concitandas viſiones, pluribus medicamentis compoſitis uti, ut eſt electuarium bernavi vocatum ex proximis Indiis delatum, Bers, Boſa: ſed ad id ſimplex herba cannabis ceteris apud illos eſt familiarior, quam ea gens aſſis appellat; quo nomine nihil aliud quam herba ſignificatur, quaſi cannabem hinc herbam per excellantiam vocent. Quia vero (ut audivi) prima experientia eas movendi viſiones ex hujus herbæ uſu prodita eſt, atque originem traxit, vel quod ipſa promovendis his viſionibus ceteris aliis medicamentis præſtet, adagium illud herbam ſumendi venit. Sed hæc miſſa faciamus, quando ex te nunc audire cupiam, an id verum eſſe queat, Ægyptios quippe iis devoratis medicamentis poſſe in inſomniis eas viſiones cernere; an potius hæc ipſis falſa, læſaque ferat imaginatio. Quamobrem tuum nunc erit, quæſita diluere. Guiland. Quid? an non hanc eſſe ſatis jucundam ſpeculationem, ipſamque etiam uberiorem ſermonem deſiderare, quam præſens hoc tempus nobis concedat? verumtamen non ſinam te omni reſponſione carentem abire, qui mihi tantopere confidens, facillime poſſe me hanc veritatem cognoſcere, arbitraris; ſed quicquid eſt, quod ego in hac re ſentiam, nunc paucis ex me audies. Quod igitur ibi famoſiſſimum ſit, omnes qui ea medicamenta aſſumunt, multa, ac varia, quibus delectantur, objecta ſopore captos videre, certiſſimam dictorum viſionem quiſque ſperet, facile erit, ut ſibi ipſis omnia ſe viſuros ſuadeant, quæ famoſe illo modo ab omnibus ſpectari affirmantur. Neque immerito, cum à devoratis medicamentis va-

vapores multi concitati, & in caput delati, ipſum variis modis feriant, ejuſque ſenſus valde perturbent, ex quibus, iis præſertim, qui viſui audituique deſerviunt, ſic turbatis, varia, ac multa objecta ex conſuetis rebus, communi ſenſui, cujus munus eſt ſibi oblata objecta contemplari, diſtinguere, ac judicare, offeruntur. Quæ non modo dormientibus, ſed etiam vigilantibus apparere poſſunt. Hominibus itaque ab hujuſmodi uſu medicamentorum variis modis capite læſo, atque ejus ſenſibus exinde turbatis, illis certo multa objecta offerri videntur, quæ vulgus illorum medicamentorum uſu per inſomnia ſe videre arbitratur, qui tametſi nihil vere videant, tamen ea cernere imaginantur. Vel dicendum erit (quod facilius fortaſſe nobis ſuadebitur) uſu illorum medicamentorum vitiatam eſſe ipſorum imaginationem, non ſecus quam accidit in melancholicis. Homines ſiquidem eo morbi genere correptos, melancholico humore, vel halitu cerebrum invadente læſa imaginatione, varia deliramenta opinari medicis notiſſimum eſt. Duo in melancholicis obſervantur, quippe primo humor, vel halitus, qui cerebri partem, in qua reſidet, imaginatio, obſidet, atquæ lædit, qua parte læſa, functiones imaginatricis facultatis continuo vitiantur, atque exinde homines haud recte imaginantur. Secundo eſt illiuſce, vel humoris, vel vaporis ater color, quo, ut Gal. docet (quanquam Averrhoes aliter ſentiat) ſingula illa deliramenta cum timore, & mærore omnia fiunt. Quæ duo melancholicæ amentiæ, Hippocrate affirmante, verum characterem explicant, quo ab aliis amentiis vere diſtinguitur. Hinc igitur à ratione non erit alienum, vapores, vel halitus ex devoratis illis medicamentis in caput delatos, cerebri membranas ferientes ac lædentes, varia per id temporis objecta, ac phantaſmata ad imaginationem deferre poſſe, ex qua vitiata imaginatione homines plura variaque deliramenta, veluti melancholici faciunt, videre opinantur. In dormientibus iſtud haud obſcure licebit obſervari: etenim quis ille erit medicus, qui plura variaque ſomnia ſeu viſiones fere ſingulis noctibus à variis eſitatis cibis, in quam pluribus hominibus fieri, non audiverit? Braſſicam percoctam in cibo ſumptam, paſtinacam, præſertim ca-

rote, vocatam, porra, erucam, phaſeolos, multaque alia fere infinita, varia turbulentaque ſomnia facere noſtrum latet neminem. Dioſcorideſque de hortenſi ſmilaci hæc ſecundo libro memoriæ prodidit, dicens: *Siliqua cocta cum ſemine in oleribus aſparagi modo eſtur, urinam cïet, & tumultuoſa ſomnia facit.* Unum vero ſupereſt intelligendum, ſcilicet quod Ægyptii fabulantur, an fieri poſſit, ut ab iis devoratis medicamentis ea utique dormientes, quæ ipſis valde accepta exiſtunt, quæque valde amant, & deſiderant, videre queant; quando omnia vel folia, vel ſemina, vel radices, ſomnia moventia, illa tumultuoſa ac melancholica plerumque faciant, quod ſingula hæc ſuccum halitumque gignant melancholicum. Quomodo itaque prædictorum uſus amata, atque deſiderata objecta illis offerre poterit? Alpin. Hinc proficiſci putaverim, quia halituum commotione, vel agitatione in cerebrum facta, ea frequentius objecta facultati imaginatrici repræſentantur, quæ aptiora ſunt, ut ad ipſam facilius moveantur, ac ferantur, qualia ſunt hominibus plus accepta, & cara, quæque ab ipſis plus coluntur atque deſiderantur. Hæc ſiquidem frequentius memoriam ac imaginationem occupant, ex quo amantes frequenti ſomno amatas, ac deſideratas puellas videre, bellaque milites videntur ſomniare, atque nautæ naves, maria ac ventos, amata ſiquidem & multum deſiderata objecta fere continuo à memoria ad imaginationem moventur, atque ab hac, ad illam, & rationem. Ad imaginationem ea citius moventur ex motu, quem amor, deſiderium, delectatio, ac appetitus hos ſequens concitant, hæcque ceteris aliis objectis citius, frequentius, & facilius internos ſenſos movent ac exercent, ex quo aliis objectis familiarius ac frequentius non tantum dormientium verum quoque vigilantibus ipſa imaginationi offeruntur; hinc à quibuſvis ſumptis medicamentis ſomnia excitandi vim habentibus amata pluſque deſiderata objecta ceteris aliis facilius ad imaginationem moventur. Quam ob cauſam ii illis devoratis medicamentis plus amata ac deſiderata objecta frequentius in ſomniis, atque etiam leviſſimo, perinde ac ipſi vigilarent, ſopore capti videre certo affirmant. Guiland. Satis nos rationem illarum viſionum, iis medicamentis movendo ea medicamen-

mentis movendarum, nunc conſideravimus, videmurque de ignotis loqui quando ea medicamenta haud hactenus agnoverimus; proinde præſtat, ut nunc de his loquaris. ALPIN. Diximus tamen illa his nominibus apud eam gentem appellari, ſcilicet affion, aſſis, boſa, bernaui ac bers. De affion, quod eſt Græcorum meconium, atque noſtrorum opium, ſeu ſuccus è nigri papaveris capitibus expreſſus, referunt homines, eo devorato, paulo poſt hilares admodum evadere, multaque ac varia loqui, fortioreſque ad quæque obeunda munera ſibi videri, præterea ſubdormientes, hortos etiam & viridaria multa arboribus, herbis, ac floribus variis perbelle ornata ſpectare. Horum viſiones omnibus Mahometis aſſeclis ſunt acceptiſſimæ. Fiunt nihilominus, opium ſumentes comatoſi, veternoſi, fereque ſtupidi, atque apud omnes inconſtantes habentur; modo etenim ajunt, modo negant, cum ipſiſque tractare omnes cavent. Joann. Jacob. Manne medicus ſane in Ægypto multum verſatus, quique ante me medicinam pro Illuſtr. Veneta Natione, magna cum laude ibi fecerat, tres caſus de iis, qui opio uti conſuevere, mihi narravit; dixitque cuidam viro, opii uſui aſſueto, per Nilum flumen Alexandriam verſus naviganti, cum opium deeſſet, ille ſtatim egreſſus navi, adeo celerem curſum Cayrum verſus tenuiſſe, ut nunquam quiſquam noſtrum ipſum conſequi potuiſſet, idque ne in hora ſolita ſumendi opium præterita, in faſtidioſa ſymptomata laberetur. Secundus fuit Nauta, qui dum ſua navi multos Alexandriam veheret, in medio itineris, opio carens in ſæviſſima incidit ſymptomata, præſertim in ſyncopim moleſtiſſimam, quibus à viatoribus opio oblato illico ſanatus eſt. Iterque illud incolumis proſecutus eſt. Demum alius fuit, qui eodem modo opio deficiente, in exitioſiſſima ſymptomata lapſus, fere mortuus eſt, vixque revixit, atque non niſi longiſſimo tempore ſanus evaſit. Hunc ſuccum, quo omnes utuntur, ex locis Sajeth, ubi olim Thebarum urbs erat præclariſſima, deferunt; ubi etenim nigra papavera copioſiſſime proveniunt, ceteriſque omnibus facultate præſtant, ex quorum capitibus ſuccum exprimunt, quem ſole ſiccant, atque ad uſum ſervant. Aſſis nihil quidem aliud eſt, ut ſuperius quoque di-

dictum eſt, quam pulvis ex cannabis foliis paratus, quem cum aqua dulci miſtum in maſſam redigunt, cujus bolos quinque caſtaneæ magnitudinis, vel plures devorant, à quibus per horam poſt homines, qui eos ſumpſere, quaſi ebrii facti, ſuas amentias produnt, atque in ecſtaſi diu manentes, ſuis deſideratis viſionibus oblectantur: hocque medicanti genus plebs frequentat, quia viliori pretio ibi venditur. Tibi mirum haud erit, ex cannabis uſu hoc fieri, quando is caput vaporibus replere, atque ferire multum valeat, Galeno in primo libro de alim. facult. docente. Qua mira ejus facultate iſta herba apud ipſos nomen, ut jam dictum eſt, aſſis aſſecuta eſt; quod per excellentiam herbam dicit. Boſa idem, & plus quam aſſis præſtare, dicunt, quam ex farina loliacea, & ſeminibus cannabis, & aqua componunt, nihilque aliud quam maſſa ex his confecta exiſtit. Alii ex his cremorem parant, ut in potu abſorbeant. Bernavi electuarium in proximæ Indiæ locis paratur, in Ægyptumque copioſa defertur, cujus Ægyptii compoſitionem plane ignorant; ejus tamen operationes videntur admirabiles, tuiſque auribus non indignæ; ſiquidem ab aſſumpta uncia hujus electuarii, homines primo hilares fieri incipiunt, multaque loquuntur, & canunt amatoria, multumque rident, aliaque deliramenta læta produnt, quæ amentia fere per horæ ſpatium, in his perdurat; à qua ſtatim iracundi fiunt, in iramque præcipitantur, effreneſque redduntur, in qua parum perſiſtunt; demum iidem ſic triſtari incipiunt, tantoque mœrore atque triſtitia, & timore angi, ut continue plorent, & lamententur, quæ paulo poſt, ab his deliramentis multum feſſi ſomno correpti, digerunt, ac finiunt redeuntes ad priſtinam ſanitatem. Hæc in conviviis ab Hiſtrionibus ut convivantibus ſolatio ſint, ſæpiſſime fieri conſueverunt. Ad mihi hæc narranti, mulier quædam Ægyptia in memoriam venit, quæ à potu largiori vini cretici ebria, omnia fere prænarrata varia deliramenta faciebat. Primo enim immodice hilaris fiebat, atque ſic tunc amore laſciviebat, ut quemcumque virum ſibi obvium continuo complecteretur, ac oſcularetur, mox è riſu cantuque ad iram, & furias ſic tranſiliebat, ut cum omnibus rixam habere vellet; ſicque lites, & contentiones ſequebatur, ut omnes

nes

nes qui in eadem cum ipſa domo erant, ab ipſa non parum timentes præcaverent. Demum ab his tota in mæſtitiam ferebatur illo mœſtiſſimo, ut conſuetudo eſt, aſſidue deplorabat, cantu illo mœſtiſſimo, ut conſuetudo eſt, aſſidue deplorabat, quouſque ſomno caperetur, quo ebrietatem plane digerebat. GUILAND. Neque immerito illa ſymptomata in illa muliere ex largiore vini generoſi potione fiebant. Sanguine ſiquidem primo ex vino calfacto, & multum humectato, qui fortaſſe bilioſus, vel exuſtus eſſe debebat, nec non adaucto vividioreque reddito, hilaris ſummopere mulier oſtendebatur, ex quo etiam ubi vini caliditas eximia immodice in illiuſce ſanguinem egit, multumque ipſum calfaciens, bilioſum, atque acutum, fecit, vapores illico acuti mordentes membranas cerebri bilioſos illos effectus concitabant, rixas ſcilicet, contentiones, atque furias. Sanguine vero eodem à vini calore fere exuſto, admodumque exſiccato non ab re in mœſtitiam mulier, facta exinde melancholica labebatur. Quam hepar valde calidum ac exuſtum habuiſſe cogito, cujus quidem ſanguis exuſtus, quamprimum à vino copioſo humidior fieret, ſtatim ea perinde ac ſanguinea evaſiſſet, hilaris reddebatur, quo poſtea à vini calore potente calidiori reddito, ut bilioſa, bilis accidentia ſentiebat, & denique intenſiori in ſanguinem facta aduſtione, melancholica fiebat. Sed cur hæc amplius repeto, teque moror, quominus reliqua jam abſolvas? ALPIN. Bers quoque eſt electuarium, quo Ægyptii ad illa deliramenta utuntur, cujus compoſito hæc eſt. Accipiunt piperis albi, ſeminum hyoſciami albi, an. dra. xx· opii, dra. x. ſpicæ Indæ euphorbii, piretri, an. mitchal. croci. ſcr. xv. Contundunt omnia in mortario marmoreo, & mox cum mellis partibus tribus miſcent, quo utuntur tantum poſt ſex menſes. Bers uero nomenclatura ſanitatem una hora tantum durantem ſonat. Utuntur illi etiam aliis compoſitionibus, veluti eſt diamuſcus, philoſopha, Theriaca Andromachi Senioris, & aliis. Nunc vero iis auditis utilius erit, ut ego ad decocta accedam, quæ parantur, tum ad corporum tuendam, tum perditam recuperandam ſanitatem, ab illis populis uſitata, à quibus deinceps de ſyrupis ſermo à nobis etiam

erit

erit habendus, ut demum de ipſorum Theriaca quoque loqui poſſimus aliqua; quam illi ita egregie ſe componere arbitrantur, ut ipſorum compoſitionem aliis omnibus præferendam putent. Guiland. Recte dicis, & ſpero etiam Solem non occiſurum priuſquam omnia, quæ superſunt dicenda, plane abſolveris, proinde ne fruſtra tempus conteramus, nunc perge de propoſitis decoctis ſermonem habere.

## Cap. III.

### *De decoctis, quibus Ægyptii tum in ſanis, tum ægrotis corporibus utuntur.*

## ALPINUS.

Pauca ſunt decocta, quæ frequentare illos medicos novi; attamen qualiacunque ea ſint, tibi etiam exponere minime gravabor. In frequentiſſimo uſu ibi eſt decoctum, chaova appellatum, quod ex quibuſdam ſeminibus nigris, fabas imitantibus parare conſueverunt. Duobuſque modis ab ipſis parari ſolet; eorum enim alii decoctum faciunt ex ſeminum nuper dictorum tunicis, ſeu folliculis, & alii ex eorundem ſeminum ſubſtantia, quod ex folliculis paratur, efficacius quam ex ſeminum ſubſtantia elaboratum prædicant. Semen hoc bon vocant, arboremque ipſum ferentem vidi in quodam Turcæ Bei viridario ex Arabia delatum, quæ evonomo maxime ſimilis erat. Illiuſce decocti facultas eſt frigida & ſicca, quoad primas qualitates temperata, cui etiam miſta eſt caliditas, quando illa ſemina ex duplici ſubſtantia conſtent, altera craſſa, & terrea, qua cogunt, & roborant; altera calida in tenui ſubſtantia fundata, frigidaque modice prævalenti, qua calfaciunt, abſtergunt, obſtructaque aperiunt. Horum decoctum cichorei decocto guſtu proximum eſt, quod tamen ipſo valentius obſtructa liberat. Cum ego animadvertiſſem mulieres, quibus cœperint fluere menſes, ad eos adjuvandos de eo calidiori ſemper paulatim multum ſorbillare, apud illaſque omnes adjuvandam eam vacuationem in uſu eſſe frequentiſſimo, cœpi, illa

illa perdoctus experientia, in omnibus, illo uti, quibus aliquam ob cauſam eorum purgatio menſtrua deſtitiſſet; quod quidem feliciſſime multis eveniſſe vidi, exindeque didici hoc genus remedii pro evocandis menſtruis ab uteri obſtructis venis, eſſe præſtantiſſimum: Poſt univerſalem tamen corporis vacuationem, mane jejuno ſtomacho iſtud decoctum aſſumptum efficaciſſime menſes provocat, temporeque, quo multis cum vehementibus doloribus minutæ difficulter exeunt, eis præſentaneo eſt auxilio. Parant autem illi hoc decoctum, ſumentes nucleorum illorum ſeminum, à folliculis mundatorum libram unam & mediam, eaque parum igne torrefaciunt, contoſtaque bulliunt in aquæ lib. viginti; aliis ſinentibus nucleos prædictos torrefactos, ac minutim confractos per diem infuſos in aqua manere; atque alii nulla præcedente infuſione eos bulliunt ad conſumptionem medietatis; percolatumque decoctum ad uſum ſervant in fictilibus vaſis undique clauſis. Eodem itidem modo parant decoctum ex ſeminum folliculis, in minori tamen quantitate ſumptis: Pro quo parando accipiunt alii prædictorum folliculorum ſex uncias, atque alii novem, in libriſque viginti aquæ fontis ad conſumptionem medietatis ipſum co quentes. Hoc decoctum ſtomacho ſummopere conducit; id ii valde calidum, & effervefcens, jejuno ſtomacho paulatim ſorbentes, potant ad ciathi menſuram, & eo amplius. Ut autem vino in œnopoliis ſive tabernis noſtrorum multi ebrietatibus deditì indulgere obſervantur, ſic illi chaova decocto delectantur, eique indulgent. Aliud decoctum apud illos uſitatum obſervatur, maglub, appellatum. Multæ ibi medicæ officinæ exiſtunt, quæ in ea urbe nihil quidem aliud, quam ipſum vendunt, ejus quotidie mane jejuno ſtomacho ſemilibram propinant, quod ſtomachum maxime juvare ajunt, ipſum calefaciendo, concoctionem adjuvando, flatus diſſipando, atque obſtructa aperiendo. Ipſum parare volentes, accipiunt ſeminum fœniculorum, radicum glycirrhizæ contuſarum, an. unc. ij. s. cucumerum. s. Altheæ, an. dra. 1. jujubas nu. quatuor, aquæ fontis lib. 3. bulliuntque omnia ſimul ad conſumptionem medietatis, & colatum cum ſaccharo exhibent. Habent quoque

ii nonnullas ſorbitiones, quæ refrigerant, nutriunt, obſtructiones tollunt, ac roborant. Harumque omnium hæc eſt illis familiariſſima, quam maſtahaleb vocant, quæ quidem in febribus omnibus præſtantiſſimum eſt remedium, maxime vero ad ſitim extinguendam, caloremque febrilem minuendum, atque non minus ad urinam provocandam. Hanc potionem in lateris inflammatoriis doloribus maxime frequentant, quam ſic parant, ſumentes ſeminum melonis, abdellavi vocati, unc. 4. hæc etenim ceteris omnibus plus refrigerare creduntur, ſemin. anguriarum, cucurbitarum, cathe cucumeris, an. unc. 1. liquiritiæ mundatæ radicis, ſacchari candidi, an. unc. 1. ſ. ſemin. fœniculorum, vel aniſorum, dra. 3. contundunt in mortario minutiſſime omnia, quæ petia linea ligant, ex qua aqua roſacea irrorata lac exprimunt, quod ægrotis propinant. Hoc genus potionis ſic communiter omnes parant, cujus facultatem variant, variis additis medicamentis, prout variorum morborum, & cauſarum uſus poſcere videtur. Siquidem in ardentibus febribus, in quibus major refrigeratio deſideratur, prædictis addunt ſemina endiviæ, lactucæ, pſyllii, portulacæ, alborumque papaverum; atque ubi etiam ſimul flatus diſſolvere cupiunt, addunt, coriandri, dauci, fœniculi, & aniſi ſemina, atque alia etiam, quibus flatus diſſolvere datum eſt. Itidemque dolores mitigare volentes, maſtahaleb cum ſeminibus etiam altheæ, malvarum meliloti, fœnu-græci, lini, ſeſami, melochiæ, bammiæ, parant. Ad eoſdem quoque dolores mitigandos decocto ex camomeli, meliloti, ban, caſſiæ fiſtulæ, atque aliorum floribus parato utuntur. Meſtahaleb etiam faciunt ſæpiſſime, priori addentes micam panis, vel lac amygdalarum dulcium ex Gaza advectarum, quia eas quam aliorum locorum amygdalas minus calfacere opinantur, vocantque ipſa laux Gazavi; quam potionem in acutis morbis pro cibo multi frequentant. Aliam parant, quæ nutrit, ac refrigerat, ſumentes furfuris tritici pug. 3. quam ter aqua abluunt, eamque abjicunt, rurſum in nova aqua ipſa eodem modo lota, aquam cum modico ſacchari candidi, ac aqua roſacea parum bulliunt, quam ſic paratam calidam febricitantibus bis in die pro prandio,

&

& cœna exhibent: alii addunt lac variorum ſeminum refrigerantium, prout uſus expoſtulat. Alii eam in aurora modo ſerapiorum ſumunt; hæc alit, refrigerat, abſtergit, aperit, ſitimque extinguit. Eſt alia Taluina ab iis vocata, quam parant capientes fermenti optimi ex farina triticea ſemunciam, atque aquæ roſaceæ libram, quam addito ſaccharo candido, aut lacte amygdal. vel ſeminum frigidorum, parum ebullientes, parant. Eſt etiam ſavich. apud omnes familiariſſima potio pro alendis febricitantibus; quam etiam hoc modo parant, accipientes modicam farinam hordei torrefacti, quam cum aqua roſacea diſſolutam multum bulliunt, cui poſtea ſaccharum candidum permiſcent. Non pauci in victu utuntur farina, amygdalarum dulcium cum aqua roſacea bullita. Superius quoque dictum eſt illos in febribus ſequi berberorum decoctum, vel infuſum, cui interim addunt pulpam tamarindorum, aliaque ſemina, prout varius in iis medendi uſus expoſtulare videtur. Non minus etiam in ardentibus febribus ſeminum pſyllii, atque cidoniorum mucilagine uti ſolent. pro potu vero non in ægrotis modo, verum multo magis in ſanis corporibus hanc potionem frequentant, quæ ſitientibus eſt jucundiſſima, quam ſarbet quaſi potum per excellentiam vocant: illud etenim nomen, potum, ſimpliciter explicat: ipſam parant, in aqua multa ſaccharum diſſolventes, eique admiſcentes tantum limonum ſucci recentis, quantum modice aquam acidam reddere queat. Hanc aquam in æſtivis caloribus omnes libentiſſime potant, tum ad ſitim extinguendam, tum ad refrigerandum. Nobiles Ægyptii; & Turcæ addunt modicum moſchi, vel ambræ. Pro ægrotis febricitantibus, in aqua interim roſacea, ubi febres non carent malignitate, interimque in aqua endiviæ febribus ardentibus obſervatis hunc potum parant. Antiqua conſuetudine ibi nobiles Ægyptii, ac Turcæ ſuis in domibus advenas honorare volentes, perinde ac noſtri Lombardi vina optima, ſic ipſi jam dictum potum propinant. Ibi etiam in uſu frequentiſſimo ſunt anguriæ vel navi, vel batech elmuja vocatæ, quæ nihil præter aquam, & ſemina continent. Domini, vel primates magnam, ac optimam anguriam accipunt, in ipſa-

ſaque foramen faciunt, per quod muſchum, ambram, cum modico roſaceæ aquæ diſſolutam intus injiciunt, aquæque anguriæ permiſcent. Hæc aqua miræ voluptatis eſt omnibus ſitientibus, febricitantibuſque jucundiſſima, atque utiliſſima, quia refrigerat, humectat, aperit, urinamque valenter movet. Hac in renum, jecinoriſque caloribus omnes utuntur. Hoc tamen mali iis, qui eam frequentant, facere obſervatur, quippe aquoſas maximas hernias parit. Decoctum, quod ex chinæ radicibus paratum Ægyptios ſequi dictum eſt, tum ad luem gallicam, cujus non minus quàm Itali ac alii, Ægyptii divites ſunt, pellendam, tum ad hepatis ſanguiniſque calores corrigendos, tum maxime in longis tertianis, atque in corrigenda corporum gracilitate. Eſt etiam in uſu non minus ad firmandos quoſcumque fluxus ex utero; alterata tamen acacia, licio, dactilis immaturis. Atque hæc fuere decocta à me ibi apud eam gentem obſervata. Tranſeo jam ad ſyruporum uſum, atque ad medicamenta quibus purgandi gratia utuntur.

## Cap. IV.

### *De ſyrupis apud Ægyptios uſitatis.*

### ALPINUS.

Syrupis non ſecus quam noſtri, Ægyptii, ſani, atque ægroti utuntur; divites omnes varios ſyrupos domi paratos habent, quos aqua diſſolutos in æſtivis caloribus devorant. Uſitatiores vero apud eos ſunt violatus, acetoſus, oxymel, roſatus ex ſimplici infuſione, vel ex decocto paratus, nenupharinus, de pomis, de citro, de limonibus, de omach, quod eſt medium inter citrum, & limonem, de moris acidis, de mirtho, de ſandaló, de ligno aloe, atque de dactilis immaturis. Quos omnes tum in ſolida forma, tum liquida parare ii ſolent. Guiland: Memini alias ex te intellexiſſe, illos medicos ſyrupos ægrotis exhibere, non ut noſtri faciunt in aurora, ſed ad ægrotantium, aſſidentiumque libitum, omnibus, ſi libeat; ho-

horis, parum ſyrupi miſtum aquæ exhibentes. Qui quidem uſus quantum ſit laudandus, vel non, alias aperuimus. Omnes fere hos ſyrupos ſcio noſtros etiam medicos ſequi, præter ſyrupum, de ſandalis, de ligno aloe, atque de dactilis, quibus nos plane caremus, proinde hos mihi tantum narrato. ALPIN. Parant ſyrupum ex ſandalis hoc modo, capientes ſandalorum alborum modice flavorum drach. 10. contundunt craſſo modo, & duobus diebus, in unc. vj. aquæ roſaceæ infundunt, poſteaque colant, & colatam aquam ſervant. Deinceps idipſum ſandalum in tantundem aquæ roſaceæ bulliunt ad medietatis conſumptionem, miſtaque ſimul aqua infuſionis cum aqua decoctionis in ipſa diſſolvunt ſacchari optimi libram, atque coquunt dum conſiſtentiam ſyrupi adipiſcatur. Parant vero ex ligno aloe, accipientes illiuſce ligni optimi, ſeminum balſami à folliculis mundatorum, an. dra. 2. ſpicæ Indæ, gariophyllorum, nucis muſchatæ, maſtiches, an. dra. 1. omnia craſſiori modo contundunt, in tenuiſſimoque lineo panno albo obvolvunt, ligant, atque infundunt in libram aquæ roſaceæ, mox docoquunt uſque ad tertiæ partis conſumptionem, atque in colatura diſſolvunt ſacchari optimi libram, rurſumque quod ſatis eſt coquentes, ſyrupum conficiunt, cui poſtea addunt muſchi orientalis chirat. Hic ſyrupus facit ad omnia membra, præſertimque ſtomachum, & cerebrum, eaque, & cor valde roborat; ſtomachus ad concoquendum eo robuſtior fit: ex quo etiam haud immerito experiuntur, laxiori facto ſummopere conducere, atque non minus cordis palpitationi, reſolutis, convulſis, aſthmaticis, atque aliis morbis itidem maxime ſubvenit. Ex dactilis vero faciunt ſumentes ſucci dactilorum immaturorum lib. ij. s. ſucci granatorum acidorum lib. 1. ſacchari optimi, lib. quinque, ex quibus ſecundum artem faciunt ſyrupum, quo frequentius utuntur ad ventriculi inteſtinorumque relaxationem, atque ad ſanguinis fluxum, maximeque ad cruentas expuitiones. Hæcque de Ægyptiorum ſyrupis erant dicenda, tempuſque eſt, ut de purgantibus medicamentis, quibus ii uti conſueſcunt, nunc etiam loquamur.

## Cap. V.

### *De purgantibus medicamentis à medicis Ægyptiis uſitatis.*

### GUILANDINUS.

Libentissime purgantium medicamentorum, quibus ibi ii medici utuntur, uſum ex te audiam. Etenim illos plura ex his familiaria habere, nobis fortaſſe incognita, ac nova, quæ noſtris quoque medicis valde accepta erunt, tuque, atque alii multi in Occidentalibus Indiis noverunt plura medicamenta, ex Ægypto quoque quodpiam novum purgans medicamentum ex te cognitum nobis aſportatum erit Alpin. Neque multa ibi purgantia medicamenta novi, quæ ob aliquam ſingularem facultatem, atque præſtantiam digna tuis auribus putem. Ægyptii ſiquidem medici, ut alias etiam à nobis dictum eſt, medicinæ haud perfecte incumbunt, quod ea apud illam gentem in viliori pretio eſt, proinde in iis locis plerique medici empirici exiſtunt, qui ſi quid boni in medendo habent, hereditate potius à priſcis medicis ipſis relictum, quam ſcientia acquiſitum poſſident; ex quo non miraberis in iis locis medicamenta plura nova non fuiſſe inventa. Dicam tamen, quæ ibi hiſce annis eam gentem pro moliendis corporum purgationibus exercere ac affectare cognoverim. Medici vero ii, quoad purgantium uſum, Cayri duplici ſecta interſtincti ſunt, ſiquidem plerique illorum, quique medicinam in nobiles exercent, ſic in purgando ſe gerunt, ut ab omnibus ſolventibus fortibus abſtineant, timentes in regione ſumme calida, corpora à valide ſolventibus nimis calfieri, vacuari, reſolvi, atque labefactari: quare abſtinent ab uſu ſcamonii, turbith, ellebori utriuſque, cataputiæ, mezerei, eſulæ, cucumeris aſinini, brioniæ, cyclaminis, colocynthidis, atque aliorum hujuſmodi. Guiland. Horum uſu certe ea corpora valde incaleſcerent, purgarentur, & reſolverentur, præſertimque quod ex te audivi, ibi pleraque cor-

corpora eſſe temperata, habituſque moderate carnoſi, pinguis, & mollis, quæ quam facile, & multum reſolvi Gal. in lib. 10. atque etiam 11. meth. med. memoriæ prodidit, quod facile humidum per latiores poros cutis diffluat, ac reſolvatur. Addo pleroſque illorum ſtomacho languidiori conſtare, tum ab uſu frigidorum ciborum, tum à potu aquæ, veneriſque ab uſu immoderato. Itaque recte faciunt medici illi abſtinentes ab uſu valido ſolventium, quia omnia valide ſolventia calidiſſima ſunt, multumque caloris nativi reſolventia, ut Gal. in lib. de purg. med. facul. teſtatum reliquit. Sed quid clarius Hippocrate? qui ſcripſit: *Sub cane, & ante canem moleſta ſunt purgantia medicamenta.* Æſtatis vero ambientis caliditatem idem atque calidæ regionis calidam temperiem pollere, nemo ignorat. ALPIN. Non confirmaverim tamen utique id verum eſſe, cum magis crediderim illos haud parum errare, in nobiles omnes uſum lenientium potius quam purgantium medicamentorum exercentes. GUILAND. Quid, inquies, illos in regione ſumme calida abſtinentes in purgandis corporibus à valide ſolventibus medicamentis errare? vide, ne tu quoque hac de re ſis accuſandus, atque in majorem errorem labaris. ALPIN. Si potes parumper pati, ut quod ſentio loquar, id forſitan haud ita certe affirmabis, atque nos ejuſdem ſententiæ eſſe cognoſces. Itaque dico non in hoc ſtare medicorum Ægyptiorum errorem, quod ibi abſtineant ab his fortibus ſolventibus: hoc enim nunquam auſus eſſem affirmare, ſed quod ii non modo à fortibus abſtineant, ſed ab omnibus ſolventibus. GUILAND. Quid rurſum affirmabis, an nonne ſolent illi ibi corpora aliquando purgare? qui ſi id faciunt an non medicamentis ſolventibus id præſtant? ALPIN. Purgantur quidem in Ægypto pleraque corpora madicamentis ſic debilibus tum qualitate, tum quantitate, ut humores noxii à ſtomacho, vel primis venis debiliter moveri queant, quæ profecto lenientia magis quam purgantia vocanda ſunt. Ea vero hujuſmodi eſſe ſolent, quippe caſſia Ægyptia, quæ ibi copioſa provenit, manna, Tamarindi, ſyrupus ex granatis dulcibus ſolvens; de manna, hæc ſunt iis in purgando maxime familiaria, atque in uſu frequentiſſimo. Rariſſime ſolventibus

utun-

utuntur, atque in modica, ſi iis utantur, quantitate, qualia ſunt rhabarbarum, mirabolani, ſenna Mechina, Agaricus, & alia. His aliquando utuntur, ſed in exigua adeo quantitate, ut potius humores movere, quam educere queant. Nemo, quidem rhabarbari drachmam unam cum dimidia tranſcendit, vel drachm. agarici, quibus tamen rariſſime utuntur, quia tormina concitant, interim, quod rariſſime contingit prædictorum, aut ſennæ, aut mirabolanorum drachmam cum unicia mannæ, miſcent; vel cum tantundem ſyrupi ex manna parati, vel ſyrupi ex granatis dulcibus ſolutivi. His medicamentis loco valide purgantium utuntur, putantque ſic ſe purgare poſſe humoris exuperantis copiam, quod tamen non aſſequuntur, quia plerique utuntur nuper dictis lenientibus abſque ullo ſolvente, rariſſimique ſunt, qui utriſque commiſtis, uti velint. Quibus quidem exuperantes humores plurimum movent, parumque vacuant, qui non vacuati tum in venas exiles in motione inculcati, ipſas obſtruere poſſunt, tum, quod pejus eſt, ad nobilia viſcera decurrere poſſunt. Sed hic quoque plures medicos Ægyptios reperiri certo ſcio, qui hoc modo purgantes humores interim prævalido pharmaco purgandos, lenitorio moventes, modicumque ex his ducentes ſæpius in cauſa fuere, ut multi putridis febribus correpti obſtructionibus ex humore vi medicamenti per venas attracto, & non vacuato, adauctis, aut aliis è novo exinde concitatis, perierint. Ægyptii itaque, ut ad rem noſtram nunc redeamus, quamquam corpus ipſis ſit purgandum, quod vel articulorum doloribus vexetur, vel aſthmate, vel vertigine, vel alio morbo, validiori purgatione indigente, unciam mannæ, vel caſſiæ cum ſaccharo, vel ſyrupi è manna, aut ex granatis dulcibus, binas vel tres unicias exhibent, qui tamen pluribus vicibus purgant, quotidie, alii, & alii alternis ſaltem diebus, alii vero horum vice, quod tamen rariſſime faciunt, & multo cum timore, vel rhabarbari, vel agarici, vel ſennæ, vel mirabol. drachm. offerunt. Multos ego ibi novi febricitantes in eodem morbo pluribus vicibus mannæ, au caſſiæ, vel libras ſumpſiſſe, minime tamen ſanatos, qui mox ſemel tantum prævalide purganti medicamento plurimum pur-

purgati ſtatim ſani evaſerere. Sed his omiſſis, tempus eſt, ut ſigillatim de prædictis medicamentis, quibus ad purgandum eo modo illi utuntur, ſermonem habeamus, eaque primum narremus, quia multa ab his ſuperſunt diſputanda de illorum purgandi uſu. GUILAND. Recte putas, atque à Caſſiæ Ægyptiæ narratione exordire. ALPIN. Caſſia fructus eſt omnibus notiſſimus, de quo copioſius in alio libro dicemus: ipſius duæ obſervantur differentiæ, quarum alterata ex loco, in quo naſcitur, colligitur, quando caſſiæ aliæ Cayri, aliæ Damiatæ, & aliæ Alexandriæ proveniant, ex quibus locis variis aliquam etiam bonitatis differentiam præ ſe ferunt. Quæ Cayri proveniunt atque Alexandriæ, omnium ſunt optimæ, duplicique differentia obſervantur, ſiquidem aliæ colore nigro rubeſcente, qualis in Abiſſinis viſitur, atque aliæ nigræ cernuntur: illæ his meliores exiſtunt, abiſſinæque ex colore gentis, vocantur. Utræque ſunt in frequenti uſu, corticeque conſtant tenuiore. Quæ vero Peluſii, nunc Damiatæ, colliguntur, omnium minime utiles creduntur, quia ſunt corticis craſſioris, modicumque pulpæ habent, atque etiam minus ad ſolvendum efficaces reperiuntur. Quare ex caſſiis Abiſſina ceteris omnibus merito magnitudine, tenuiori cortice, multaque ſubſtantia, atque afficaciori ſolvendi vi præfertur; hac nigra Cayrina inferior eſt bonitate, & omnium minime Damiatina, quæ parva, craſſiori cortice, nigriorique colore cernitur. E ſiliquis extracta pulpa ibi omnes libentiſſime utuntur in omnibus morbis, ac ſymptomatis à flava, atque exuſta bile obortis. Etenim ipſam per os ſumptam ſanguinem, calidoſque, ac exuſtos humores educendo atque obtundendo, refrigerare, purioremque ſanguinem facere opinantur; ſtomachum etiam à quibuſvis excrementis ipſa exonerari multiplici experientia apud eos compertum eſt. In calidis diſtillationibus ad pulmones, vel thoracem prolabentibus ſumma cum utilitate eam frequentant, interim ſolam, interim mannæ, ac ſaccharo candido, vel oleo amygdalarum dulcium miſtam, quam ſic paratam, atque ſimplicem renes, & veſicam ſummopere juvare experiuntur. Mannæ vero, qua illi utuntur, quatuor ibi obſervantur differentiæ,

quarum prima eſt ſimilis grano maſtiches, quam noſtri maſtichinam appellant: Secunda eſt adulterata ex amido, ſaccharo, & modico mannæ maſtichinæ, eaque exiſtit, quam noſtri vocant bambacinam. Has duas mannæ ſpecies Ægyptii, atque Arabes Siracoſt nuncupant. Tertia (terreniabim ab iis dicta) eſt rubra, granelloſa ex Armenia aſportata. Quarta eſt quidam liquor, ut mel, qui interdum condenſatur, colligiturque ſupra arbores montis Synai in Arabia deſerta à Reverendis monachis Calojeribus, eum montem habitantibus eamque conſulibus, Cayri degentibus illi offerunt, quid magnum ipſis donare opinantes. Hanc vocant terrengibil. Uſus cujuſvis dictarum ſpecierum non differt à noſtrorum medicorum uſu. Apud illos maxime commendatur maſtichina, quæ ad purgandos omnes humores in uſu frequentiori habetur, præſertimque in affectibus pectoris à calida cauſa concitatis, & in ſiticuloſis. Namque ipſam inflammationes mitigare, febriumque calorem, atque ſitim extinguere, atque alvum mediocriter ſubducere teſtantur: Ejus vero quantitatem idoneam ſic metiuntur, ut pro ſingulo anno drachmam exhibeant, aſcendunt vero in totum uſque ad binas, vel ad plus ad tres unicas in adultis. Tamarindi non minus apud ipſos in uſu exiſtunt, quam ſit caſſia, & manna. Quorum duplex genus ibi obſervatur, alterum, quod ex regione Sahit defertur, atque alterum ex India; hoc alteri bonitate præfertur. Indoſque tamarindos bazzi appellant. His Ægyptii utuntur frequentiſſime in morbis calidis, ſiccisſque à flava bile ortum ducentibus. Siquidem hunc humorem commode ac jucunde vacuant, ſitimque omnium maxime extinguunt. Ipſis vero utuntur infuſis; infundunt enim ipſos in aqua ſimplici fluminis Nili, vel ſtillatitia cichorei, vel endiviæ, vel ſonci, vel alterius hujuſmodo qualitatis per ſeptem horarum ſpatium, aquamque percolatam cum ſaccharo, febricitantibus ſiticuloſis propinant. Non deſunt, qui ſubito infuſis tamarindis exemptis, aquam cum ſaccharo epotant. Pauciſſimi ſunt, qui eos bulliunt, verum non niſi binis, vel tribus ebullitionibus: ibi quoque tamarindi non ſecus quam nuces muſchatæ, aliaque aromata, condiuntur, ſaccharo conditos aſſumere conſueverunt,

runt, qui ſunt etiam guſtui jucundiſſimi, commodeque bilioſos humores purgant. Sic conditos plures ſecum in longis itineribus deferre ſolent, præſertimque per deſertæ Arabiæ loca iter facturi, quando iter facientium corpora ex longo itinere, ſolis calore inflammata, uſu tamarindorum juventur, quoniam ipſis non modo ſuſceptum calorem comtemperant, verum etiam, quod non ſic facile eſt iter facientes per ea loca arenoſa, ac à Sole inflammata homines à ſiti non cruriari, ſitim extinguunt. Sæpe etiam tamarindis fructus berberis addunt, ubi præſertim roborare, ac adſtringere volunt, quæ duo ſejunctim in aqua infundunt, moxque utriuſque ſimul miſtum infuſum propinant, ei ſæpe addentes mannam maſtichinam, vel terrengibil, in petia ligatam, hæcque potio jucunde alvum ſubducit, à bilioſiſque humoribus exonerat. Frequentant non minus ſyrupum ſolutivum ex granatis dulcibus paratum, quorum ſuccum ibi habent dulciſſimum. Parant vero ſyrupum iſtum, capientes ejus ſucci dulciſſimi libram unam ac mediam, quem bulliunt ad conſumptionem tertiæ partis, cui alii mannam, alii amidum, alii penidia, aliique julep addentes, ſyrupum conficiunt. Utplurimum vero parant, accipientes ſucci illiuſce ebulliti libram, mannæ maſtichinæ libram ſemiſſem, julep violati, unc. 4. Quæ miſcentes ſyrupum conficiunt. Hunc dicunt alvum lenire, bilioſos humores vacuare, atque ſanguinem refrigerare. Utuntur etiam ſyrupo ſolvente ex manna parato, quem parant ex mannæ drachmis centum, aquæ drachmis quinquaginta, mellis deſpumati drachmis decem, parumque ſimul bullientes, ſyrupum conficiunt. Prædictorum ſyruporum exhibent adultis uſque ad tres uncias. Hæc igitur ſunt medicamenta, quæ ad purganda nobilium corpora in uſu frequentiſſimo apud eos, qui ſe primates medici profitentur, atque vera purgandi methodo uti opinantur, exiſtunt. Dicunt enim iis ſe corpora blandiſſime purgare, adprimeque hunc purgandi modum iis corporibus conducere, nihilque noxæ inferre. Ubi volunt inſignem aliquam moliri purgationem, unciæ mannæ addunt binos ſcrupulos, vel ad plus drachmam rhabarbari, vel agarici, vel ſennæ, vel mirabolanorum. Interim vero prædictorum pur-

gantium medicamentorum drachmam cum ſaccharo roſaceo miſtam exhibent. Hos medicos iis blandioribus medicamentis corpora nobilium purgantes, veram medendi artem callere cives omnes, ac nobiles exiſtimant, hoſque prædicant, atque uſque ad ſydera ipſorum præſtantiam tollunt. GUILAND. In memoria habeo, jejuno, ut ita loquar, purgandi modo, priſcos illos, doctiſſimoſque medicos cœpiſſe uti, non ut illum ex arte optimum crederent, ſed ut multas contumelias vitarent, quibus recte medentes ſæpe, ut uſus requirebat, illorum corpora purgantes valioribus medicamentis, ab illa barbara gente afficiebantur. Nam inſignes purgationes illi damnabant, quæ ſi aliquando quibuſdam torminibus iis medicamentis operantur, veh miſeris illis medicis, quorum aliqui verbera etiam in mercedem accipiebant. Hincque blandis illis uti medicamentis ipſi cœperunt. Hocque non ex te tantum, ſed ex pluribus aliis, dum Cayri olim moram facerem, audieram. ALPIN. Hic jejunus purgandi corpora uſus, apud primates medicos, ut jam dictum etiam eſt, qui nobilibus tantum medentur, in uſu eſt frequentiſſimo, quem ii omnes libenter ſequuntur. Alii vero, & non pauci in urbe Cayri exiſtunt, qui oppoſito modo corpora purgant: hi etenim corpora non niſi prævalidiſſimis purgantibus vacuant, qualia ſunt ſcammonium, colocynthis, multaque ſemina validiſſime purgantia, quæ apud eos in maximo ſunt uſu. Quæ medicamenta in magna etiam doſi audaciſſime plebeis, ruſticiſque concedunt. In uſu apud aliquos ſimiles empiricos, & audaces medicos quædam ſemina exiſtunt, quæ immodice per vomitum, & per ſeceſſum purgant, ſuntque his omnibus uſitatoria, quædam minutiſſima caulium ſeminibus proxima; ex his enim unciam, quæ eſt communis adultorum doſis, craſſo modo contundunt, ex quibus cum aqua miſtis maſſam conficiunt, quam ægrotis devorandam offerunt; hoc enim inopum remedium eſt, quod non ſecus quam antimonium valide purgat. Cuidam mulieri Turcæ publicæ per eam urbem pro mulieribus hyſtericis medicinam facienti, hæc ſunt familiariſſima, quibus dicitur multas divitias ſibi ipſa paraviſſe, apud omneſque creditur doctiſſima. Fateturque ſe morbos mulie-

lierum omnes recte ſanare poſſe, viroſque minus illorum morborum cognitionem habere poſſe, quod non liceat ipſos oculatim pudendorum partes omnes mulierum ſedulo obſervare, ex quo ignorant ſæpiſſime multorum uterinorum affectuum cauſas. Hanc mulierem, medicam ipſe novi, mihique fuit valde familiaris, pulchraque atque perliberalis viſa eſt, noſtriſque ſatis perbenigna ac faceta. Aliqui ſemine utuntur abdelmeluch vocato, quod præſtantius quam catapotia purgat, & aliqui ſeminibus abdeleherua appellatis, quæ ſunt ricini Arabici ſemina, alii ſcammonium exhibent uſque ad drachman, alii utroque helleboro præſertimque nigro, colocynthide, turbith, & aliis hujuſmodi generis, quæ validiſſime purgant. Sed jam hoc empiricorum uſu, prævalide purgantium, ſermonem claudamus. Ex quo animus cupidus effectus eſt, dignoſcendi ex te, an in curandis morbis longis, contumacibuſque laudabilior ſit uſus leniter ac benigne purgantium, quam eorum, quæ prævalide purgant. Quando ſapientiores medici leniter purgantium, quæ medicamenta benedicta appellant, uſum libentius ſequantur, quam valide purgantium, dicantque corpora nunc non ſic, ut olim eſſe robuſta, quæ valida medicamenta ferre queant: atque è contra antiquiores ac eruditiores, ut Hippoc. Gal, Avicenna, atque alii valididorum medicamentorum uſum ſemper ſecutos fuiſſe, ipſorum monumentis plane conſtet, non minuſque hoc tempore ſæpe ignara muliercula, quem nunquam plures doctiſſimi medici medicamentis benedictis ſanare quiverunt, unico nuper dictorum prævalidorum medicamentorum medicamento, curarit. Qua in re valde ancipiti tuæ opinioni acquieſcere volo, quam nunc audire, & cognoſcere ex te ſummopere expecto.

## Cap. VI.

### *Uter nobilium, vel plebejorum Ægyptiorum purgandi uſus ſit laudatior, ſive an purgando medicamenta leniter vacuantia præ validioribus præſtent.*

### GUILANDINUS.

Utrumque purgandi uſum Ægyptiorum inutilem judicandum cenſeo, quando neque lenientibus, benedictiſque appellatis illis medicamentis corpora omnia recte purgari poſſint, neque minus imbecillium, mollium, pinguium, rarique habitus corpora valide purgantibus tuto vacuentur; facile ſiquidem ipſa ab his nimium reſolvuntur. Exindeque neuter illorum purgandi uſus mihi laudandus plane videtur. Alpin. Hinc nobis data occaſione, libenter ex te intelligerem, cum tu apud antiquos celeberrimos medicos medicamenta in uſu fuiſſe ad morbos curandos validiſſime purgantia, cognoveris, qualis fuit uterque helleborus, ſcamonium, colocynthis, peplium, atque alia hujuſmodi, nunc vero non modo in Ægypto, ſed in toto terrarum orbe plerique medici uſum leniter purgantium libenter frequentant, utrum valide purgantium medicamentorum uſus, leniter purgantium uſui in morborum curatione præſtet. Guiland. Mirabar ni mihi tam arduam inter medicos litem reſolvendam nunc indicaſſes, quaſi meos humeros, quidvis ponderis geſtare poſſe arbitreris. Nolo tamem hunc laborem ſubterfugere, quo te tantopere meo judicio delectari nunc ſciam. Itaque mea hac de re hæc erit ſententia, quam non audies, niſi prius aliqua clarioris cognitionis gratia tibi prædixero. Alpin. Recte ſane, nam ſine aliqua diſtinctione non poſſe reſolvi quæſitum puto. Guiland. Id ipſum arbitror prænoſcendum: etenim jam novimus prævalida medicamenta robuſtis corporibus convenire, minimeque imbecillioribus, quanquam eos ipſa morbi quoque magnitudo poſtularit, eodem itidem modo leniter purgantia robuſta corpora parum juvare affirmandum erit: vidi enim multos ab aſſumptis leniter purgantibus, nihil aut parum pur-

purgatos fuiſſe, & aliquos etiam ex purganti pharmaco non invalido parum dejeciſſe. Quamobrem non omnibus corporibus eadem purgantia convenient, ſed variis utique varia, ut Gal. in 4. de rat. vict. in morb. acut. teſtatum reliquit, quandoquidem corporum habitus, temperamentum, ſexus, ætas, victus, cœlum, anni, tempus, varia purgantia admittunt. Cui etenim dubium, corpora habitu pingui, ac carnoſo, difficilius purgari, quam gracilia: & frigidi temperamenti exiſtentia, quam calidi, & denſi habitus, quam rari, & duri quam mollis, & rarioris molliorisque qualia ſunt puerorum, valde à medicamentis reſolvi, & quæ frigido conſtant temperamento, quam calido facilius ferre ea medicamenta? proinde validiora pharmaca requirere, & calida corpora præterquam, quod citius reſolvuntur, magis etiam ab his reſolvuntur. Zarotus medicus doctiſſimus, mihi olim affirmavit, cum in Tranſylvaniæ locis aliquot annis diverſaretur, quamplurimos non niſi à prævalidiſſimis medicamentis vacuatos obſervaviſſe, ex quo ipſe non niſi prævalida purgantia ibi in omnibus eorum locorum accolis medendo exercuiſſe dixit. Eodem quoque modo mulieres molles, ac rari habitus, pluſquam viri à purgantibus medicamentis labefactantur. Atque ex ætatibus pueritia, & ſenectus difficilius purgationes ferunt. Itidemque crapulis indulgentes, difficulter purgantur. In cœlo itidem calidiori omnibus corporibus purgationes difficillimæ exiſtunt. Hippocrateſque hinc dixit, ſub cane, & ante canem moleſtas eſſe purgationes. His itaque præauditis, rem propoſitam facilius reſolvemus. Omnibus igitur corporibus, ex quacunque cauſa facile reſolubilibus, præſertim in calido cœlo degentibus, medicamenta leniter, & non valide purgantia conducent, ex quo, illos Ægyptios, qui purgando nuper dictorum ſeminum, & aliorum validorum purgantium uſum frequentant, errare cognoſcimus. ALPIN. Iigitur uſus purgandi olim priſcis medicis familiaris (utebantur enim ii ad purgandum ſcammonio, colocynthide, helleboro, peplio, atque aliis validiſſimis purgantibus) illo, quem noſtri nunc medicamentis benedictis appellatis exercent, minus utilis cenſendus erit; GUILAND. Apud Hippocratem hellebo-

rum

rum album fuiſſe purgans familiariſſimum cuilibet noſtrum no-
Text 27. tum eſt, quod in 2. lib. de fracturis, & quarto Aphorſm. ma-
Aph. 13. nifeſtiſſime legitur. In lib. etiam 2. de rat. vict. in morb. acut.
14.15.16. Text 2. in pleuritide, ubi dolor aliquando ad hypochondria deſcende-
comm. 3. rit, uſum nigri hellebori, ac peplii commendavit; & Gal. in
Text. 29. quartana febre album helleborum in lib. 1. ad Glauc. utilem eſſe
docuit, etſi ipſe in 6. lib. epidem. affirmaverit, ipſum eſſe vio-
lentiſſimum purgans, Familiari Galeno medicamenta purgan-
tia, utpote quæ apud ipſum in uſu fuerant, ſunt catapocia ex
aloë, colocynthide, ſcammonio, ab ipſo olim parata, quæ de-
Cap. 8. voranda dedit homini habenti linguam prætumidam, ut in lib.
14. meth. med. legitur: atque etiam confecta ex aloë, colo-
cynthide, ſcammonio, agarico, bedellio, & gummi Arabico.
Quorum uſum in tuſſientibus à ſalſuginoſi humoris diſtillatione
ex capite ad pulmones, lib. 5. meth. ſummopere commenda-
Cap. 14. vit. Quæ quidem Catapocia, in libro de remediis facile para-
bilibus, ad pſydracia, atque alopeciam laudavit: hæcque com-
poſuit, ut in 3. lib. de remed. facile parabil. colligitur, ex aloës
unciis ſex, maſtiches, unciis duabus, totidemque abſynthii
ſucci: colocynthidis unciis quatuor, hocque medicamentum
appellat catapocia ex aloë, & paratum ex aloë, colocynthide,
ſcammonio, agarico, atque aliis, vocat hyeram διὰ κολοκυνθί-
δως. Hæc enim medicamenta validiſſime purgantia in uſu fue-
rant apud Hippocratem, & Galenum medicorum omnium fa-
cile principes. Hinc à nobis ſciri poteſt, apud ipſos non medi-
camenta leniter purgantia, ſed valide purgantia ad vacuanda
corpora in uſu fuiſſe. Alpin. Vera loqueris, ſed ii benedictis
appellatis medicamentis à nobis cognitis carentes, cogebantur
illis uti, quæ validiſſime purgant. Guiland. Hoc verum nunc
concedatur, nihilominus in temperatis corporibus, quæ non
ex multa copia, neque admodum ex tenacibus ac craſſis humo-
ribus ægrotant, validiſſime purgantia, ſimul cum humoribus
carnem liquantia, bonæ humiditatis non parum educent, velu-
ti in Cacochymis, malorumve ſuccorum, ubi multi impacti,
infarctique ſunt, tenaces ac craſſi ſucci in viſcerum meatibus,
leniter purgantia nunquam poterunt radicitus univerſam purga-
re

re humorum copiam. Fruſtraque volentes multos in viſceribus infarctos ſuccos tenaces ac craſſos educere, tentant illos leniter purgantibus vacuare, vel aliis à noſtris medicis uſitatis, quibus raro, vel nunquam morbum à multis, & tenacibus illis ſuccis ortum, perfecte ſanant: Quod videre poſſumus in multis diuturnis febribus, quotidianis, tertianis, & quartanis. In iſtis ſæpius obſervavi humores noxios ab aſſumpto leniter purganti, potius moveri, quam vacuari, pluresque ſic ægrotantes his leniter purgantibus ſæpe in eodem morbo devoratis, potius faſtiditos, quam curatos vidi, quos ſæpe quæpiam indocta muliercula unico pharmaco validiſſimo, non ſine doctiſſimorum medicorum dedecore, perfecte ſanavit. ALPIN. Non omittam hoc loco hiſtoriam plane tua dicta confirmantem. Cayri erat Helena Chriſtiana Cophta, annos nata triginta, cui à ſuppreſſis menſtruis purgationibus caput ſæviſſimis doloribus lædebatur, eoque ipſa moleſtiſſime cruciabatur, vigiliiſque aſſiduis cum aſſidua tuſſi, atque orthopnæa miſera etiam detenta, quæ vix recta cervice reſpirare poterat, perdoctaque ab amica muliercula, ac plane ſuaſa, antimonii præparati grana quinque devoravit, à quo medicamento in primis vomitu multa cruda, pituitoſa, craſſa, ac viſcida excrementa rejecit, & moxillioſa, viridia, & tandem æruginoſa, atque atra multa, eadem per alvum dejecit, ex qua vacuatione ſtatim ſic bene ſe habuit, ut nocte tota inſecuta dormierit. atque quieverit, è tuſſi, orthopnæa, capitiſque dolore plane ſanata. Pluresque alios vidi ibi hujuſmodi valentibus purgationibus à morbis fere incurabilibus fuiſſe ſanatos. GUILAND. Atque his malis nos non ſic ex arte medemur, ut antiqui faciebant, utentes prævalidiſſimis purgantibus: volentes potius noxiorum humorum copiam vacuare, etſi non ſine ægrotorum moleſtia, inſignes hæ vacuationes operarentur, quam ab ea naturam devinci, & non tentata valida purgatione, ſinere exitium ſequi. Multi ex medicis reperiuntur, qui ægrota corpora præ manibus habentes, à craſſis, tenacibuſque multis ſuccis in viſcerum meatus, cavitateſve infarctis, curanda, dubitantes poſſe omnes illos humores vacuari, naturamque ægrotantium, vel vires non recte prævalidum

lidum purgans perferre, prius ſinunt naturam copia humorum vinci, quam purgationem tentare, vel experiri velint, quod tamen poſtea ſæpe viribus morbo imparibus factis, non ſine maximo ægrotantium detrimento facere coguntur. ALPIN. Fortaſſe hinc non ſemper abhorrendas prævalidas purgationes, colligitur; quinimo magis illas quandoque ægrotis multum conferre; Quod Hippoc. in primo lib. Aphoriſm. docuiſſe viſus eſt, cum dixerit: *Dejectiones non multitudine ſunt exiſtimandæ, ſed ſi talia dejiciuntur, qualia conveniunt, & ægri facile tolerant, atque ubi uſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poſſit tolerare, & multo magis*; cum ejuſdem omnino ſententiæ Gal. in Commento fuerit, dum dixerit; *in maximis etiam inflammationibus, & vehementiſſimis doloribus nullum majus novi remedium, quam uſque ad animi defectionem evacuare, adhibita diſtinctione an mittere ſanguinem, an purgare oporteat uſque ad animi defectionem.* GUILAND. Multos juvaſſe inſignes, ac etiam immoderatas validiſſimis purgantibus præſtitas vacuationes, non raro multis obſervatum eſt. Plures inveniuntur, qui vel ſtibium præparatum, vel æris infuſum ſumpſere, ut ab antiquis hepatis, lieniſque obſtructionibus ſanarentur, quibus per vomitum, & alvum copioſiori facta vacuatione, priſtina ſanitas reſtituta fuit, qui nunquam potuere aliis uſi medicamentis leviter purgantibus ſanari. Ex quo forſitan ſuſpicandum eſt, apud Hippocratem, alioſque ejus temporis medicos doctiſſimos, veratrum album fuiſſe in uſu familiariſſimo, quod morbos brevi tempore, ac perfecte humorum noxiorum multitudinem, viſceribus, atque aliis internis partibus tenaciter adhærentium, prævalida vi abſtergendo, evellendo, atque purgando ſanaret.

Aphor. 13.

Aphor. 23. At tu Hippocratis Galenique præceptum in primo lib. Aphoriſm. memoriæ proditum in medium quoque attuliſti, qui ambo docuerunt, corpora aliqua interdum etiam ad animi uſque defectionem purgari poſſe. Quorum ſententia ſic omnes fere noſtros medicos diſtorſit, ac turbavit, plerique ipſorum nunc contendant, illiuſce Aphoriſmi præceptum Hippocrate dignum non eſſe, quoniam in ea non ſunt ſententia, ut innoxie poſſint corpora unquam ad animi defectionem purgari, neque

id

id ex arte medicos facere nullo pacto debere affirmant, neque ſi fiat tutum eſſe: Qui tamen, ut tantorum medicorum ſententiam ſervarent, plurima commenti ſunt, alii ſiquidem dicentes, communi quadam ratione, & non proprie ab his dictum fuiſſe, vacuationem aliquando ad animi uſque defectionem moliri poſſe, & alii verborum ſeriem pervertentes, negant hæc verba, ad animi defectionem, in antiquis Codicibus reperiri, atque alii Hippocratis Aphoriſmum corruptum fuiſſe affirmant. Quem ſic quoque Galenum interpretatum fuiſſe, cujus mos eſt, ſic ut jacent, Hippoc. textus ac verba commentari. Nonnulli etiam opinantur, licere aliquando corpora purgari ad animi defectionem, at per defectionem, non exquiſitam ſyncopim, quæ reſolutis ſpiritibus fit, ſed levem quidem animi defectionem, quæ ſæpiſſime aſſumptorum purgantium qualitate, vel ab humore acri, ore ſtomachi læſo, vel etiam in inteſtinis, dum mucoſi acreſque humores ab ipſis evelluntur, atque tranſeunt, torminibus quibuſdam concitatis, vel etiam à quapiam levi reſolutione vacuationem inſignem ſecuta, excitatur; qualem quiſque noſtrum in praxi in multis purgationibus aliquantulum majoribus, quam par foret, vel à medicamenti, vel ab humorum qualitate infeſta, in ſtomacho, vel inteſtinis angorem, vel tormina concitante, ſæpiſſime obſervavit. Plures ſiquidem ab his cauſis etiam à non prævalido purgante in ſyncopim ſæpe labuntur. Hincque fit, quod omne prævalidum purgans aliquam defectionem pariat, aliqua ſpirituum reſolutione facta, aut ab ejus infeſta qualitate; uti in helleboro, ſcammonio, ſtibio præparato, aliiſque ſimilibus medicamentis obſervatur. Uſum prævalidi purgantis, ubi ajunt, ad animi uſque defectionem purgandum eſſe, Hippocratem atque Galenum intellexiſſe, quale veratrum erat Hippocratis tempore, quo omnes ſemper cum vacuarentur, lipothymia aliqua corripiebantur. Omneſque medici ſtibium, æris infuſum, ſambucum, camelæam, ſcammonium, aut aliquod ejuſmodi validiſſimum purgans exhibentes, præmonent ægrotos purgandos, fore à medicamenti vi prævalida, atque ab ejus infeſta qualitate ſtomachi angoribus, torminibus, atque aliquando animi defectionibus medicamento coo-

perante, tentandos. Itaque per purgationem ad animi defectionem faciendam inſignem, ac copioſam, quæ fit prævalidiſſimo purganti, Hippoc. Galenumque intellexiſſe multis hinc perſuaſum eſt. Quæ dum fit, multi levi lipothimia corripiuntur. Neque alienum à ratione, & experientia eſſe puto, quoſdam copioſis ac inſignioribus his purgationibus juvari poſſe, præſertim robuſtos, eas tolerantes, maximeque à vehementiſſimis inflammationibus, vel doloribus ex copia humorum exortis cruciatos, quippe copia moleſtantis humoris prorſus vacuata, dolores tolluntur, atque inflammationes ſanantur. Et quamquam non æque facile, perinde ac ſanguinis miſſio, purgatio ſiſti firmarive poſſit, nihilominus, non eſt ex his, quæ fieri nequeunt, etſi quandoque valde difficile, fluentem alvum firmare, ac ſiſtere. Quapropter, ut tandem quæſitum dubium reſolvam, in omnibus antiquis morbis, qui à tenacibus multis ſuccis, obſtructionibuſque viſcerum pertinacibus, oriuntur, in tumoribus, ſuſpirioſis, aſthmaticis, in antiquis doloribus, præſertimque articulorum, in chronicisque febribus, atque in aliis ſimilibus morbis contumacibus, dummodo robur corporum admittat, prævalidorum purgantium uſus, leniter purgantium uſui præferendus videtur. In debilioribus vero corporibus prævalidas vacuationes ferre nequeuntibus res ex oppoſito creditur: ſiquidem his leniter purgantia magis conferent, etiamſi morbi cauſæ validum purgans expoſcerent. non ſecus quam in mittendo ſanguine nos ſæpe obſervamus, in iis, quibus morbi ratione plurimum ſanguinis eſſet vacuandum, viribus, vel ætate, vel alio renuente, ſanguinem mittimus in pauciori tamen quantitate, qui tantum commodi illis affert, quantum nuper dictis debilibus corporibus leniter purgantia; ſi enim maximam ferre potuiſſent vacuationem, majus quoque eis commodum accederet, proinde juvant, quæ non inopportuna quantitate fiunt vacuationes, quantum juvare poſſunt. Alpin. Verum dicis, namque, ut alias tu quoque narraſti, ego etiam multos vidi à diuturnis ex capite in pulmones diſtillationibus languidos, ac pene tabidos effectos, ac redditos, ut vix eorum ſalus amplius ſperari potuerit, nihil per longum tempus à benedictis illis vocatis

pur-

purgantibus juvatos, ſemel à devorato ſcammonio, vel ſtibio, vel colocynthide largiſſime purgatos, continuo ſanos evaſiſſe. Ceterum hæc medicamenta requirunt medicum non minus doctum, quam prudentem, ut quid opus ſit, ſcire, ac prudenter videat: ſed nunc ſatis de his locuti ſumus, tempuſque eſt, ut ad alia tranſeamus: ſed quid de aquæ potu poſt devoratum purgans, à quibuſdam recepto, judicabis? GUILAND. De eo nunc etiam quæpiam à nobis dicenda erunt, ſed clarius antea hunc mihi uſum manifeſtes, ut rem apertius tractemus.

## CAP. VII.

*Apud nonnullos Ægyptios in uſu eſſe ab aſſumpto purganti medicamento, frigidam multam propinari.*

### ALPINUS.

RIDICULUS ſane hic uſus ac valde barbarus tibi videbitur: quippe medicos illos non paucos ab aſſumpto ſtatim purganti medicamento, ægrotis multam frigidam aquam bibendam propinare. Ego unum hoc ex ea ſæpius obſervavi, leviſſimo medicamento, inſignem per alvum vacuationem fieri. Multi illorum conſueſcunt ex omnibus medicamentis purgantibus, caſſiam, mannam, terrengibil, ſyrupum de granatis ſolutivum, atque ex manna paratum cum aqua exhibere: in primis quidem caſſiam, vel mannam, vel aliud nuper dictorum medicamentorum ægrotis offerunt, paulo poſt aquam propinantes frigidam, alii ejus binas, vel tres libras, atque alii quantum ægroti bibere queunt, concedentes: ex qua ſæpe ego, etſi ab ea alvus turbate multa dejecerit, tamen multos pene mortuos, toto corpore ea cauſa immodice tumefacto, vehementiſſimiſque doloribus lacerato, conſpexi. Multis quoque rurſus poſt aſſumptam mannam ad binas libras perhauſta, alvum abſque multa moleſtia ſubductam dejeciſſe, atque contuliſſe vidi. Quod fortaſſe accidebat, quia aqua Nili ſub dulcis, & tenuiſſima, perinde ac ſerum lactis, alvi dejectionem ad-

adjuvabat. GUILAND. Barbarus, ac ſumme periculoſus uſus mihi videtur, à nulloque imitandus, quinimo ab omnibus abhorrendus, neque etſi aliquos commode, ac utiliter eo purgatos fuiſſe dixeris, aliquid boni habere putaverim, quod caſu eos ſic purgatos fuiſſe certus ſim, aqua ſiquidem omnis quamquam optima ſit, omnique culpa vacet, ut Gal. in 3. de vict. rat. in morb. acut. docebat, tarde meat, difficile concoquitur atque ægre deſcendit: quonam itaque modo aqua poterit vim purgantem medicamenti fovere, atque augere? atque ſi ex ipſa aliquando commode quoſpiam purgatos compertum ſit, in cauſa fuiſſe, vel ab ea cruditas concitata, vel natura ex multitudine aquæ excitata intempeſtive ad expellendum. ALPIN. Nihilominus ego ſum hujus ſententiæ, quod ipſa, quæ eſt omnium aquarum, ut alias demonſtratum eſt, & tenuiſſima, & maxime concocta, modice ſumpta poſſit commodam alvi dejectionem adjuvare, multoque magis, quod omnes aquæ Ægypti aliquid nitri ſapiant: tota etenim Ægypti terra nitroſa, ac ſalſuginoſa eſt, proinde aqua quoque illiuſce fluminis ſupra terram, nitroſam tranſiens, aliquantulum in ſe nitri naturæ retinere potuit, quamobrem aqua illa ſubducendi, vel abſtergendi quapiam facultate prædita ſit, cujus rei fortaſſe non ſpernendum hoc erit argumentum, quod omnes advenæ, cum primum Cayrum acceſſerint, eaque aqua in potu uſi ſint, per multos dies diarrhæam copioſam patiuntur; hincque etiam ipſam fortaſſe, præterquam quod probe in tam longo itinere à Solis calore concocta eſt, etiam aliquantulum nitri habens, ventriculi calorem non ſic labefactet, neque ſit ita ipſi ſtomacho moleſta, ut alibi, percipitur. Averrhoes etiam in lib. 7. collig. dixit: *Et quantitas, quam dare debes, ex rheubarbaro, eſt à duabus drachmis uſque ad tres, miſcendo ei ſyrupum juleb, & ſquinzibim an. unica una, cum quinque partibus aquæ frigidæ.* Atque hoc fortaſſe idem invenietur apud Avicennam, Haly, atque Rhaſim, & alios, qui interim aquam poſt purgans medicamentum frigidam dare præcipiunt. GUILAND. Poſſet quidem aquæ Nili fluminis ineſſe talis vis, ſed tu hac non contentus, uſum aquæ etiam aſſumptis pharmacis ex Averrhois & alio-

aliorum Arabum præclariſſimorum medicorum teſtimonio probare videris: quod ſi ita eſt, animadvertas velim, Averrhoem, atque alios Arabes medicos, aquam frigidam dandam illis tantum conſueviſſe, quibus præ caliditate ſtomachi periculum eſt, ne vel vomant medicamentum, vel in ſyncopim ferantur, ut manifeſtiſſime cuique ſedulo prædictorum ſcripta animadvertenti, & ipſorum mentem percipienti, notum erit, ſed de hoc uſu hæc dixiſſe nobis ſufficiat, atque ad varia compoſita medicamenta, quibus ea gens utitur, accedamus.

## CAP. VIII.

### *De theriaca, atque aliis compoſitis medicamentis, quæ in uſu ſunt apud Ægyptios.*

### GUILANDINUS.

NONNE etiam Ægyptii medici compoſitis aliquibus medicamentis utuntur? quæſo, quæ ſunt; ea mihi narres, ALPIN. Pauciſſima compoſita illos in medendo exercere obſervavi, nullaque ad purgandum, neque catapotia, neque electuaria ſcitu digna. GUILAND. Ea tamen qualia ſint, narrare quoque non te pigeat. ALPIN Quæ ex medicamentis compoſitis apud eos in uſu fuiſſe tunc temporis ab iis didiceram, hæc plane exiſtunt, quippe theriaca, bernavi, bers, phenonie, philoſopha, atque Diameſch. Hæc enim ſcitu digna eos in medendo frequentare animadverti, ſed omnium maxime theriacam Andromachi Senioris, quam juſſu Turcarumm Regis ipſi ſumma cum diligentia componunt; in aliis vero, quæ dixi medicamentis non eandem adhibent illi diligentiam, cum pro arbitrior omnes domi componere poſſint: quiſque enim medicinæ etiam plane ignarus, ut lubet, ea pro uſu ſibi parat, ac componit. De theriaca vero res aliter ſe habet, ſiquidem non licet alicui ipſam privatim componere, ſed publice coram omnibus medicis, in publico loco, quod pro ipſorum rege componatur, cujus juſſu omnis cura ac diligentia ab illis adhibetur, ut perfectiſſima ac ab-

abſolutiſſima perficiatur. Atque hinc Ægyptii, apud quos nunc optima medicina obſolevit, theriacam ceteris aliis medicamentis accuratius componunt, ejuſque compoſitioni maxime incumbunt, qui ſciant hac ratione ſe ſuo regi obſequi, cui tale medicamentum gratiſſimum eſſe intelligant. Accedit etiam, quod id medicamentum apud omnes Ægyptios in frequentiſſimo eſt uſu, quando fere ad omnes morbos ea gens theriaca utatur. Locus, in quo eam componunt, eſt templum, urbis Cayri præclariſſimum, Moreſtan vocatum. In eo omnes medici juſſu præfecti, cum archiatro medicorum, ſive principe, quem Achim-Baſſi appellant, ſimul conveniunt, menſe Majo fere ſemper, ut de hac præclariſſima compoſitione paranda conſilium apud ipſos habeatur: ibi tum is qui compoſitioni faciendæ deſignatur, qui eſt pharmacopola exercitatiſſimus in ea compoſitione, ſolamque theriacam componit; coram omnibus paſtillos omnes conficit, cum quibus poſtea totam compoſitionem accuratiſſime abſolvit. Is autem qui eo tempore, quo Cayri ego medicinam faciebam, compoſitionem hanc moliebatur, fuit Mahemet ebne Haly, vir quidem quamvis Mahemetis aſſecla, morum tamen integritate non ſpernendus, quique advenas plurimi facere præ ſe fert; fingit tamen ingenti ſpe lucri, ex multa theriaca, quam advenis continue vendit. Nunquam tamen ego, etſi mihi admodum domeſticus, ac familiaris eſſet, theriacæ compoſitionem, quam illi ſervant, ex eo diſcere potui, nunquam voluit me ipſo etiam præſente legere. Timent enim, ſi nos ipſorum compoſitionem, quam ceteris abſolutiorem ac præſtantiorem eſſe opinantur, ab ipſis didiciſſemus, multi lucri, quod cum advenis plurimis Italis, Germanis, Polonis, Anglis, Gallis, Flandris, aliarumque multarum nationum hominibus ſæpiſſime in Ægyptum navigantibus continue faciunt, ſe non parum jacturam ac damnum paſſuros. Vel etiam quia illis lege interdictum eſt, Chriſtianos homines eam compoſitionem poſſe docere. Hincque nemo advena poteſt ullo pretio ab illis eam compoſitionem intelligere GUILAND. Hoc jam diu ſciveram, ſed tu quanam arte uſus fuiſti, ut eam ab illis intelligeres? auro fortaſſe pharma-

macopolæ illius timorem, atque legis interdictum te expugnaſſe puto. ALPIN. Nullo meo conſilio id accidit, ſed caſu atque ab alio Mahomete mihi valde familiari, rei herbariæ longe omnium Ægyptiorum doctiſſimo, cui quotidie ex Arabiæ, atque Æthiopiæ, Indiæque locis aliqua nova medicamenta ab amicis mittebantur, theriacæ, quam Ægyptii componunt, integram ac veram habui deſcriptionem: paucis enim diebus antequam ab Ægypto diſcederem, Deo volente, mihi contigit, ne citra ſic deſideratam illorum theriacæ compoſitionis cognitionem, exinde malo animo abirem, idque nec aurum, nec aliud munus, niſi multa ejus viri erga me humanitas confecit. Apud ipſum enim cum diſcederem, vidi librum permagnum, & mirabilem, qui à doctiſſimo Ægyptio, olim Sultani cujuſpiam Ægypto Imperantis mandato, qui omnes Ægypti, Arabiæ, Æthiopiæque locorum plantas diligentiſſime obſervaverat, de omnium illorum locorum plantis conſcriptus fuerat. Quem ſi recte latinitate donatum noſtri haberent, de multis medicamentis peregrinis lites omnes abſolverentur. Forte fortuna igitur, ut ad rem nunc redeam, diebus pauculis, antequam illinc diſcederem, cum quorundam ſimplicium medicamentorum occaſione, dictum Mahemetem herbariæ profeſſorem conveniſſem in ejus apotheca ſeligentem, parantemque ſimplicia pro theriaca Ægyptiorum, ab omnibus medicis illo tempore indicta, ut illa in Moreſtan mitteret Mahemeti theriacæ compoſitori. Nam Mahemet ille, qui jam multos annos theriacam componebat, ſolitus erat omnia medicamenta, quibus theriaca paratur, ab eo accipere; is rogatus à me, quid nunc negotii haberet? cum reſpondiſſet herbas, ſuccos, gummata, radices, ſemina, atque alia medicamenta ſimplicia pro componenda theriaca ſeligere, quæ in Moreſtan ad Mahemetem compoſitorem miſſurus erat, ſchedulam, in qua theriacæ compoſitio Archiatri medici Ægyptii litteris deſcripta legebatur, ejuſdem medici, quoque ſigillo ſubmunitam, rogatus, mihi ſe præſente legendam paululum conceſſit, atque poſtea etiam permiſit, ut totam eam diem illam commodius perlegere poſſem, ac contemplari. Cujus ſcripturæ principium cum Ægyptio medico

Hebræo Italicam æque ac Arabicam linguam callente, cum legiſſem, theriacæ eſſe compoſitionem, quam per eum annum medici Ægyptii componere pro Turcarum Rege conſtituerant, quamprimum agnovi. In qua, ut jam dictum eſt, aderat Achim baſſi ſubſcriptio. Illam continuo domi cum dicto Hebræo medico, præſente etiam Octavio Rovereto Tridentino medico excellenti, qui cum Franc. Delphino, ibi pro Sereniſ. Dominio Veneto Conſule Clariſſimo, in Ægyptum, medicinam exercendi cauſa venerat, ex Arabico idiomate in latinam linguam verti, quam quidem ne amplius tuum deſiderium remorer, hoc modo ſcriptis traditam nunc ex me audies. Verum nomina medicamentorum ſcribere primo Arabice, & mox Latine clarioris cognitionis gratia volui.

## Cap. IX.

### *Theriacæ compoſitio, quam ſingulis annis Ægyptii pro Turcarum Rege componunt, quam Tharachſaruc appellant.*

### ALPINUS.

Ut Theriacam igitur componant, accipiunt.
Acras hauſel, id eſt, paſtillorum Scyllinorum, dra. 864.
Acras Affa, id eſt, paſtillorum ex ſerpentum Thayr vocatorum carnibus paratorum, dra. 432.
Acras Alindaracoron, id eſt, paſtil. Hedicroorum, dra 432.
Darfelfel, id eſt, piperis longi, dra 432.
Affium Rumi, id eſt, opii Thebaïci, dra. 432.
Zaraverd, id eſt, florum roſarum, dra. 216.
Haſſeleſuſlan, id eſt, radicis iridis, dra. 216.
Scordium, id eſt, ſcordii, dra. 216.
Garicum, id eſt, agarici, dra. 216.
Dehenbalaſſan, id eſt, opobalſami, dra. 116.
Darſini, id eſt, cinnamomi, dra. 216.
Rohobſus, id eſt, ſucci Glycirizæ, dra. 216.

Be-

Bezer Saglian, id eſt, ſeminum bunii, dra. 216.
Mur amar, id eſt, Myrrhæ coloratæ, dra. 108.
Zaffaran, id eſt, croci, dra. 108.
Cheſt mur, id eſt, coſti amari, dra. 108.
Archer, id eſt, floris ſquinanthi, dra. 108.
Selica ſeuda, id eſt, caſſiæ nigræ, dra. 108.
Sombulendi, id eſt, nardi Indici, dra. 108.
Condor Abiat, id eſt, Thuris albi, dra. 108.
Felfel abiat. id eſt, piperis albi, dra. 108.
Felſel aſſuet, id eſt, piperis nigri, dra. 108.
Zenzibil, id eſt, zimziberis, dra. 108.
Stecadus, id eſt, ſticados, dra. 108.
Elchelimbat, id eſt, therebenti, dra. 108.
Faudeneg, id eſt, calamenti montani, dra. 108.
Rhavend ſeni, id eſt, rhabarbari, dra. 108.
Maſchatramaſſie, id eſt, Dictami, dra. 108.
Fraſſium, id eſt, praſſii, dra. 108.
Pentaphilum, id eſt, pentaphyli, dra. 108.
Petroſelium, id eſt, petroſelini, dra. 108.
Chamefitos, id eſt, camepytheos. dra. 72.
Giahade, id eſt, polii dra. 72.
Phu, id eſt, Valerianæ. dra. 72.
Amama, id eſt, amomi, dra. 72.
Tinmactum, id eſt, terræ ſigillatæ, dra. 72.
Sombul Rumi, id eſt, ſpicæ Græcæ, dra. 72.
Colochtar, id eſt, vitrioli, dra. 72.
Mea ſeile, id eſt, ſtyracis liquidæ, dra. 72.
Ab balaſſan, id eſt, carpobalſami, dra. 72.
Henud, id eſt, acori, dra. 72.
Raſianeg ſamar, id eſt, ſeminum fœniculorum, dra. 72.
Gentiana, id eſt, gentiana, dra. 72.
Sang Arabi, id eſt, gummi Arabici, dra. 72.
Gardemani, id eſt, cardamomi, dra. 72.
Rohob Chachia, id eſt. ſucci Acatiæ, dra. 72.
Nanachue Endi, id eſt, ameos Indi, dra. 72.
Bezer caraſs, id eſt, ſeminum apii, dra. 72.

 Ani-

Aniſum helb, id eſt, aniſorum dulcium, dra. 72.
Chemadrios, id eſt, chamedrios, dra, 72.
Seſelios, id eſt, ſeſelios, dra. 72.
Mu, id eſt, mei, dra. 72.
Horf, id eſt, naſturtii, dra. 72.
Haſart leget, teteis, id eſt, ſucci hypociſtidis, dra. 72.
Secbines, id eſt, ſerapini, dra. 72.
Hyuſaricum, id eſt, Hyperici, dra. 72.
Gindubaleſtar, id eſt, caſtorei, dra. 72.
Zaravend tavil, id eſt, Ariſtolochiæ longæ, dra. 72.
Daucum, id eſt, Dauci, dra. 72.

Vini granatorum, aut vini antiqui quantum ſufficit. Mellis optimi partes tres. Guiland. Theriacæ huic deſcriptioni addenda quoque à te eſt paſtillorum in primis; qui ex ſcylla conficiuntur, mox etiam aliorum, compoſitio. Alpin Paſtillos Scyllinos parantes, accipiunt ſcyllam albam mediocris magnitudinis, quam triticea paſta conte&tam, ac concluſam in ignem ponunt, urique ſinunt, quouſque paſta circa Scyllam poſita, perfecte aſſata videatur, ac cruſtam contoſtam contraxerit, quam continuo eximunt, atque extrahunt, quodque intus cœpæ ſcyllæ eſt molle accipientes, ei farina orobi permiſta, in ea portione, ut reſpondeat duabus ſcyllæ partibus una farinæ, & plus etiam farinæ admiſcent, ſi ſcylla multam habuerit acredinem: ſicque in miſcenda farina ſcyllæ ſe gerunt, ut ex multo, vel pauco ſcyllæ acri ſapore farinæ quantitatem expendant: ſcyllis acriori ſapore præditis farinæ plus, & minus his, qui obſcuriorem habent acrimoniam permiſcentes. Utrumque quippe percoctam ſcyllam, atque orobi farinam manibus conterunt, atque poſtea ſimul miſta in mortario contundentes, maſſam efficiunt, ex qua orbiculos parvos faciunt, digitis prius oleo roſaceo inunctis: hoſque permittunt per multos dies ſub umbra ſiccari. Viperinos vero eodem certe modo, ut Gal. in lib. primo, de antidotis docet, ipſi parant; uno hoc excepto, quod ex viperarum carne, ex quibus noſtri ſuos faciunt paſtillos, eos non parant, ſed ex quibuſdam ſerpentibus viperis tamen omnino corporis colore, magnitudine, figura, atque habitu proxi-

ximis, capite excepto, quod in viperis noſtris depreſſius eſt, cornibuſque caret; ſiquidem ſerpentum illorum capita, uno, vel duobus cornibus prædita ſunt, duo fœminæ, unum mares habent, quæ cornua ſunt veluti acutiſſimæ acus, quibus mulieres ad ſuendum utuntur, atque in hoc noſtræ viperæ ab Ægyptiis differre cernuntur. Sed de his poſterius copioſius loquemur. Paſtillos vero alindaracorum, quos noſtri hedicroos vocant, parant, accipientes.

Darſiſchan, id eſt, corticis rad. aſpalathi, dra. 108.
Caſſabelderira, id eſt, calami, aromatici, dra. 108.
Idam balaſſan, id eſt, xilobalſami, dra. 108.
Cheſt mur, id eſt, coſti amari, dra. 108.
Aſſarum, id eſt, aſari, dra. 108.
Mu, vel Meu, id eſt, mei, dra. 108.
Achaovan, id eſt, mari, dra. 108.
Maſtiche, id eſt, maſtiches, dra. 108.
Fecahatcher, id eſt, floris ſquinanthi, dra. 360.
Ravends, id eſt, rhabarbari, dra. 360.
Selica, id eſt, caſſiæ, dra. 360.
Darſini, id eſt, Cinamomi, dra. 360.
Sambul endi, id eſt, ſpicæ Indæ, dra. 288.
Sadegendi, id eſt, folii Indi, dra. 288.
Mur, id eſt, myrrhæ, dra. 432.
Zaffaran, id eſt, croci, dra. 216.

Omnia hæc terrunt tenuiſſime, atque cum vino granatorum miſcentes, digitis opobalſamo inunctis ex ea maſſa orbes faciunt, quos in umbra ſiccant.

## Cap. X.

### *In quo Ægyptiorum theriacæ diſcriptio diffe-rat ab ea, quæ ab Andromaho Seniore olim momoriæ fuit prodita.*

## GUILANDINUS.

Hanc theriacæ deſcriptionem, quam Ægyptii ſequuntur, longe ab ea, quam Andromachus Senior docuit, differre patet: Primum quidem numero ingredientium medicamentorum ab ea differens eſt, quando in hoc ingredientia medicamenta ſint novem, & quinquaginta, in Andromachi vero unum, & ſexaginta: Deeſt Ægyptiæ aſphaltus, ſive bitumen Judaïcum, Centaurea, galbana, malabatrum, opponax, neque in ea perfectus ingredientium ſimplicium numerus obſervatur. Andromachi etenim theriacam ſimplicia omnia ingrecientia ſex numeris comprehenduntur, quorum primus eſt quadraginta octo, ſecundus vinginti quatuor, tertius duodecim, quartus ſex, quintus, quatuor, atque ultimus duorum. Ægyptiorum theriacæ deſcriptioni deeſt ſextus numerus, quæ tamen ceteris aliis numeris ſimilis eſt, ſuoſque habet Andromachi diſcriptionis numeris plane reſpondentes, quanquam in majori quantitate illi ipſam una vice componant. Primum enim ingredientium ordinem faciunt octingentorum cum ſexaginta quatuor, qui ſane magnus numerus ingredientium, deſcriptionis Andromachi primum numerum decies, & octo plus comprehendit, cum Ægyptii decies, & octo plus theriacæ una vice componant, quam ſit Andromachi deſcriptio. Primus igitur ordo ingredientium ſimplicium, & ſecundus, & tertius, & quartus, primo, & ſecundo, & tertio, & quarto Andromachi ordinibus recte convenit. In quinto vero partim convenit, & partim differt; convenit, quod ex quatuor cum viginti ſimplicibus medicamentis, omnia, exceptis duobus, habet, quando ſolum malabatrum, atque thlapſi ei deeſt. Differt etiam, quia alia habet, quæ in Andromachi deſcriptione

non

non leguntur, qualia ſunt, acorus, apium, & naſturtium, habetque reliqua, quibus ab Andromacho ſextus ordo datur, qualia ſunt, caſtoreum, ariſtolochia longa, atque daucus. Alia deſunt, non enim Ægyptii in ſua compoſitione ponunt, aſphaltum, opopanacem, & centaureum: ex his itaque nobis perſuaſum eſt, illorum deſcriptionem ſcatere multis erroribus. Sed cupio, ut de omnibus rurſum ingredientibus commodius loquamur, eaque altius ſpeculemur, à paſtillorum præparatione facto principio. ALPIN. An non omnium paſtillorum intheriacam ingredientium compoſitionem ex dictis didicimus? GUILAND. Quæpiam de ingredientibus in paſtillorum compoſitionem, fore à nobis clarius cognoſcenda exiſtimo; atque in primis quia tu dixiſti, paſtillos ex viperarum carnibus parandos, ibi ex ſerpentibus thayr vocatis parari, velim, ut ſerpentem illum ex quorum carnibus paſtillos, vel trochiſcos illos conficiunt, mihi ſedulo deſcriberes, ut clarius ipſum cognoſcere poſſim. ALPIN. Tahyr ſerpens eſt longitudine duorum ad ſummum cubitorum, corporis magnitudine, colore, figura, ut nuper etiam dictum eſt, viperis à noſtris vocatis, proximis, hoc excepto, quod caput habent magis latum ac depreſſum, atque in eo cornua alba geſtant, mas unum, & fœmina duo, in ſincipite, non ſecus quam acus acutiſſimas; ex quibus aliqui judicarunt, illum ſerpentem veram eſſe ceraſtem: quod ſi Arabum ceraſtis deſcriptione acquieſcendum eſſet, ſine dubio ceraſtis ille ſerpens non erit putandus, quando in hac fera ſive ſerpente, non reperiantur cartilagines ſpinarum loco, ſed eadem ſpina, quibus viperarum corpora prædita ſunt, neque, ut ajunt, plura quam duo cornua geſtant, quæ recta, minimeque obliqua cernuntur; Neque dignoſcitur in his feris, quod Aetius in lib. 13. ſcriptum reliquit, his profecto verbis dicens: *Ceraſtes magnitudine cubitalis eſt, longiſſimus cubitorum eſt duorum, corpore vero arenoſus eſt, & juxta caudam deſquammatus: eminentias habet in capite duas, cornuum ſimilitudine.* Audivi in commorſis ab his ſerpentibus thayr vocatis eadem plane ſymptomata obſervari, quæ à viperarum noſtrarum morſibus prodeunt, hocque unum certo ſcio, non eſſe illorum

mor-

morſum uſque adeo exitioſum, ut de ceraſtis morſu à multis proditum eſt. Teſtis erit Antonius Palmerius presbyter admodum reverendus, qui multos annos Cayri, multis Venetis Conſulibus ſacra miniſtravit, fuitque Cancellarius; is mecum una vidit, Mahemetem theriacæ compoſitorem, duos thayr vocatos ſerpentes, dum ut nobis aliquando oſtendere vellet, manibus contrectaret, ab altero ipſorum commorſum, ſola theriaca foris intuſque adhibita ſanatum fuiſſe, in quo cum omnia ſymptomata viperarum apparuerint, ſine dubio affirmare poterimus, thayr viperam cornutam eſſe, cum ſolis cornibus à vipera noſtrorum differat. Ex horum carnibus paſtillos illi, ut jam etiam dictum eſt, non diſſimili, qui noſtri parant modo. Hedicroos vero, quos alindaracorum appellant, diverſiſſime ab iis, qui tum à magno, quos Galeno in lib. de theriaca ad Piſo. docuit, tum ex Andromacho ab eodem Galeno, in lib. primo de antid. litteris proditi fuere, componunt. Quod tibi ex ipſorum narrata deſcriptione manifeſtiſſimum eſſe puto. GUILAND. Admodum certe diſſimilis eſt hedicroorum hæc paſtillorum deſcriptio, ab ea, qua in illis componendis, uſus fuit Galenus ex Andromachi mente; attamen illos veris, ac legitimis pleriſque ingredentibus ut exiſtimo, quod in his locis non ſit difficile multa medicamenta ſimplicia haberi, cum Ægypto Arabia, Æthiopia, India, Græcia, ſint conterminæ, in quibus præclara multa ſimplicia, quæ nobis deſiderantur, ſponte naſcantur, atque facillime illuc convehantur. ALPIN. De his omnibus, dicam libere, quid ab his didicerim, atque quid ſentiam. Et ut à Darſiſahan, qui eſt aſpalathus Dioſcoridis, principium faciamus, dico, illos in hanc hedicroorum compoſitionem veram radicem aſpalathi conjicere, quam ex Creta, vel Rhodo ipſi ſe habere ajunt, quæ eſt valde craſſa, longa, dura, coloreque flavo rubeſcente, admodum odorata. Eam Dominicus à Rege, qui pharmacopolam Cayri agebat pro Georgio Hemo Conſulatum tunc gerente, in Cretæ loco prope portum Fraſchia dictum meo juſſu plures radices excerpſit, & Cayrum pro uſu ſecum tulit. Arbuſtus eſt aſpalathus ramulis denſis, ſpinis albis duriſque horridus, foliis rutæ proximus,

mis, atque floribus aureis, raris, ſparthii florum æmulis, ſumme odoratis; ego eam plantam jucunditate eximia odoris, ex ejus floribus, ubi Cretæ loca aliquando diverſarer, ad nares elata cognovi. Alii ſunt; qui eo carentes, quandam herbam ſubſtituunt, quam falſo aliqui dirſiſahan vocant: hanc ego hyperici ſpeciem ex ejus figura, & ſeminibus nigris ſubrubeſcentibus, in parvis folliculis, qui picis redolent odorem, judico. De Caſſab, elderica rectius, quam noſtri, cum vero ac legitimo mea ſententia utantur calamo aromatico, & non acori radicibus, quæ nunc apud multos herbarum materiæ ignaros medicos, pro calamo aromatico in uſu familiariſſimo exiſtunt, qui quam bene hoc intelligant, tu melius in herbarum materia exercitatior explicabis. GUILAND. Quid? non omnibus manifeſtiſſimum eſt, calamum aromaticum eſſe non radicem, ſed cannam, vel calamum? quod ex Dioſcoridis verbis plane verum eſſe conſtat, dixit enim: *Calamus odoratus in India naſcitur, melior eſt fulvus denſe geniculatus, & qui aſſuloſe frangitur, plena araneorum fiſtula, albicans, lentus in mandendo, & adſtringens, ac cum aliquanta acrimonia amarus.* Et Plinius quoque cannam eſſe calamum aromaticum affirmare videtur; cum dixit: I*neſt fiſtulæ araneum, quod vocant florem.* Ac Serapio, *& Canna ejus eſt plena cujuſdam rei ſimilis texturæ araneæ, cujus color eſt albus, & eſt viſcoſa.* Ex quo aperte cognoſcitur, falſam eſſe eorum ſententiam, qui acori radices verum calmum aromaticum eſle affirmant, quando neque calamus acori radices exiſtant, neque concavitatem habeant plenam ejus medullari ſubſtantia, quam florem ipſi appellant, neque aſſuloſe frangantur. Atque tu illum ſæpe mihi oſtendiſti verum, ac legitimum, quem ex Ægypto tecum aſportaſti, qui quidem certiſſimus calamus aromaticus antiquorum eſt, calamus enim in primis eſt, coloreque ſub fulvo ſpectatur, eſt fiſtuloſus, concavus, odoratus, amarus cum aliqua acrimonia, aſſuloſeque frangitur, id eſt, in fruſtula multa inæqualia, inque fiſtularem meatum araneum florem vocatum habet. Hoc ſi Ægyptii in componenda non modo theriaca, ſed in omnibus aliis medicamentis, utantur, rectius certe quam noſtri agunt. Caſſab el-

derira Arabum verus proculdubio eſt calamus aromaticus. Hinc rogatos vellem omnes tum medicos, tum pharmacopæos, ut illum aſpernari nolint tanta cum componendorum medicamentorum jactura. Cujus copia, modo ipſum in uſu recipere voluerint, ex Ægypto, atque Syria eis non deerit. Alpin. Gratulor te hanc veritatem cognoviſſe. Sed nunc age de xilobalſamo; de quo non minus etiam multi ex noſtris hæſitant, quanquam nonnullos ramulos, tenues, rectos, ſubrubeſcentes, odorem ac ſaporem non obſcure veri opobalſami redolentes, in ſuis officinis habeant, quos eo nomine etiam appellant, qui certiſſime veri ramuli plantæ balſami exiſtunt, id quod ego ſenſibus verum eſſe cognovi: nam non modo Cayri aſportatas ex Arabia recentes virgas vidi, verum etiam Venetiis in Arbuſculo veri balſami, quem domi meæ viventem plures viderunt, atque quod magis mirum multis videbitur, etiam ex illius parvuli balſami arbuſti ſtipite, ubi alia quæpiam foliorum ab eo abſcindebantur, verum opobalſamum ſtillaſſe multi ſpectarunt, quod e guſtu, atque odoratu omnes qui alias aſportatum ex Ægypto verum opobalſamum viderunt, verum eſſe faſſi ſunt. Hoc vidit Jacobus Contarenus, Senator Clariſſimus, plantarumque materiæ doctiſſimus, atque ſtudioſiſſimus, Nobiliſſimuſque Joannes Vuthus Anglus, ſimul cum nobiliſſimo Fererio Gallo, quamplureſque alii tum Angli, tum Germani, atque Marcus Phenarius Venetus pharmacopola præclarus ſimpliciumque medicamentorum cognitionis non ignarus, ac alii multi, quos, ne te virum doctiſſimum majori tædio, quam liceat afficiam, omitto. Hanc vero balſami, carpobalſami, & xilobalſami veritatem in dialogo de balſamo olim Cayri conſcripto fuſius manifeſtavi, de qua etiam inferius non pauca erunt ſuis locis rurſum memoriæ mandanda. Multas recentes virgas balſami ex Arabia Cayrum valde cito convectas inſpexi, quæ eximium odorem opobalſami ſpirabant, qui tamen adeo cito exolvebatur, ut paucos poſt dies obſcuriſſime ſentiretur. Guiland. Atque hinc eſt, quod hæ virgæ, huc aſportatæ, in tam longo itinere odore multum reſoluto, obſcuriſſimum tum ſaporem, tum odorem referunt. Quamobrem laudarem

ego,

ego, ut pro illis interim carpobalſamum odoratum ſubſtituerent. Sed per Achaovam, quid intelligunt? ALPIN. Per Achaovam herbam aliqui accipiunt camomello valde ſimilem, quam achaoen, vel uchoven, vel alachuan etiam appellant. Creſcit hæc herba copioſiſſima in Ægypto, præſertimque Cayri, in loco Sbechie vocato, altitudine paulo minore ipſius camomelli, floribuſque ei maxime proxima, ac foliis matricariæ ſive parthenio, ſimilis; ipſamque ego ſæpiſſime virentem decerpſi, quæ obſcuriſſimum tum ſaporem, tum odorem, atque etiam ingratum edebat. Aliqui vero ſequentes fortaſſe Avicennam, dicentem achaovam eſſe acuti ſaporis, atque odoris, aliam herbam albam odoratam, atque cum acri ſapore origani fere æmulam intelligunt: ex quo non adeo erraſſe Avicennam conſtat, qui dixit, achaovam habere flores odore atque ſapore maro proximos, jam dictam herbam acuti odoris, ſaporiſque intelligent, ac vero ipſa verum marum ſit, adhuc ignoro. Per darſini optimam cannellam intelligunt, ſive cinnamomum, quod nulla in re à cannella differt, quam gracilitate, odoriſque, an ſaporis præſtantia; Faſces multos conſpexi veri, ut arbitror, cinnamomi, qui cortices erant cannellæ colore, contorti, vel obvoluti, cannellis multo tenuiores, graciliores, & breviores, craſſitiem veri calami odorati, habentes: quo etiam tenuiores exiſtunt, qui vetuſtate omni fere, tum ſapore, tum odore carebant. Et ſi aliquibus odor aliquis, vel ſapor aderat, ſatis obſcurus, atque non niſi cannellæ proximus ſentiebatur. Quam ſpeciem cannellæ tenuem, brevem, obtortam, darſini Arabes appellant. Quæ maxime cum difficultate in Ægypto invenitur. Quam noſtri cannellam communiter dicunt, Arabes cherſe nuncupant, & caſſiam ligneam ſelica. In qua multi etiam Cayri decipiuntur, non tamen in theriacæ compoſitione ipſam ponunt, quando veram caſſiam illi ſemper in ipſa adpoſuerint, opinantes ſelica non eſſe caſſiam ligneam, ſed corticem ex Barbariæ locis aſportatum, craſſum, ac ſubrubrum, qui cortex, me judice, eſt verus ac legitimus macer Dioſcoridis: hunc corticem ſelica ſeuda vocant. Ibi vero multæ ſelicæ circumferuntur, quarum in una aureus eſt cortex, amarus, cum

quadam adſtrictione, cujus decoctum, & infuſum in aqua ſimplici frequentant inſtar fomenti, ad oculorum lippitudines, quibus mirifice prodeſt, quem corticem vocant ſelica umra. Alter eſt cortex ſubflavus, vel ſubruber, vel ſubniger, ſapore ſubdulci, ſtipticoque, ac omnis odoris expers, quem aliqui veræ caſſiæ ignari, caſſiam eſſe opinantur; hincque aliqui ipſum appellant, quod caſſia nigra ſit, ſelica ſeuda, quod idem eſt, ac ſi dixerint, corticem nigrum. Hunc corticem verum eſſe Dioſcoridis macerem ego ſine dubio ex notis à Dioſcoride proditis, affirmarim. Eſt & tertius cortex, quem ſelica per excellentiam appellant, quaſi dixeris, cortex, omnium præſtantiſſimus, qui ſane caſſia eſt vera, quam noſtri ad differentiam fiſtulæ ſolutivæ, quam etiam caſſiam vocant, ligneam caſſiam dicunt. Per rhavend ſevi, rhabarbarum accipiunt, & per ſadeg endi cinnamomi folia, lauri foliis proxima, ſed multo majora, quibus noſtri pro vero folio utuntur. Per cheſt, utuntur quadam radice alba odorata, ſapore modice amaro, cum multa acrimonia linguam feriente, quam ex Syria convehunt; quæ radix ſi acutiſſimum odorem, quo caput feriretur, haberet, ſine dubio verus coſtus Arabicus eſſet. Neque opinor multum falli illos, qui pro vero Arabico coſto ea utuntur. GUILAND. Id ego quoque verum eſſe coſtum Arabicum puto, recteque idcirco facere Ægyptios medicos eo utentes. Neque obſtat, quod caput odore acutiori non feriat, cum Dioſcorides dixerit, Syriacum tantum caput odore ferire; non tamen Arabicum, quem potius ſuavioris, ac jucundi eſſe odoris ſcriptum reliquit; unum eſt in eo præcipuum, ſcilicet ſapor valde mordens, cum pauco amarore. Sed, quæſo, quid per amomum ipſi intelligunt, de quo inter noſtros hactenus maxima lis fuit: quoque pro eo in medicinæ uſu illi utantur, audire cupio, atque num ſemina, an lignum ab iis credatur. ALPIN. Ipſi non ſeminibus, ſed ligno quodam odorato pro amomo utuntur, quod amama appellant. Eſt itaque ipſorum amama ramulus brevis, gracilis, multis obliquitatibus, atque parvis denſis obortis ramis præditus, vereque racemo uvarum figura ſimilis. Eſt tamen lignoſus, durus, frangibilis, colore

cor-

corticis quidem nigro, ſubrubeſcente, ligno vero, vel albo, vel flavo, præditus, valde jucundum atque aromaticum odorem reſpirans: nullius tamen eſt ſaporis: hocque ligno pro amomo merito utuntur, cum, mea quidem ſententia, Dioſcorides, qui verius de eo ſcripſit, potius de ligno intellexerit, quam de ſeminibus, non ab reque dixeris amomum racemoſum, quaſi lignum uvarum racemis figura ſimilem. GUILAND. Multi ajunt lignum hoc, pro quo amomo Ægypti utuntur, eſſe plantæ roſæ Hierici vocatæ, quod tamen falſum eſſe comprehenditur, ex hoc præſertim, quod hujus ſtirpis caules, vel ramuli lignoſi non exiſtunt, neque frangibiles, neque odorati, quales ſunt, quibus pro amomo ii utuntur, qui duram lignoſam ſubſtantiam habent, facillimeque digitis franguntur, odoremque ſuaviſſimum reſpirant, & quia flores parvos albos violarum floribus primos proximos habent, fortaſſe non immerito eos pro vero amomo habent: Nam & ipſe Dioſcorides dixit: *Amomum eſt arbuſtum, quod e ligno racemi modo in ſeipſum convolvitur, florem habens parvum, album, violis proximum, atque folia brioniæ. Melius ex Armenia portatur, aureo colore, cujus lignum ſubrubrum, atque odoratum exiſtit.* Ex quibus Ægyptios magis, quam noſtros probarem, qui ligno utantur pro amomo, & non ſeminibus, ut noſtri faciunt, prorſus ſapore atque odore carentibus. Res tamen eſt perdifficilis, quippe ut hæc veritas antiquorum monumentis demonſtretur, cum apud varios ſcriptores, amomi hiſtoria plane varia inveniatur, ex qua nihil, vel parum certi elici poteſt. Sed de myrrha etiam loquamur, quam illi vocant Mur. ALPIN. Per mur myrrham omnes intelligunt, ſed tamen optima Trogloditica carent, cujus loco illa utuntur, quam Dioſcorides ergaſimam appellat, qua & Venetos pharmacopæos uti quoque ſcio. Hæc enim colore, atque aſpectu gummi eſt proxima, odere gravi, guſtu modice amaro. Alia ſimplicia medicamenta, quibus utuntur ad dictorum paſtillorum compoſitionem, eadem exiſtunt, quæ apud noſtros quoque in uſu exiſtunt. Hæcque de hujuſce compoſitionis ratione à nobis dicta ſint. Nunc per opportunum erit, ut ex medicamentis in theriacæ, compoſitionem ingredien-

Pp 3 ti-

tibus, quæ cum apud noſtros uſitatis conveniant, & quæ differant, loquamur. Guiland. Ut lubet; ſed non de omnibus, ſed tantum de neceſſariis brevitatis cauſa ſermo habeatur, ac tantum de his, quorum uſus non omnibus adeo patet, & in quibus multi dubitare videntur.

## Cap. XI.

### *De aliquibus ſimplicibus medicamentis in theriacæ compoſitionem ingredentibus, conſideratio.*

### GUILANDINUS.

Quid itaque intelligunt per denbelaſſam, velim in primis mihi narres, atque mox de ſingulis aliis, quorum uſus noſtris haud omnino clarus eſt, erit dicendum. Alpin. Per denbalaſſam ſuccum balſami arboris, per idanbalaſſam, lignum, & abbalaſlan fructus, illi intelligunt, quæ omnia vera habent, atque recentiſſima, quibus ad componendam theriacam atque alia medicamenta, utuntur. Noſtri hæc ex Græcis appellavere, opobalſamum, xilobalſamum, atque carpobalſamum. Omnia hæc apud me vera ex Ægypto comportata vidiſti, faſſuſque tunc fuiſti ſine dubio legitima ac vera eſſe. Quoniam autem de his poſterius, ubi de balſami planta loquemur, copioſius agemus, propterea alia de his in præſentia dicenda non ſunt. De cinnamomoque & caſſia nihil aliud, quam quod de ipſis jam dictum eſt nos dicere oportet. Guiland. Quoniam autem ubi de cinnamomo, & caſſia ſermonem habuiſti, non recte percepi, ideo rurſum exploratius à te eadem audierim, tu enim dixiſti, Ægyptios pro cinnamomo, & caſſia, iis tribus nominibus uti, quippe darſini, cherſe, & ſelica, quibus ſane nominibus intelligunt cinnamomum, cannellam, atque caſſiam, ſcilicet per darſini corticem cannellæ ſimilem, ſed eo tenuiorem, longe breviorem ac graciliorem, in ſeipſum inverſum, convolutum. Per cherſe noſtram uſitatam cannellam, & per Selica, Caſſiam, quam ligneam noſtri appellant. Alpin. Cayri vidi non-

nonnullos faſces veri cinnamomi, præ antiquitate toto fere odore ac ſapore reſoluto, idque apud Joannem de Leonardis, Venetum, mercatorem integerrimum. Erat enim illud cinnamomum cortices tenuiſſimi in ſeipſos cannellæ modo involuti, craſſitie tamen communium arcuum cordas non excedebant, vel calamis aromaticis proximi, longeque erant cannellæ breviores, quæ palmi longitudinem non excedebant. Ipſorumque odor, ac ſapor, quamquam obſcuriſſime ex vetuſtate ſentiretur, nihil differebat, ab eo, quem communis cannella ſpirat, atque ſapit. Cannella igitur, quam, ut jam dictum eſt, cherſe appellant, neque odore, neque ſapore, neque colore à vero cinnamomo differens eſt, & ſolum corticis craſſitie, & longitudine interſtinguitur. Verum cinnamomum, ut ex multis audivi, canellæ ſapore atque odore præfertur, quia cinnamomi odor ſuavior, atque validior, ſaporque dulcior, atque mordacior ſentitur. Hincque puto Theophraſtum ſcripſiſſe, cortices tenuiores è ſurculis, vel ſarmentis tenuioribus eximi, cinnamomumque, quod ex tenuibus fit præſtantius, atque caſſiam ex craſſioribus, minus efficacem; ex quo dicendum eſt, cinnamomum nihil aliud eſſe, quam ſurculorum, vel ramulorum tenuiſſimorum cortices, & cannella, majorum, atque craſſiorum, atque adhuc craſſiorum juxta Theophraſtum, caſſia. Qui an verum attigerit, valde dubius ſum, quem tu, qui iſthæc omnia accuratius cognoris, facile illuſtrare poteris, atque hujus veritatem mihi aperire. GUILAND. Quid? caſſiam à cinnamomo, & cannella differt craſſitie, ac odoris, ſaporiſque præſtantia? hoc plane falſum eſſe ſcio, ſiquidem has obſervari differentias in variis cannellis, atque cannamomis puto, ex quo differunt cinnamoma atque cannellæ inter ſe corticum magnitudine, ac odoris ſaporiſque præſtantia. Namque cinnamomorum alia ſunt tenuioris corticis, odoriſque ac ſaporis validioris, & alia craſſioris, & odoris, ſaporiſque obſcurioris, veluti etiam ex cannellis aliquæ ſunt craſſiores, majores præſtantioreſque, quoad odorem ſaporemque atque aliæ minores, atque odoris ſaporiſque humilioris. Ex his colligo cinnamomum, quod daſini Arabes vocant, nihil aliud eſſe, quam corticem tenuiſ-

ſimo-

ſimorum ſurculorum, qui ſunt odoratiores, ac validioris ſaporis, & cannellam, quam cherſe appellant, eſſe corticem craſſiorem, omniumque craſſiſſimum, qui à craſſioribus ramis ac truncis aufertur, eamque cannellam quoque eſſe, minimeque caſſiam, ut voluit Theophraſtus, cum eundem odorem ſpiret, atque eundem plane ſervet ſaporem, qui in cannellis obſervatur, etſi longe obſcuriorem. Caſſiam vero, quam ſelica Ægyptii dicunt, alterius eſſe arboris corticem cenſeo, cum diverſiſſima tum odore, tum ſapore à cannella clariſſime cognoſcatur: odores ſiquidem ſaporeſque cannellæ, ab odore, ſaporeque caſſiæ ſpecie ſane differunt; ſapor cannellæ eſt ſubdulcis, cum multa mordacitate; at caſſiæ aliquantulum amarus. Igitur cum caſſia differentiſſimum à cinnamomo, cannellaque, qui ſunt unius ejuſdemque arboris cortices, odorem ſaporemque edat, quid diverſum à cinnamomo, & cannella neceſſario erit judicandum; ex caſſiæ etenim corticis gracilitatis, tenuitatiſque, & craſſitiei differentia, variæ ejuſdem profecto caſſiæ præſtantioris, & minus præſtantis differentiæ exurgunt. Cayri plurimos cortices caſſiæ craſſiſſimos vidi, uſui prorſus fere inutiles, cum vix aliquid odoris, atque ſaporis haberent. Non immerito igitur Ægyptios ego laudaverim, qui illis tribus nominibus cinnamomum, cannellam, atque caſſiam comprehendunt. Quod autem cinnamomum nunc reperiatur, apud plures medicos eruditos dubium non eſt, nihilque à canella differre, niſi, quod ipſa præſtantius ſit: ſi enim cannellæ cortices tenuiſſimi, & gracillimi, ex ſurculis extracti recentes haberentur, veluti paulo craſſiores, quos cannellas, & cinnamoma confuſim noſtri appellant, habentur, ſine dubio eſſent ad uſum præſtantiores, veraque cinnamoma dicerentur. Verum quia odor, ſaporque corticum tenuiſſimorum ſurculorum in humido facile reſolubili fundantur, facile priuſquam in Ægyptum, vel Syriam convehantur, in tam longo itinere odor, ſaporque evaneſcit, ac minuitur, ea ratione fit, ut mercatores, quod ſic cito cinnammoma ſua præſtantia deficiant, atque inutiliora reddantur, non convehant ea, tum quia difficilius à ſurculis eximi poſſunt, tum quia odore ſaporeque in tam longo

itinere

itinere deſtituta, viliori pretio & difficilius à mercatoribus venduntur. Cannellam vero, quod certe craſſior eſt, non ſic facile è quacumque cauſa patitur, odore ſaporeque, namque non deficit: ob id ex Arabia mercatores convehunt, quia diutius odorem, atque ſaporem conſervat, facileque ab omnibus coëmitur. Sed hæc de his dicta ſufficiant. Per Elchenlimbat, ut nuper etiam dictum eſt, in uſum habent reſinam terebinthinam, ſiccam, duram, lucidam, foris albam, & intus flavam, odoratam, quæ linguam aſpero ſubdulci ſapore ferit, dentibuſque commanſa in ore, ac cera molleſcit, ſicque in ore, ſubſtantia, mollitie, ſaporeque ceræ videtur proxima. Per tinmactum vero bolum orientalem ex terra, in Chia inſula certa quadam die mandato Turcæ maris præfecti ſingulo anno effoſſa, paratum. Juſſu enim hujuſce præfecti Baſſa vacati, cui Turcarum Rex eam terram dono dedit, ſingulo anno certa ac ſtatuta die iſta terra effoſſa Byzantium ſub ſigillo mittitur, ibique recte purgata in varios orbes formatur, quæ his coloribus ſpectatur, quippe cineritio, vel ſubrubro, vel ſubflavo, ſaporeque ſubdulci, adſtringenti, lenta, viſcoſave, atque pingui ſubſtantia obſervatur. Hanc terram pro compoſitione theriacæ habent præſtantiſſimam, e Byzantio ſub ſigillo Cayrum conductam. Per ſang Arabi gummam in compoſitione recipiunt, quam noſtri Arabicam appellant, ex arboribus acatiæ in Arabia petrea naſcentibus collectam. Magnam quidem hujus gummi copiam eas arbores in Ægypto gignere te ſcire certo ſcio: ex quo illos plane errare cognoſcitur, qui communem gummam ex Ægypto advectam veram eſſe Arabicam negant, ſed illam tantum Arabicam fatentur, falſo à Dioſcoride perdocti, quæ vermicularis cernitur atque alba; Quod ſane falſiſſimum eſt, quando omnia gummata, non tantum alba, lucida, vermicularia, ſed etiam gummis noſtratibus colore, & figura proxima, exinde aſportata, vere Arabica ſint, atque ex ſpinæ Ægyptiæ, vel acatiæ arboribus colligantur. Nullæ ſiquidem in Ægypto, vel Arabia deſerta arbores, excepta acatia inveniuntur, vel ibi vivunt, quæ gummata gignant: omnia quæcumque illinc aſportantur in arboribus prædictis, & non in aliis colliguntur; ea enim lo-

ca omnia, ceraſis, prunis, pomis, pyris, atque aliis arboribus gummatorum feracibus carent: ſola acatia ibi eſt, quæ gummata gignat: ſed de his etiam, ubi de Acatia arbore loquemur. Per Rhob. cachiæ, ſuccum ab immaturis ſiliquis illiuſce arboris expreſſum intelligunt, eoque in hac compoſitione utuntur. Miror quidem aliquos excellentiſſimos medicos, lacrymam ex Acatia arbore collectam, & non ejus ſuccum fore ad componendam theriacam in uſum recipiendum, quando in Ægypto nemo viderit ab hac arbore ſtillantem lacrymam, colligi, vel illiuſce aliquem unquam fuiſſe uſum, cum nullà ab ea ſtillet lacryma. Neque mirari nos debemus Galenum, atque poſt ipſum Aetium dixiſſe, liquidum ſuccum, qui talis ſemper eſt, ubi non multum coquitur, ex quo etiam peraſſatur, nam remanet liquidus modo ab his (ut nunc omnes neſcio qua negligentia faciunt) à nimio calore non peraſſetur, atque ſiccetur. Ibi enim liquidus, mollis, acatiæ ſuccus, reperitur, atque ſiccus, & durus; ſicci vero major eſt uſus apud Coriarios, pro tingendis coriis, ſiccus optimus eſt recens, nigro colore ſubrubeſcente, atque ſapore ſubdulci atque adſtringenti obſervatus. Ameo, quem Nanachue endi vocant, utuntur optime ac ſinceriſſimo ex India delato. Pro Gardemani utuntur iiſdem ſeminibus aromaticis, à noſtris pro cardamomo receptis. Daucum ex Creta perquirunt optimum, quo utuntur - pro Hehud, id eſt, acoro vero utuntur, ſcilicet illis radicibus, quibus noſtri pro calamo aromatico utuntur, quæ vere radices acori exiſtunt. In uſu aliorum ingredientium à noſtris Ægyptii non differunt, iiſdem ac noſtri ſimplicibus medicamentis recipientes in uſum ad componendam theriacam. Guiland. Video etiam Ægyptios multos errores committere in componenda theriaca, proinde merito ſuſpicandum à nobis videtur, tot laudes, ei à multis datas fortaſſe non convenire, vel neque iis morbis, atque venenis, quibus ſic præſtantiſſime ſuccurrere dictum eſt, ita præſentaneum, atque tutum eſſe auxilium; eos ego tibi errores diſtinctius explicabo, tu vero quid ſentias expectabo.

## CAP. XII.

### *Errores, quos Ægyptii committunt in componenda theriaca, atque de ipſorum theriacæ præſtantia.*

### GUILANDINUS.

NULLI dubium, quin Ægyptii in componenda theriaca multos errores committant: in primis ipſorum compoſitio ab ea, quam Andromachus docuit, multum differt numero ingredientium: cum ex Andromachi Senioris deſcriptione conſtet, ingredientia theriacam eſſe numero unum ac ſexaginta, & Ægyptiorum deſcriptio ſit tantum quinquaginta novem, eique etiam deerit aſphaltum, ſive bitumen, centaurea, Galbana, malabatrum, opopanax, & thlaſpi, quæ omnia habet Andromachi deſcripto. Ægyptia vero quædam habet, quibus illa caret, acorum, apium, atque naſturtium, Præterea Andromachi deſcriptio ingredientia medicamenta ſex numerorum ordines complexa eſt, quorum primus conſtat, quadraginta-octo, ſecundus, viginti-quatuor, tertius duodecim, quartus ſex, quintus, quatuor, ſextuſque & ultimus duobus. In Ægyptiorum vero deſcriptione, quinque tantum ingredientium numerorum ordines leguntur. Melliſque etiam in compoſitione triplam addunt proportionem, cujus Andromachus nullam præſcripſit quantitatem: præterea trochiſchorum, vel paſtillorum alindaracorum deſcriptio apud ipſos diverſa plane ab ea, quam Gal. laudavit. Paſtillos quoque ex carnibus cornutorum ſerpentium parant, quos omnes noſtri medici damnant, multo magis, quod in arenoſis locis illi capiuntur, quos Gal. ſummopere in lib. de theriaca, ad Piſon. damnavit. Quid itaque dicemus de præſtantia theriacæ Ægytiæ tot ſummis laudibus à multis celebratæ? ALPIN. Diverſam ſane eſſe compoſitionem ab ea, quam Andromachus ſcriptam reliquit, eaque cauſa etiam non nihil à ſua antiqua præſtantia ipſam defeciſſe, credendum profecto eſt. Quod peccatum commune etiam eſt noſtris theriacis, quæ à noſtris pharmacopolis ita parantur, ut multa deſiderentur in-

gredientia, multaque male ſubſtituantur, non ſine artis dedecore, veluti eſt acorus verus, calamus aromaticus, amomum, terra lemnia, opobalſamum, xilobalſamum, & carpobalſamum, atque alia, quibus noſtra theriaca caret, quamquam illa ſimplicia leviſſimo negotio haberi poſſent, ſi modo illi ipſa agnoſcere vellent. Ægyptiorum vero theriaca hæc omnia cum habeat, etſi aliis erroribus in compoſitione commiſſis, theriaca Andromachi Senioris non ſit dicenda, eſt tamen affirmandum, antidotum eſſe inſigne, multis viribus præditum. Aliquos ab aſpidibus, cornutiſque Ægyptiis viperis, atque à ſcorpionibus, qui ibi ſunt perniciosiſſimi, quales Dioſcorides deſcripſit, demorſos, vel ſauciatos, illiuſce tantum theriacæ uſu probe, ac fere continuo ſanatos vidi: omnes affirmant theriacam illam vim efficaciſſimam habere adverſus omnia venena, atque ferarum virus, plurimos vero morbos hoc antidotum juvare poſſe, non eſt longa oratione perſuadendum, cum ex ingredientium ſimplicium viribus facile pateat, ego mulierem viduam, multis annis ab uteri gravioribus doloribus vexatam, nec non ab aſſidua cruditate, ventriculum languidius adeptam, eam crudorum humorum gignere copiam, ut quotidie ingentem aquoſæ pituitæ molem vomere cogeretur; hæc, inquam, mulier uſu theriacæ Ægyptiæ probe ſanata fuit: ſileo brevitatis cauſa alia commoda in paralyticis, vertiginoſis, ſuſpirioſis, ac conſumptis, atque in aliis fere innumeris malis ex thariacæ uſu obſervata. Neque id injuria, cum ea valde perficiatur vero calamo, acoro, amomo, opobalſamo, carpobalſamo, xilobalſamo, & multis aliis præclariſſimis medicamentis, quæ humani generis ſaluti magnopere conducunt, quæ quidem in noſtra theriaca deſiderantur, Sunt qui affirment, illius theriacæ præſtantiam, ex cornutorum ſerpentium carne augeri, ſiquidem ajunt, carnes tyrorum, quas aliqui ceraſtes dixere, eſſe noſtrarum viperarum carnibus calidiores, venenoſioreſque. Quod non parum efficaciæ ipſorum theriacæ addere colligunt; quando antidotum promptius ad cor deducatur ex ſerpentis facultate, cujus venenoſam qualitatem cum homine inimicitiæ cauſa, ſubito ad cor præcipuum hominis propugnaculum ſuapte natura

ra duci ac invadere omnes ſciant. Ex quo, ut dicunt, caro illorum ſerpentium longe multo noſtrarum viperarum carne eſt venenoſior. Igitur antidotum reddet promptius, ut cor ſubeat, illique opem ferat. Præterea, ob animalis ſpeciem, & ob calidum, ſub quo naſcitur & alitur, cœlum, & quod in locis aſperis arenoſis vivat, ratio ſuadet, ex ipſorum carne confectos paſtillos eſſe calidioris facultatis, idque antidoti motum ac operationem ſine dubio juvare. Quamobrem has non indignas laudes de Ægyptiorum theriaca prædicere videntur. GUILAND. Hoc antidotum, etſi Andromachi theriaca non dici queat, cum adeo diverſo modo componatur, tamen quod ex multis nobiliſſimis venenis atque medicamentis ſit compoſitum, quæ multis aliis morbis valide occurrere poſſunt, non indignum ac inutile anditotum dicetur; affirmoque & ego, ipſum poſſe multis malis præſentaneum eſſe auxilium; verum illius ſumma facultas, ab illius forma reſultans, & tum experientia ab Andromacho, ut puto inventa, tum ab ingredientium medicamentorum natura, ab ipſorum ſic ordinato pondere probata, vitiato poſtea ingredientium pondere, atque multis deſideratis ingredientibus, aliiſque peſſime admiſſis, interiit. Sed ne plus temporis in hoc antidoto conteramus, cum aliqua præterea fuerint à te de illius uſu dicta, finem faciemus. ALPIN. Uſus theriacæ apud Ægyptios eſt frequentiſſimus, præſertim in venenatis, atque ab omnibus ſerpentibus demorſis, à ſcorpionibuſque ictis, qui ibi, ut dixi, exitioſiſſimi, quales Dioſcorides prodidit, habentur; noſtris etenim ſcorpionibus longe majores exiſtunt, colore viridi, claro, nullique nigri ibi exiſtunt. Multi igitur thericam diu frequentant ita, ut aliqui per totum annum, & aliqui per pluresiea utantur, putantes illum naturalem calorem fovere atque augere, juventutemque diu conſervare, & vitam longiorem reddere. Ejus vero utilitatem in iis, qui ſtomachi languores patiuntur, & à diminuto calore concoquere nequeunt, nemo eſt, qui ibi ignoret, ita familiaris eſt pro ſtomachi calore augendo, vel conſervando; neque immerito, cum plerique debilem ſtomachum, ac languidum obtineant, quod omnes veſcantur cibis refrigerantibus,

aquamque ebibant, & dulcibus balneis immoderate ac inordinate, utantur: venerique maxime indulgeant. Quiſque etenim ibi uxores multas ducere poteſt, atque non minus mancipia, quot alere ſuis ſumptibus poteſt, pro veneris delectatione, nec tamen ipſorum turpiſſima libido vincitur; ex his itaque cauſis multi ventriculi debilitate laborantes, uſum theriacæ feliciſſime frequentant. Multos vidi fere tabe conſumptos non concoquente ventriculo, uſu illiuſce antidoti vitam redemiſſe. In antiquis opthalmiis, ſurditatibus vertiginoſis, reſolutis, epilepticis, convulſis, atque aliis omnibus tum morbis, tum ſymptomatis à frigiditate naſcentibus, omnes theriaca utuntur, non minuſque in omnibus peſtiferis febribus, & in peſte nihil habent, in quo magis confidant, quam theriaca. In puerulis etiam ejus uſum exercentes, quid verbis longius rem produco, ipſi fere ad omnes morbos, ac ſymptomata therica utuntur: atque hæc de ipſa dicta ſufficiant. GUILAND. Compoſita alia, quibus illos uti nuper narraſti, te quoque ſubjungere æquum eſt, proinde expecto ea quoque ex te audire.

## CAP. XIII.

*De quibuſdam aliis compoſitis medicamentis, quibus etiam Ægyptii utuntur.*

### ALPINUS.

HABENT illi aliam theriacam ad ſcorpionum ictus, qua frequentiſſime utantur, quam tarach elacrap appellant, quem componunt accipientes, piperis nigri, dra. x. piperis longi, dra. v. cyperi, dra. ij. ariſtolochiæ longæ, radicum paſtinacæ, quam cariotam noſtri appellant, ex quibus pulverizatis, & melli dulcium ſiliquarum commiſtis electuarium parant. Hujus ſemunciam exhibent ictis à ſcorpionibus, quibus validiſſime etiam adverſari cenſent, pulveris ariſtolochiæ rotundæ, & corticum radicum capparorum ſemidrachmam cum vino aromatico datam. Aliud antidotum, quod el philoſopha appellant, in

uſu

uſu apud ipſos eſt etiam frequentiſſimo, ad firmandum catarrhum, quod ſpiritus corporis roborat, appetentiam concitat, concoctionem juvat, memoriam, bonoſque mores augere quoque ajunt, à frigore defendit, ſtillicidio urinæ confert, & doloribus veſicæ ex flatu concitatis, ſemen genitale auget, dolorem itidem à dorſo levat, membraque principalia roborat, dentes in gingivis firmat; hæque dotes atque aliæ leguntur in libro ebnag el ducan vocato, in quo omnia compoſita, quibus illi utuntur, ſcripta ſunt. Parant vero hoc electuarium, accipientes, piperis nigri, piperis longi, zinziberis, cinnamomi, mirabolanorum emblicorum, fumi terræ, ariſtolochiæ rotundæ, florum calaminthæ, granorum pinearum, nucis Indæ, curcumæ, & alli etiam addunt, naſturtii, teſtium lupi, an. unciam, paſſularum à ſeminibus mundatarum, id eſt; pulpæ drachmas triginta, mellis partes tres: omniaque ſimul miſcent, pulverizatiſque pulverizandis electuarium faciunt. Alii hoc ſic componunt, ſumentes piperis nigri, piperis longi, zinziberis recentiſſimi, cinnamomi, mirabol. emblicorum, bellericorum, fumi terræ, ariſtoloch. rotundæ, curcumæ, florum calaminthæ, granorum pinearum magnarum, nucis Indæ partem unam, mellis deſpumati partes tres, ſingula ſeparatim pulverizant, per cribrumque denſum deducunt, miſcent, & faciunt electuarium ſecundum artem. Aliud etiam parant, eſtque philonium perſicum Avicennæ, quo utuntur; componunt vero ipſum accipientes piperis albi, ſeminum hyoſciami albi, an. dra. xx. opii, terræ ſigillatæ, an dra. x. croci, dra. v. euphorbii, ſpicæ nardi, peretri, an. dra. ij. caſtorii, camphoræ, an. ſc. xv. contundantur omnia, quoad pulverizentur, per ſetaceumque trajiciantur, quæ ſimul miſce, & rurſum fac, ut per ſetaceum exeant, ex quibus cum mellis deſpumati idonea quantitate miſtis, fiat electuarium, quod per menſem in clauſo vitreato vaſe ad uſum ſervetur. Cujus apud illos uſus eſt familiariſſimus ad immoderatum ſanguinis, vel alterius humoris fluxum, præſertimque ad menſtrua profluvia firmanda, atque ad gonorrhæam. Aliud etiam quod bers nominant, penes omnes eſt uſitatiſſimum, ipſumque parant ex piperis albi ſeminum

num hyoſciami albi, an. dra. xx. opii, dra. x. croci, dra. v. (Alii crocum ad quinque tantum chirat in hac compoſitione ponunt) ſpicæ Indæ, euphorbii, piretri. an dra. j. Omniaque in tenuiſſimum pulverem redigunt, ex quo cum melle deſpumato electuarium conficiunt. Videturque hæc compoſitio parum diſſimilis, vel differens à Philonio Romano, ex Avicenna litteris prodito: iiſdem enim viribus eſſe Ægyptii experiuntur. Demum ii non minus Dirmuſch, electuarium, quod Diameſch vocant, in uſu habent frequentiſſimo, ad hilaritatem animi conciliandam, & ad augendam venerem, cujus gratia dictum eſt, medicamentorum, phenoniæ, bers, atque Diamuſch uſum eos maxime exercere. Hæcque illa exiſtunt medicamenta, quæ penes illas gentes tum componi, tum frequentari obſervavi. Supereſt modo, ut nonnullos clyſteres etiam narremus, quibus ad varios morbos atque ſymptomata ii quoque familiariſſime utuntur. GUILAND. Neque id nobis inutile erit. Quo auxilii genere eos populos maxime delectari olim intellexi. Itaque ne hos quoque mihi narrare pigeat.

## CAP. XIV.

### *De nonnullis clyſteribus apud Ægyptios uſitatis.*

### ALPINUS.

In febribus, inflammationibuſque internis, & in aliis omnibus morbis à calida cauſa concitatis, clyſteres ii frequentare ſolent paratos ex decocto ſeminum endiviæ, lactucæ, malvæ, altheæ, bammiæ, melochiæ, ſonci, oxylapathi, abdellavi, melonis, chate cucumeris, cucurbitæ, ac oleo ſeſamino (dehenſiris apud ipſos appellato) melleque carnubus ex ſiliquis quippe dulcibus expreſſo, quo ii familiariſſime in clyſteribus ab ſubducendam alvum, utuntur. Sunt aliqui, qui ad ſupra dictum conficiendum decoctum pro clyſtere parando, addunt etiam pruna damaſcena, ſebeſtena, atque fructus paliuri, quos

nabca nuncupant, caſſiam ſolutivam, vel tamarindos. In iis vero, quibus ex calore febrili atque ſiccitate, vel à calidis, mordentibuſque halitibus vigiliæ, deliriaque contingunt, clyſteres conficiunt, decocto ex ſeminibus pſylii, papaveris albi, interdum etiam nigri, hyoſciami alibi, aliquando etiam rubri, nenupharis, portulacæ, malvarum, betæ, parato; atque oleo nenupharino; in quibus ubi etiam ab iiſdem cauſis ſitim concitatam lenire volunt, addunt ſubſtantiam tamarindorum, & acidorum ceraſorum, necnon berberis fructus, quando etiam adſtrictione aliqua alvus opus habet. Et in ſiccitatibus ventris, cum ipſum laxare ſolummodo ſtudent, clyſtere utuntur, ex ſeminibus malvarum, melochiæ, bammiæ, betæ, pſyllii, hordei, fœnugræci, meliloti, lini, altheæ, cytoniorum, papaverum alborum, paſſulis à ſeminibus mundatis, prunis damaſcenis, ſebeſtinis, dactilis maturis, ficubus ſycomori, muſarum fructibus, atque jujubis parato, cum melleque carnub, vel caſſia ſolutiva, & oleo ſeſamino, quibus ubi etiam purgare alvum deſiderant, addunt aliquando ſcammonium uſque ad binos ſcrupulos, vel agarici binas drachmas, vel tantundem pulpæ colocynthidis, vel ſeminum minimorum, validiſſime purgantium, contuſorum (quæ daocci el maratum vocant) drachmam, aut alterius medicamenti purgantis, ac nitri, vel ſalis modicum, Sic paratis his clyſteribus illi utuntur ad dolores dorſi, renum, uteri, coxarum, inteſtinorum, atque capitis, ad vertiginem, apoplexiam, paralyſim, ſurditatem à frigida cauſa concitatam. Prædicta vero decocta, quibus hos clyſteres parari diximus, parant etiam cum ſeminibus fæniculorum, aniſorum, ammeos, viſnagæ, fænugræci, meliloti, daocci, ac aliis, facultate ventres calfaciendi, ac flatus reſolvendi præditis. Ad firmandos ventres immodice dejicientes, præcipue à cauſa calida, hunc clyſterem parare ſolent, accipientes, ſeminum coriandri, ſumachi, berberis, an. dra. v. ſucci acatiæ, lycii, hypociſtidos, an. dra. iij. aquæ chalibeatæ libras tres; bulliunt omnia ad conſumptionem tertiæ partis, ex quo decocto cum oleo myrthino clyſterem conficiunt. Plerique ad diarrhæam, ac dyſenteriam corpore prius probe purgato

clyſteres adhibent, eſt decocto ſiliquarum immaturarum foliorum atque florum acatiæ, in quo aliqui quoque duos vel tres, ovorum aſſatorum vitellos diſſolvunt, vel eoſdem in oleo roſaceo vel myrthino diſſolutos, cum decocto prædicto miſcent. Verum quomodocumque clyſter ex acatiæ ſiliquis recentibus immaturis, vel foliis, vel floribus paretur, ſemper quaſcunque ſanguinis, vel aliorum humorum non naturales fluxiones cito ac valenter ſiſtit. In uteri profluviis firmandis nihil ibi mulieres habent præſtantius, quo utantur. Joannes Mancinus nobilis Florentinus Cayri olim mercaturam feliciter exercens, à febre continua, putrida cum diarrhæa bilioſa, aſſidua, contabeſcere inceperat, ex qua, cum clyſtere ex acatiæ decocto parato bis tantum uſus eſſet, ſanatus eſt. Cum quidem alvi dejectio longo tempore copioſa, ac crebra perſeveraſſet, eumque fere ad exitium duxiſſet, febre minime (quamquam ſatis mitis eſſet) neglecta, probe illius corpore purgato, haud levata alvi diarrhæa, multis fruſta tantatis remediis, conſului, ut clyſtere ex decocto immaturarum acatiæ ſiliquarum, foliorum, ac florum recentium parato, uteretur, ex quo bis adhibito, ſic illius alvus cohibita, atque adſtricta fuit, ut nedum flatus poſthac per anum exire potuerint. Qui quidem nocte ſequenti intus retenti, in dextroque hypochondrio collecti, ſeptum tranſverſum valide comprimentes, hominem fere ſuffocarunt. Quo ſymptomate nonnullis admotis cum igne cucurbitulis, ſtatim levatus eſt. Quamplures etiam clyſteres habent hyſtericæ mulieres, ex decocto ſeminum fæniculorum, aniſorum, coriandrorum, ammeos, cumini, lauri, balſamique, & nucis myricæ fructuum, abſinthii, camomelli, anethi, rutæ, atque aliorum multorum vim reſolutoriam ac excalfactoriam habentium, cum modico, vel agarici, vel turbit, vel colocynthidis, atque oleis calidis paratos, quibus familiariſſime ad eos affectus uti ſolent: In quibus medicamentis purgantis loco libenter melle utuntur ex dulcibus ſiliquis expreſſo, carnub appellato, vel Caſſiam Ægyptiam, aut hyeræ ex melle paratum electuarium, quod & ipſi etiam componunt. Ad eaſdem uteri frigidas affectiones clyſteriorum quoque auxilio utuntur, ex ammoniaco, ſerapino,

no opopanaco, in urina pueri diſſolutis, decoctoque ex ſeminibus apii, fœniculi, aniſi, ac aliorum dictorum medicamentorum, vim calfactoriam, ac reſolutoriam habentium. Sed de his nunc ſatis. GUILAND. Verum dicis, ſed olim ex multis audivi, quam plura apud eas gentes ſelecta, vel ſecreta frequentari. Ea igitur ſi quæ habes, tuis ſermonibus digna, ad ea quæ hic conſequi dicta ſunt, addas velim. ALPIN. Quibus illi ad curandas febres frequentius utantur, tibi jam potero explanare, quando pleraque alia, quæ plurima exiſtunt, mihi ex memoria maxime exciderint, vixque ea jam recordari amplius poſſem.

## CAP. XV.

### *De ſecretis auxiliis, quibus Ægyptii ad febrium curationem uti ſolent.*

### ALPINUS.

ALIQUI pro ſecreto habent, ſynochas, & ardentes febres, multam aquam anguriæ el navi vocatæ ægrotis propinantes, ſanare, ſi modo febricitantes ea multis diebus in cibo, ac potu ſola utantur. Alii aquam ſtillatitiam ex anguria, chateque cucumere, atque melone abdellavi, tempore vehementioris æſtus largius, frigidamque potandam concedunt, qua epota ægrotos multis pannis contegentes ſudorem procurant, quo non paucos audio ibi ſanatos fuiſſe. Alii pro ſecreto habent, multam itidem aquam ægrotis potandam offerre, in qua tamarindi, berberis prunique damaſceni fructus per diem cum paucis ſeminibus fæniculi infuſi manſerint. Quam tunc recte percolatam cum mannæ maſtichinæ unciis duabus exhibent. Multi etiam curant has febres, ſingulis diebus, vel ſaltem alternis diebus unciam ſolutivæ caſſiæ cum ſaccharo candido, vel cum aqua ſtillatitia melonis abdellavi, vel anguriæ el navi diſſolutam exhibentes, & alii libentius manna, vel ſyrupo de granatis ſolutivo in iis utuntur. Quæ ſolventia medicamenta nonnullis tan-

tum diebus decretoriis ægrotis danda cenſent; quocirca ſingulis iis diebus illi talium medicamentorum uſum exercent, quippe die tertio, quarto, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo-quarto, & aliis ſingulis, morbo minime curato. In quibus febricitantibus epithematis ex aquis multis ſtillatitiis refrigerantibus cum aceto ſupra thoracem, atque præcordia, plerique pro tutiſſimo auxilio utuntur. Vigiliis vero correptis, ac ipſis admodum vexatis, ſuccurrunt, emulſione albi papaveris, ac pſyllii in multa aqua lactucæ diſſoluta, vel hac haud plane ſatisfaciente, cum ſyrupo de papavere febricitantibus ſæpe propinata, vel ſanguinis vacuatione in pueris, mulieribuſque à ſcarificatis cruribus prædita, aut appoſitis cum inciſione cucurbitulis in partibus poſt aures, prope nucham poſitis, aut in adultis ſecta vena frontis, vel temporum, arteriarum altera, vel quæ poſt aures pulſat. Utuntur etiam non ad has modo, ſed ad quaſcunque ex calidorum humorum putridine ortas, clyſteribus paratis, ut nuper etiam dictum à nobis fuit, ex decoctis ſeminum malvarum, altheæ, hordei, lactucæ, endiviæ, ſonci, cucumeris, melonis, ac aliorum hujuſcemodi refrigerandi, & humectandi facultate præditorum, cum oleis refrigerantibus, qualia ſunt, quæ ex floribus nenupharis, violiſque parantur atque melle carnub mirum in modum interna viſcera hos clyſteres refrigerare putant, tenueſque, ac calidos humores evacuare. Plures curant febres intermittentes à bilioſis, ac pituitoſis permiſtis ſuccis concitatas, in potu dantes ſingulis diebus ſuccum betæ calidum cum ſaccharo candido, ad uncias octo in aurora: atque nonnulli drachmam agarici, cum calido decocto chamedrios; & alii abſinthii decoctum, aliique chamedrios in tenuiſſimum pulverem redacti drachmam in potu per horam ante acceſſionem cum aqua calaf: multis vero magis probatur infuſio tamarindorum pulpæ cum ſaccharo, in aqua bugloſæ, vel binas uncias terengibil in aqua multa endiviæ, ſcilicet in duabus ac etiam tribus libris diſſoluti aliqui exhibendas laudant. In pueriſque (quorum terrengibil proprium ſolvens medicamentum eſſe ii omnes exiſtimant) uni tantum libræ aquæ diſſolutum propinant. Et quibuſdam magis probatur

his febricitantibus drachmam rhabarbari ſingulis diebus ante acceſſionem exhiberi. Alii ante acceſſionem per horam præbent devorandum bolum infra ſcripti electuarii, quod parant, accipientes roſarum communium, dra. 5. radicis glyzirrizæ, cinnamomi, ſpicæ Indæ, rhabarbari, maſtiches chiæ, ſandalorum alborum, flavorum, fructuum berberis, croci, an ſcr. 15. ſacchari candidi, dra. 10. ſingula conterunt, ex quibus cum ſyrupo violato permiſtis electuarium formant. Pro ſingulari valde ſecreto apud quoſdam celebratur potio quædam ante acceſſionem per binas horas ægrotis oblata. Quam parant, ex mannæ terrengibil vocatæ, pulpæ caſſiæ ſolutivæ, tamarindorum, an. dra. 4. quæ in endiviæ ſtillatitiæ, vel communis aquæ libra uſque ad conſumptionem duarum partium ebulliunt, colaturæque miſcent olei ſeſamini binas uncias; nonnulli eodem tempore dant illis potionem ex aquæ betonicæ, & endiviæ, dra. 2. ſacchari candidi ſemuncia paratam, & aliqui tribus diebus exhibent in aurora decoctum pentaphylli, agrimonii, ac altheæ, cum ſyrupo violato, aut ſex uncias decocti pulegii cum ſaccharo per horam ante acceſſionem. Non pauci etiam eodem modo potionem ſequuntur, quam parant decoquentes in tribus libris aquæ, ſeminum melochiæ, ſunci, apii, endiviæ, melonis abdellavi, cucumeris chate, fænugræci, meliloti, an dra 3. ad conſumptionem duarum partium. In cujus decocti unciis quatuor, veri opobalſami drachmam diſſolvunt. Cujus opobalſami uſus eſt apud multos ad has febres frequentiſſimus; ſumunt enim drachmam, & plus etiam veri opobalſami in decocto chinæ radicis, & ſpicæ Indæ, vel in jure pulli, cum radice petroſelini vulgaris ebullito: quo aſſumpto ſtatim pannis multis cooperti plurimum exudare conantur, terque hoc remedio ii uti ſolent· Multi curant has febres epithematis lineis pannis exceptis, hypochondriis, atque univerſo thoraci admotis, ſiquidem aiunt noxios humores febres foventes vi epithematis reſolvi. Non minus vero quam alia epithemata hoc ipſi exercent, quod parant ſumentes, roſarum communium; florum camomillæ, calaf, el hanne ſive liguſtri Ægyptii, caſſiæ ſolutivæ, violarum, boraginis, an. m. 1. ſeminum ſunci, endi-

viæ, malvarum, melochiæ, bammiæ, meliloti, fæniculorum, fœnugræci, ſeſami, altheæ, hordei, pſyllii, papaueris albi, abdellavi, chate, an. dra. 4. Quæ omnia modice contuſa bulliunt in tribus libris aquæ ad conſumptionem medietatis, atque colaturæ addunt ligni aloës, roſarum communium, ſandal. rub. pulverizatorum, an. dra. 1. croci, gr. 5, aceti albi, unc. 1. s. ſimulque miſcent. Utuntur hoc epithemate tepeſacto, à cujus uſu ſe cavent priuſquam univerſum corpus aliquo medicamento, vel ſanguine multo per venam ſectam, aut per crurum ſcarificationem, vacuatum ſit. Aliqui hæc epithemata ſolummodo ex aqua hordei, calaf, endiviæ, aceto, & croco parant. Quamplures more antiquorum pro ſecreto utuntur ad omnes corporis partes, quibuſdam linitionibus cum levibus perſrictionibus adminiſtratis: quas aliqui præſtant cum oleo rutæ, aut amygdal. amararum, aut camomelino, aut juniperino, & nitro rubeo. Qua frictione cum linitione hac in multis ad ſudorem aptis largum ſudorem concitant, atque ſic morbum finiunt. Hoc auxilium in peſtilentibus febribus, in quibus exhanthemata apparere incipiunt, vel exituras ſperant, plurima cum utilitate exercent ſemel ad minus in die probe calidam molientes linitionem; à qua ſtatim febricitantes multis pannis cooperientes ſudorem promovere, venenoſumque humorem à viſceribus ad cutim trahere ſtudent. In pueris vero, atque infantibus variolis ſuſpectis, vel malignis exanthematibus, nullum præſtantius, neque ipſis familiarius habent auxilium. Sunt qui inungunt per horam ante acceſſionem totam ſpinam dorſi à nucha ad lumbos uſque oleo antiquo, ſampſuco, ruta, artemiſia, abſinthio, ſpica Inda, maſtiche, ac thure ebullito, ipſoque calido inungentes, præmiſſa parva ac levi frictione. Nonnullis ex multis linitionibus hæc magis probatur, qua ad eandem ſpinam libentius utuntur: quam parant ex olei antiqui, ſucci rutæ, vini aromatici albi, an. dra. vj. theriacæ Androm. Senioris, dra. iiij. bullientes in phiala vitrea ad conſumpt. medietatis. Sunt etiam alii multi, qui ad has febres tertianas varia medicamenta pulſibus brachiorum, ac crurum admota frequentant, ex quibus unum præſtant, multis ex araneis, una cum ſuis telis contuſis ad

mo-

modum linimenti cum oleo roſaceo miſtis, vel araneas ipſas in oleo prædicto incoquunt, quo calido carpum ambarum manuum inungunt. Alii urticam cum ſale, vel nitro tritam eodem modo admovent per horam ante acceſſionem. Hæc atque plura alia in curatione febrium tertianarum curatu difficilium illi proſequuntur. Ad eas vero, quæ ad pituitoſarum magis naturam accedunt, quas noſtri ſpurias ac notas tertianas nuncupant, longeque magis ad quotidianas, vel amphimerinas, multi pro ſecreto habent ante acceſſionem, chamedrios pulverizati drachmam in jure pulli exhibere, vel ex ea herba paratum decoctum cum ſaccharo multis diebus. Alii ad eaſdem calidum decoctum eodem modo propinant, quod parant, in aqua bullientes florum violarum, bugloſſi, boraginis, caſſiæ calaf, roſarum communium, an. dra. ij. ſeminum malvæ, fœnu-græci, fœniculi, mei, endiviæ, abdellavi, chate, an. dra. iiij. liquiritiæ raſæ, paſſularum, pulpæ tamarindorum, an. dra. j. zinziberis, ſpicœ, carpobalſami, cannelæ, chamedrios, turbit, mirabol. chebul. an. dra. ij. foliorum ſennæ, drach. xv. agarici optimi, dra. iij. rhabarbari electi, dra. ij. hæc omnia minutim inciſa infundunt in aquæ endiviæ libra, quam poſtea parum bulliunt, valideque exprimunt, & expreſſioni addunt oxymellis ſimp. dra. iij. dividunt vero hanc potionem in tres partes, quam tribus diebus in aurora ſumme calidam exhibent. Sunt aliqui, qui prædicta omnia infundunt in tres aquæ libras, & poſtea per coquunt ad duarum partium conſumptionem; cujus ſingulo mane exhibent uncias quatuor cum ſaccharo. Quibus vero per hoc medicamentum febris non tollitur, ii exhibent etiam ſingula die ante acceſſionem ſemidrachmam theriacæ Androm. Sen. cum modico ſacchari roſati. GUILAND. Videntur hæc ex te narrata medicamenta ex eorum eſſe numero, quæ rationi non omnino adverſantur, propterea ipſorum uſum minime ſpernendum à noſtris medicis, exiſtimo. Sed perge, quod ſupereſt ipſorum narrationi, dicere. ALPIN. Ex ſecretis experimentis, quæ ad quartanas febres Ægyptiis familiaria exiſtunt, hæc quoque in memoriam ſervo; quamplures enim ad id morbi genus pro ſelectiſſimo remedio habent, ægrotis decoctum ex menta

pa-

paratum ad ſemi-libram calidum, cum ſpolii ſerpentis pulverizati binis drachmis, ante acceſſionem per horam propinare: Aliique majorem efficaciam tribuunt, vomitioni à decocto aſari per os ſumpto tempore acceſſionis concitatæ. Nonnullis etiam probatur drachma catapociorum ante acceſſionem, exhibita; quæ parant ex agarici, gentianæ, caſtorei, myrrhæ, rutæ, an. dra. ij. piperis longi, calami aromatici, croci, an. ſcr. iiij. theriacæ antiquæ, dra. iij. cum ſyrupo de granatis dulcibus, & aliqui aliud genus catapociorum parant, quo eodem quoque modo utuntur, ex diagridii, ſalis gemmæ, an. dra· s. aloes epatici, dra. iij. cum melle: Aliis uſitatius eſt, quartana correptis exhibere drachmam agarici, cum myrrhæ ſcrupulo diſſolutam in decocto pulegii. Non paucos etiam ſanatos audivi clyſtere ex decocto amaraci, oleo laurino, cum duobus ovorum vitellis parato, ſæpius adhibito. Nonnulli ad hanc febrem extollunt pulverem quendam ex maſtiches, dra. iiij. ſpicæ nardi, dra. i. s. euphorbii, dra. ii paratum; cujus drachmam in jure calido per horam ante acceſſionem aſſumunt. Sed quæ febribus peſtilentibus præſentanea eſſe auxilia ii putant, nunc etiam ſubjungam, priuſquam è memoria mihi excidant. Qui tuto magis has curare opinantur, præmiſſo clyſtere leniente eadem die, modo ægroti jejuni ſint, ſanguinem ſurarum ſcarificatione copioſe vacuant: ſecunda die alii tamarindorum acidam pulpam, alii ſyrupi de ſucco granatorum dulcium ſolutivi, ac alii terrengibil uncias tres in aqua calaf; vel ſonci diſſolutas in aurora concedunt. Hos ægrotos à principio ad finem uſque perpetuo hunc potum ſequi præcipientes, qui paratur exempli gratia, ex aquæ endiviæ, roſarum, bugloſſi, calaf, ex acido citri, vel limonis, ſtillatæ, an. libra media, in qua per noctem, vel diem infundunt fructus Paliuri Athenei, nabca vocatos, berberorum, pulpæ tamarindorum, an. unc. ij. ſem. citri ȝ. i. factaque diligenti expreſſione addunt vini granatorum acidorum, ſucci citri, vel limonum, lactis ſeminum abdellavi aqua roſacea extracti, an. unc. ij. lactis ſem. citri unc. i. miſcentque omnia ſimul pro potu. Pauperes, qui multum ſumptum ferre nequeunt, tamarindorum pulpam atque berberorum fructus,

ctus, cum ſeminibus fæniculorum, vel citri in plurima aqua communi eodem modo infundunt, quam ægrotis pro potu toto morbi tempore concedunt: plurimumque in hujus potus uſu ſperant; neque immerito, cum tum tamarindos, tum berberos illarum febrium putredini maxime obſiſtere penes illos pluries expertum, ac cognitum ſit. Primis harum febrium ita peractis diebus ad inunctionem totius corporis accedunt, cute quippe leniter perfricata, atque poſtea calida inunctione inuncta, naturæ ad cutim expulſionem eo auxilio maxime adjuvantes, inunctionem vero ex oleo amygdalarum amararum cum nitro rubro, quod natron appellant, parant. In pueris, ut etiam nuper dictum eſt, varioliſ, vel puncticulis infectis hac linitione nullum remedium ſecurius, vel præſtantius habent. Aliqui hujus loco ſudorem provocare ſtudent, calidis medicamentis in potu ſumptis. Quorum hoc ipſis familiarius obſervatur, quod parant ex theriacæ Androm. Senioris, ſcr. ii. pulveriſque infra dicendi drachma in aqua calaf, vel citri. Pulverem vero conficiunt ex ſcordii, chamedrios, ſeminum citri, an. dra. i. ariſtolochiæ longæ, Zedoariæ, dictami cretenſis, cornu cervi uſti, boli armeni, terræ ſigillatæ, roſarum, calaf, ſpicæ, Margaritarum præparatarum, an ſcr. ii. camphoræ, ſcr. i. s. corallorum amborum, ſcr. i. ſacchari candidi, dra. ii. omniaque tenuiſſimum in pulverem redigunt. Quam potionem mane ante cibum, & à cibo ſpatio ad minus ſex horarum calidam bibunt, à qua ſtatim ægroti in lectulo pannis multis cooperiuntur, ut ſudent, & poſtea toto corpore lineis calfactis pannis molliter fricantur, & à frictione rurſum continuo pannis conteguntur, atque ſudorem omni conatu procurant, repetuntque hoc ter ad minus in die. Aliis ad idem magis probatur potus ex aquæ roſatæ, calaf, florum citri, ſucci limonum, an. dra. i. theriacæ ſupradictæ, ſcr. ii. croci, ſcr. s. paratus. Nonnulli uſque adeo audaces exiſtunt, ut quatuor cantaridarum capita, & alas in pulverem redactas cum tribus unciis aquæ endiviæ ægrotis propinare audeant, quo medicamento, vel per ſudorem copioſiſſimum, vel per urinam peſtiferum venenum vacuari, affirmant. Multi ſingulo mane libram decocti calidi

aſſumunt, ex chinæ radice, ſeminibus citri vel limonis, abdellavi in aqua boraginis, vel calaf, vel etiam roſacea, atque modico ſucci citri, parati- alii hunc potum parant, chinam, tantum radicem, atque modicum pulpæ tamarindorum in aquam ex limonibus diſtillatam, bullientes ad conſumptionem medietatis, cujus decocti calidi libram bibunt, & ſtatim ſudare plurimum ſtudent. Alii alium pulverem eodem hoc modo utendum cum aqua roſacea, vel calaf, pro ſecreto ad has bebres habent, quem parant, accipientes dictami Cretenſis, albi, rutæ, mari Cretenſis, an dra. ii. bacarum juniperi, lauri, ſeminum peoniæ, an. dra. i. s. calami aromatici, carpobalſami, cinnamomi, ariſtolochiæ rotundæ, zedoariæ, gentianæ, an. ſcr. j. florum calaf, roſarum rub, citri, an. ſcr. i. gariophyllorum, camphoræ, boli armeni, terræ ſigillatæ, lapidis bezaar, Margaritarum, an. ſcr. s. In peſte quoque habent in uſu nonnulla electuaria frequentiſſimo ad præcavenda corpora, ne inficiantur. Quorum unum, cui omnes maxime confidunt, componunt., ſumentes terræ ſigillatæ, dra. ii, ſem. citri, acetoſæ, an. dra. i. s. boli armeni, ariſtolochiæ rotundæ, ſcordii, zedoariæ, dictami albi Cretenſis, an. dra. i. theriacæ antiquæ, cornu cervi uſti, dra. i. s. Margaritarum, ſmaragdi, Hyacinthi, camphoræ, croci, an. ſcr. ii. ſandalorum omnium, corallorum rubeorun, alborum, ſerici combuſti, an. ſcr. i. s. Quæ omnia in pulverem redacta, cum ſyrupo de acido citri miſcent. Cujus doſis eſt à ſemuncia ad unicam. Ad idem hoc aliud ſic componunt, ſumentes zedoariæ, galangæ, ſcordii, chamedrios, calaf, florum, corticum, atque ſeminum citri, acetoſæ, terræ ſigillatæ, boli armeni, calami aromatici, cinnamomi, carpobalſami, xiliobalſami, coraliorum rub. an. dra. i. dictami Cretenſis, ſandal. rub. an. ſcr. i. cornu cervi uſti, camphoræ, an. ſcr. ii. croci, piperis nigri, ligni aloës, moſchi, fragmentorum ſmaragdi, an. ſcr. i. s. Margaritarum, drach. i. s. aloes ſuccotrinæ, myrrhæ, an. dra. iiii. theriacæ antiquæ, dra. ii. miſce pulverizata cum ſyrupo de acido citri, & fiat electuarium, doſis eſt ſemuncia. Aliud ad idem, quod parant ex ſeminum citri, abdellavi, chate, acetoſæ, ocymi Ægyptii, quem rihan

han appellant, carpobalſami, an. dra. iii. dictami, bedeguar, ſcordii, zedoariæ, an. dra. ii. cornu cervi uſti, terræ ſigillatæ, coriandriorum præparatorum, lapidis bezaar, an. dra. i. margaritarum, hyacinthi, ſmaragdi, topacii, an. dra. i. s. ſandalorum omnium, camphora, an. ſc. ii. boli armeni, dra, i. ſacchari roſati antiqui, dra. viii. theriacæ antiquæ, dra. iiii. mitridatii, dra ii. cum ſucco de acido citri pulverizatis pulverizandis miſcent, & faciunt electuarium: cujus doſis eſt à drachma una ad duas. Apud omnes Turcas atque alios nobiles Ægyptios, opobalſami uſus eſt frequentiſſimus; neque immerito, cum ille ſuccus tantopere adverſus omnem humorum putredinem præſtet: eo enim inuncta cadaverum corpora diu imputria ſervari multorum teſtimonio conſtat, Temperamento hominis naturalem calorem valde fovet, & auget, plurimumque nobilia membra roborat, atque citiſſime corporis partes permeat. Multos illius uſu à pluribus peſtilentiis ſuperſtitiſſe incolæ teſtantur. Omnes fere, ut ſeipſos à peſtis contagio deffendant, hujus liquoris uſui plus fidunt, quam ceteris aliis auxiliis; id in aqua ex acido citri, ſtillatitia, vel ex flor. citri, vel in vino albo, aut jure pulli liquatum bibunt, aut (quod ſane valde celebre ſecretum ad peſtem habetur) cum binis ipſius ſucci unciis, miſcentes myrrhæ, carpobalſami, ligni aloes, terræ ſigillatæ, boli armeni, margaritarum, lapidis bezaar, croci, an. ſcr. i. ſumuntque hujus compoſiti ſingulo mane drachmam. Aliqui peſte infectis ſic medentur, continuo cruribus, brachiis, & inguinibus ea medicamenta, quæ noſtri veſicantia vocant, applicant, ex quibus ulcera multa in iis partibus, per quæ humores ſumme putridi à natura extramittuntur, expurgentur. Cruribuſque non unum, vel duo, at decem, & plura etiam ulcera infligunt, atque non minus brachiis, atque hoc auxilium penes omnes Arabes, qui cum per deſerta loca continue equitantes, ſecum multa medicamenta habere nequeant, quibus utantur, hoc remedio utuntur, raroque ejus opera fruſtrantur. Repeto aliud, cujus quidem ſuperius quoque meminimus, ad curandos ſane peſte infectos non minus apud Arabes celebre, & uſitatum, quam nuper dictum ſit. Quod illi molitun-

liuntur, tres ſcarificationes longas, & profundas, quæ non ſcarificationes, ſed permagna vulnera apparent, utrique cruris ſuræ per longum infligentes, quæ non ſanant, priuſquam ægroti perfecte à peſte ſani evaſerint. Guiland. Hoc genus auxilii, quamvis barbarum præ multo dolore videatur, tamen adprime utile peſte infectis judicandum puto, quod corpora non ſolum evacuentur, ſed noxii humores non minus à nobilibus partibus ad ignobiles revellantur, continuaque putridorum humorum in toto morbi tempore per illa ulcera fiat evacuatio, ex qua ægrotos maxime juvari non eſt hæſitandum. Hunc ego hac perdoctus experientia in omnibus peſtiferis febribus in remotis partibus corporis, ulcera omnia, profunda, & lata, vel à natura protrudente venenoſos humores, vel igne, vel exulcerante quopiam medicamento facta, plane laudanda cenſeo; præcipueque læſo jecore in inguine, corde in brachiis, atque cerebro in occipite, vel in collo. His quidem ulceribus illa viſcera facile utuntur ad extramittendos ſive vacuandos veneficos ſuccos à quibus ipſa in peſtilentibus iis febribus, læduntur. Sed jamjam ceſſo adloqui, ne amplius tuum cœptum ſermonem aliquo modo interturbem: ſequere itaque reliqua. Alpin. Quid amplius dicam? nulla videntur mihi ſuperfuiſſe dicenda, niſi de hecticarum febrium curatione hæc quoque pauca tibi ſubjungam. Curant enim ii hecticas febres, nullis putridis conjunctas, quæ exquiſitæ hecticæ vocantur, victu præcipue frigido atque humido ex cucurbita, hordeo, lactuca, endivia, beta, ac aliis hujuſmodi in jure coctis: aliis magis probatur iii victu uſus anguriæ el navi, nam maxime refrigerat, & humectat. Aliiſque juſcula cum iiſdem alterata Omnibus vero ſorbitiones maglub atque maſtahaleb vocatæ ſunt familiariſſimæ, quæ ex variorum ſeminum vim refrigeratoriam, & humectatoriam habentium, parantur, quale à pleriſque ſic paratur, ex ſeminum lactucæ, endiviæ, ſonci, malvarum, pſyllii, papaveris albi, melonis abdellavi, chate, cucurbitæ, angnriæ, hordei, piſtachiorum, amygdalarum dulcium ex Gaza advectarum (quas minus alii calfacere ii putant) ſingulorum æqualibus partibus, quibus aliqui miſcent ſemina fœniculorum, aut

citri

citri correctionis cauſa, quæ omnia in marmoreo vaſe contundunt, ac poſtea lac cum aqua endiviæ, vel hordei exprimunt atque colligunt, cui addentes modicum aquæ roſaceæ, & ſacchari candidi violati, ſorbitionem parant, quam hecticis aliorum ciborum loco offerunt. Sunt qui hoc tantum victu pluribus diebus uſi à febre illa evaſerint. Alii hecticos curant lacte camelino, vel aſinino, vel humano, maximeque conſumptos. Utuntur etiam balneis ex lacte tepido paratis, corpora etiam illorum præter quod lacte irrorant, oleis quoque nenupharino, violaceo frigidis, vel tepidis inungunt. Non minuſque illis in uſu familiariſſimo dulcia balnea tepida, atque frigida exiſtunt. Multi enim poſt balneum calidum frigidam in aquam, quæ tamen non multum ſit frigida; ſe immergunt plerique libentius tepida, quam frigida ad hecticos curandos utuntur. Divites, ut jam dixi, familiaria habent balnea, ex lacte camelino, vel aſinino, vel caprino parata. Hæcque obiter memini, me, partim apud Ægyptios medicos ad uſum febrium curandarum praxim cum ipſis exercendo, obſervaviſſe, partimque à quodam medico Ægyptio doctiſſimo accepiſſe, quæ qualiacunque ſint, tibi libentiſſime nunc communicare volui. GUILAND. Perpulchra ſana videntur, minimeque inutilia, quæ dixiſti modo, pro quibus non parvas gratias tibi habeo. Sed tempus nunc nobis ſuadet, ut paululum quietis nunc capiamus, reliqua in altera die dicenda remittentes, quando parum diei nunc ſupererit; nam video, Solem pene ad occaſum jam acceſſiſſe, ex quo etiam in hac die illa abſolvi à nobis non potuiſſent.

FINIS.

# INDEX
## EORUM OMNIUM, QUÆ IN MEDICINA ÆGYPTIORUM CONTINENTUR.

### A.

Fol.

ABBALASSAN, Carpobalſamum. 302
Abderæ virgo multiplici vacuatione judicata. 239
Acatiæ vires ad ſiſtendam quamcunque ſanguinis vacuationem. 314
- - - ſuccus duplex, quippe liquidus, & ſiccus. 306
- - - ſucci ſicci uſum in Ægypto eſſe ad cariarios pro tingendis coriis. 306
Acatiam arborem, cujus Ægyptus eſt ferax, non edere lachrymas, ſive ab ipſa arbore non diſtillare lachrymas, quarum ſit uſus. 306
Acori radices non eſſe calamum aromaticum. 298
Acoro vero Ægyptii utuntur, quem Hehud vocant. 306
Achovan quid. 299
Achaoen, Vehoven, & Alachuan idem. 299
Achaovam herba creſcit in Ægypto. 299
- - - deſcriptio. 299
- - - an ſit marum. 299
Achimbaſſi medicus omnium primus. 4
- - - medicus medicis mederi volentibus authoritatem ſoluto pretio concedit. 4
- - - officium quale ſit. 4
- - - à Beſſa Cayri procreari ſoluto pretio. 4
- - - Beſſa non excellentiorem in medicina virum, ſed eum, qui multos aureos ſolverit, procreare. 6
- - - omnes, qui pretium ſolverint, etſi medicinæ artis prorſus ignari ſint, mederi per urbem ſinit. 5
Ad bubones, tumores, & parotides peſtilentes cucurbitulæ utiles. 164
- - febres ſynochas ſecretum auxilium. 315
- - febres peſtilentes potus ſingulares. 321
- - Hydropem Ægyptios uti uſtione. 212
- - ſcorpionis morſum ſcarificatio partis affectæ. 207
Advenæ omnes, cum Cayrum ſtatim venerint ex potu aquæ Nili diarrhæam pati ſolent. 46
Adulteræ mulieres cur maritis filios ſimiles pariant. 88
Ad uteri frigidas affectiones clyſteres. 314
Ædes balneorum gratia conſtructæ. 228
- - balneorum in Ægypto quomodo factæ ſint. 228
Ædium pro balneis conſtructarum deſcriptio. 228
Ægrotos filios gignere ægrotos. 88
Ægrotis, quibus ante ſanguinis miſſionem aliquid cibi ſit concedendum. 123
- - antequam ipſis ſanguis mittatur, aliquem frigidum potum cum aliquo ſyrupo os ventriculi roborante eſſe exhibendum. 123
- - quibus ſit mittendus ſanguis, tutius potum, quam cibum dari poſſe. 123
Ægypti regionis deſcriptio. 18
- - ſitus. 18
Ægyptus eſt inter Æthiopiam, Arabiam, & Marmaricam. 18
Ægypti aërem ſumme calidum eſſe, quæ oſtendant. 18

Ægypti

# INDEX.


Ægypti incolarum triplex genus eſſe. 31
Ægypto venundari. 92
Ægyptum nunc veris Ægyptiis hominibus carere. 92
Ægyptus habet ab ortu Arabiam, ab occaſu Marmaricam, à Septentrione mare Mediteraneum & à Meridie Æthiopiom. 18
Ægyptum carere balneis naturalibus. 228
- - habere homines pingues, ac craſſos. 32
Ægypti incolæ omnes Vigiles exiſtunt. 37
Ægyptum viris olim tum in medicina, tum in aliis ſcientiis illuſtribus floruit. 2
Ægyptus priſcis ſæculis pluribus doctiſſimis medicis floruit. 4
Ægyptum totam peſte infeſtam accedente tropico cancri, ab omni peſte, peſtiſque contagio ſanari. 70
Ægypto regiones conterminæ. 296
Ægyptus à quibus ventis libere eventilatur. 25
- - Septentrionalibus ventis magis quam aliis eſt expoſitus. 25
Ægyptum magis expoſitum Septentrionalibus ventis, quam aliis, voluit Deus, ut refrigeraretur. 25
Ægyptus miraculo fœcunda videtur, cum ſolum totum arenoſum habeat. 26
- - totam fœcunditatem à Nilo flumine accipit. 26
Ægyptum hominibus abundare, ſic pinguibus, qui mammas longe maximis fœminarum mammis, majores habent. 32
Ægyptii cur multo ſanguine abundent. 32
Ægypti habent ſtomachum frigidum multa pituita ſcatente. 32
Ægyptii à quibus ſtomachum frigidum contrahant. 32
Ægyptiorum corporum habitus. 32
Ægyptii victu tenui ac admodum ſobrio utuntur. 33
- - pluries in die quam noſtri comedunt, ſed parum. 33
- - morbi ſparſim qui per urbem Cayri ſemper obſervantur. 56
- - medici medendo utuntur illa univerſali propoſitione, quippe contrariis contraria curari. 16
Ægyptios non recte intelligere propoſitionem, quæ eſt contraria contrariis curari. 16
Ægyptii errant in cognoſcendis morbo contrariis remediis. 16
- - medici in quibus morbis recte utantur medentes propoſitione, contrariis contraria curari. 16
- - in curandis morbis ſemper morbo contrariis utuntur. 16
- - omnes cur ad uſum refrigerantium maxime præcipitentur. 16
- - quot modis mittant ſanguinem. 4
- - mittunt ſanguinem ab auribus ſcarificatis. 4
- - mittunt ſanguinem à cruribus ſcarificatis. 4
Ægyptios nunquam cucurbitulis uti pro molienda totius corporis vacuatione. 126
Ægyptii cucurbitulis occipiti, atque ejus proximis partibus utuntur. 126
- - cucurbitulas, neque igne, neque aqua, ſed ſpiritus attractione admovent. 126
- - medici cui medicinæ ſectæ adhæreant. 6
Ægyptios medicos ſectam methodicam, atque empiricam ſequi. 6
- - ad morborum curationem, neque partium læſarum, neque cauſarum, neque naturæ, neque ætatis, habere rationem. 6
Ægyptii putant omnia morborum genera fieri, vel à caliditate, vel à frigiditate. 6
- - ob cælum Ægypti ſumme calidum, putant à calore omnes morbos fieri. 6
- - refrigerantium medicamentorum uſum cur frequentent. 6
- - quibus dent operam. 2
- - publicas ſcholas habent, in quibus varia ſcientiarum genera docentur. 3
Ægyptios plurima ſecreta auxilia præſtantiſſima hæreditarie à priſcis doctiſſimis medi-

medicis accepiſſe. 4
Ægyptii, quæ ad medendum in uſu habeant. 4
- - quomodo ab oculorum lippitudinibus præſerventur. 53
Ægyptios ob parcum victum longiorem vitam ducere. 39
- - ab uſu aquæ Nili fluminis longævos fieri. 40
Ægyptii quomodo præſciant futurum fluminis incrementum. 29
- - quid faciant, ut præſciant futurum fluminis incrementum. 30
Ægyptios mittere ſanguinem à ſectis arteriis, atque à multis venis, noſtris medicis non uſitatis. 4
Ægyptii hirudinum uſum ignorant. 4
- - in carnium eſu ſunt parciſſimi. 33
- - humido cibo delectantur, eumque ſequuntur. 33
- - arietum caſtratorum carnibus veſcuntur. 33
- - ab Hippopotamo ſanguinis miſſionem acceptam referunt. 2
- - quot modis mittant ſanguinem. 4
Ægyptios pro vacuando ſanguine venas ſecare, noſtris inuſitatas. 4
Ægyptii mittunt ſanguinem ab arteriis ſectis. 4
- - æſtate loca terrena habitant, prope fontes dormientes. 19
- - fiſtulas intra omnes domos faciunt, ad refrigerandum aërem. 19
- - omnes veneri admodum indulgent. 37
Ægyptiis conceditur plures uxores poſſe ducere. 37
Ægyptii otioſam vitam ducunt, Exceptis Arabibus, & ruſticis. 37
- - cur ſic frequenter miſſioni ſanguinis indulgeant. 83
Ægyptios errare, qui largius ac ſæpius quam opus eſſet mittere ſanguinem ſoleant. 83
Ægyptii ægroti nimium ſanguinis miſſioni fident. 83
Ægyptios tribus modis ſanguinem mittere. 125
- - per venarum, arteriarumque ſectionem, atque per variarum partium ſcarificationem mittere ſanguinem. 125
Ægyptii, ne dum uruntur, partes inflammentur quid præſtent. 210
Ægyptios ferro frigido ſæpe partes iis quæ inuruntur, proximas tangere, ne adoriatur inflammatio. 210
Ægyptii quid poſt inuſtionem præſtant. 210
- - quas partes corporis inurant. 209
- - uſtione articulorum laxitatem ac debilitatem corrigent. 121
- - inuſtione articulis robur conciliant, ut ab humorum fluxionibus deffendantur. 210
Ægyptios quam plures exuſtis temporibus ſpectari. 137
- - ad urendas partes rectius quam noſtros ſe gerere. 212
Ægyptii ad uſtionem moliendam cur nullo metallo utantur. 213
- - ad inuſtionem, cur goſſypio ignito utantur. 213
- - quem modum ſervent in ſcarificandis cruribus. 195
Ægyptios recte ſe gerere pro crurum ſcarificatione ſanguinem mittentes in pueris, Eunuchis, atque aliis corporibus laxis, pinguibus, albis. 112
- - ſanguinem mittere cutis ſcarificationibus. 4
- - ſanguinis miſſione gaudere. 82
Ægyptii mittunt ſanguinem in omnibus ætatibus, anni temporibus, & ad omnes fere morbos. 82
- - libentius ſanguinis miſſione, quam medicamentis utuntur. 82
Ægyptios mirabili dexteritate multas partes corporis pro mittendo ſanguine ſcarificare. 4
- - mirabili dexteritate arterias, atque venas ſecare. 4
Ægyptii in quibus corporibus conſueſcant ſcarificatis cruribus mittere ſanguinem. 111

# I N D E X.


Ægyptiorum modus aures ſcarificandi. 169
Ægyptii ciborum multiplicitate non gaudent. 33
- - ſimplici cibo ſunt contenti. 33
- - ciborum varietatem abhorrent. 33
- - carnium eſu non admodum delectantur. 33
- - Mahometis aſſeclæ vino non utuntur lege eis interdicto. 33
Ægyptiorum multi vino non ſecus quam Germani indulgent. 33
Ægyptios medicos per ſectas arterias mittere ſanguinem non ſecus quam à venis. 133
Ægyptii mittunt multum ſanguinem. 11
- - medici an errent non utentes cucurbitulis pro adjuvanda exanthematum eruptione. 160
- - medici in nobilibus uti blandiſſimis medicamentis purgantibus. 11
- - inurunt partes goſſypio atque panno lineo ignito. 210
- - quo pacto partes corporis inurere ſoleant. 210
Ægyptios coxendicum dolorem inuſtione ſanare. 210
- - in peſte infectis multa ulcera cruribus infligere. 324
Ægyptii curant febres exanthematum peſtiferas linitione ex oleo amygdalarum amararum & nitro, parata cum frictione ad univerſas corporis partes. 321
- - in febribus peſtilentibus ſudorem provovant 321
Ægyptios dividi in urbanos, Arabes, & Ruſticos. 31
Ægypti incolarum temperamenta. 31
Ægyptiorum urbem habitantium corporum habitus & temperies. 92
Ægyptii fato quodam Tyrannis ſemper fuere ſubjecti. 12
- - uſum inurendi habent familiarem. 210
Ægyptiorum plerique hepar calidum, & humidum habent, ex quo multo ſanguine exuberant. 32
- - multos majores mulierum maximis mammis, mammas hebere. 31
- - temperies à quibus mutata. 93
Ægyptii quamobrem omnes fere ſtomachum frigidum obtineant. 309
- - omne genus morbi ex capitis diſtillatione obortum, patiuntur. 20
Ægyptios medicamentis refrigerantibus indulgere. 252
Ægyptiis pulveres eſſe familiares exurentes, atque terræ ſiccitate. 229
Ægyptii cur timeant uſum cucurbitularum in febribus peſtillentibus. 161
- - herbam comedentes. 258
- - an à commanſa herba, atque aliis medicamentis vero optata videre queant. 259
Ægyptii lactis acetoſi uſum ſequuntur. 252
Ægyptii plurima habent iu medicina priſcorum doctiſſimorum medicorum antiquitatem redolentia. 14
- - cur morbis frigidis potius quam calidis infeſtentur. 252
Ægyptiis victus atque medicamenta familiaria. 252
Ægyptios multos annos plus centum vivere. 38
Ægyptii à quibus cauſis fiant longævi. 42.
Ægyptiæ mulieres, quid in balneis factitent. 230
Ægyptias in balneis pinguedinem procurare 231
- - uti balneis ad pingueſcendum. 231
- - ad coitus conciliandam volutatem variis ungentis recte olentibus uti. 230
Ægyptios errare molientes purgationes quibuſdam ſeminibus validiſſime purgantibus. 279
Ægyptiorum aliquos poſt aſſumptum purgans medicamentum ægrotis multum aquæ frigidæ potandæ propinare. 285
Ægyptios divites multos ſyrupos, quos cum aqua per æſtatem potant, domi parare. 268
- - lapides è veſica extrahendi ſine inciſione modum callere. 223


A

- - com-

- - componunt Theriacam pro Turcarum Rege. 288
- - juſſu Turcarum Regis Theriacam componere. 288
- - theriaca cum advenis multum lucri facere. 288
- - errare in componenda theriaca. 307
- - tribus nominibus his, quippe Darſini, Cherſe & Selica, intelligere cinamomum, canellam, & caſſiam. 304
Aër Ægypti qualis ſit. 20
Aëris Ægypti temperies. 20
Aër Ægypti eſt calidus & ſiccus, inæqualis, tenuiſſimus. 20
- - - cur hyeme aliquando inſigniter frigidus ſentiatur. 20
- - - caput maxime offendit. 20
- - - quando eſt temperatiſſimus æqualiſſimus, morbiſque careat. 24
- - locorum Ægypti mari adjacentium qualis. 91
- - - - - à mari elongatorum qualis 91
- - nocturnus & diurnus per hyemem in Ægypto qualis. 20
Aêris Ægypti diurna & nocturna alteratio. 20
Aërem ſumme calidum continue marceſcere, ac fieri peſſimum. 68
Aër in Ægypto non uniformis 91
- - locorum Ægypti mari adjacentium eſt frigdior atque humidior. 24
- - ſecundæ æſtatis, æqualis, continuus, calidus. 72
Aëris mutationem ab æſtuante calore, inæquali, in minus calidum, æqualem continuum peſtem dirimere. 72
Aërem Januario & Februario menſibus eſſe quo ad primas qualitates temperatas. 21
Aër in Ægypto Junio menſe ex morboſo ſtatu. in ſalubrem mutatur. 76
Aër ſecundæ æſtatis in Ægypto mutationes non confertim, ſed ſenſim recipit. 76
Aëris refrigerandi cauſa multis Ægyptii utuntur. 19
Aër Ægypti multum à Septentrionalibus, ac Meridionalibus ventis alteratur, & parum ab orientalibus, atque occidentalibus 19
- - ab Ægyptiis, frigidæ aquæ multis fontibus refrigeratur. 19
Aërem Ægyptii refrigerant quibuſdam vaſtiſſimis fiſtulis in ſingulis domibus ea cauſa conſtructis. 19
Aër Ægypti adveniente æſtivo ſolſtitio quomodo omne contagium peſtilens conſumat. 77
- - ante æſtivum ſolſtitium tribus menſibus in Ægypto, eſt interrupte calidiſſimus ac fere animalia ſuffocans. 71
Aëris camerarum balnei temperies. 228
Aërem quoad calorem varium in balneorum ædibus eſſe. 229
Æris infuſum ſanare hepatis lieniſque obſtructiones difficiles. 282
Æſtatis tempus penes Ægyptios. 21
Æſtas in Ægypto quando incipiat, & deſinat, 21
Æſtatem in Ægypto duplicem eſſe. 21
Æſtas prima in Ægypto eſt inæqualiſſima, inconſtantiſſima, & ſumme calida 21
- - prima plurimum corpora lædit. 21
- - ſecunda eſt æqualior, minuſque æſtuoſa, & minus corporibus noxia. 21
- - prima eſt menſibus Martio, Aprile, Majo 21
- - ſecunda, incipit Junio menſe & uſque ad finem Auguſti protenditur. 21
Æſtatis primæ aëris conſtitutio. 71
- - prima pars unde inconſtantiſſima, æſtuoſiſſima, atque inæqualiſſima ſit. 22
Æſtatis ſecundæ temperies. 24
Æſtatem ſecundam morbis carere. 24
Æſtatis primæ calidiſſimæ & inæqualiſſimæ cauſæ. 22
- - calor facile à quoque fertur. 19
- - aërem ſumme calidum temperari à Nili fluminis incremento, atque à Septentrionalibus ventis. 19
- - aër niſi à Nili incremento, & à Septentrionalibus ventis refrigeraretur, homines ibi vivere non poſſent. 19

Æſta-

# INDEX

Æſtatem Eteſiis carentem admodum morboſam 75
Ætius ſecandi modum in hydrope docuit. 220
——uſtionem in atticulorum, atque aliis morbis laudat, 216
Ætates purgationes non recte quæ ferant. 279
Agatarchidis de Nili augmento opinio. 28
Agarici utilitas ad quartanas febrs. 320
Agens proximum in generatione magis poteſt quam remotum 88
Agricolæ Ægypti ſecunda æſtate vitam otioſam ducunt. 24
Agricolæ quando ſemina terræ committant. 24
Alcanna, ſive elhanne, quod eſt liguſtrum Ægyptium, florum uſus. 254
Alexandrini hyeme oculorum lippitudinibus vexantur. 52
Alexandriæ atque aliis locis mari adiacentibus largiſſime pluit 24
Alexandria ſingulis annis autumno multis peſtilentibus febribus vexatur. 51
—— civitas tota ſuper columnas marmoreas numero ferme infinitas poſita ac fundata eſt. 52
Alexandriæ omnia loca ſubterranea inania, ac pervia exiſtunt. 52
Alexandria civitas cur viis ac inanibus ſubteraneis locis conſtructa ſit. 52
Alexandriæ locis ſubterranea pervia ac inania facta fuiſſe ne urbs terræmotibus obnoxia foret. 53
—— loca ſubterranea pervia facta fuiſſe, ut in iis ſufficiens aquæ Nili copia ad uſum incolarum per annum ſervaretur. aliqui Ægyptiorum exiſtimarunt 53
Alexander Trallianus ſentit in dyſenteria mittendum eſſe ſanguinem. 117
Alindaracoron throciſcorum compoſitio, Ægyptio, diverſa eſt ab ea, qua uſus fuit Gal. 307
Alimentum immodicum refrigerare. 41
Alvi profluvii cauſæ. 117
Amatus Luſitanus in dyſenteria mittebat ſanguinem, multoſque hoc auxilio curavit. 117
Amatus Luſitanus quomodo à naribus ſanguinem mittebat. 171
Amatum medicum Luſitanum multos puerulos ſanguinis miſſione curaviſſe. 106
Amentes inuſtione ſanant Ægyptii. 211
Ammeum Ægyptii Indicum habent, omnium optimum, quem Nanacuendi appellant. 306
Amomum amama vocant Ægyptii. 300
—— verum habere Ægyptios. 300
—— lignum & non ſemina vel fructus eſſe Ægyptii affirmant. 300
Amomi deſcriptio. 301
Amomum quo Ægyptii utuntur, non eſſe Roſam Hierici, ut falſo aliqui crediderent. 301
Amomi hiſtoria apud multos antiquos ſcriptores varia. 301
Amygdalas ex Gaza advectas minus aliis calfacere. 266
Anaxagoræ de Nili fluminis augmento opinio. 28
An crurum ſcarificatio in ſura, ut Ægyptii faciunt, vel potius in malleolo, ut Gal. docuit, ſit facienda. 203
———— vicaria ſit venæ ſectionis. 188
Animalia in Ægypto reperiri, quibus ars curandi morbos inſita à natura exiſtimetur. 2
Anguriæ, quæ intus nullam pulpam, ſed hujus loco aquam dulciſſimam continent 56
Anguriarum aquam hernias concitare. 56
Anguriæ aquæ facultas. 57
Antimonium difficiles ac antiquos morbos ſanare. 281
Antimonio multos ab incurabilibus fere morbis ſanatos. 282
Antiqui ad quos morbos ſectione uſi ſint. 220
Antiqui medici cur prævalidis purgantibus uſi fuerint. 281
Antonius Palmerius Presbyter Cayri ſacra multos annos miniſtravit. 296

Antyllum, cucurbitularum uſum ſcarificatione præſtitum cognoviſſe. 145
Antyllus ſcarificandi docuit modum 197
Annus ab Ægyptiis in quot partes dividatur. 21
Annum penes Ægyptios in quatuor tempora, ſed tamen ſecus quam à noſtris fiat, dividi. 21
Anum Athenienſem cicutæ eſui aſſuetam. 255
Aoim Chriſtianum Cophtum vacuato plurimo ſanguine à venis retro aures ſomno longiſſimo correptum fuiſſe, non tamen ſterilem evaſiſſe. 132
Apoplecticos inuſtione curari. 211
Apodyterium ſeu ſpoliarium quid. 228
Aqua optima neque concoctionem, neque concocti diſtributionem, neque ſanguinis generationem, neque nutritionem, neque urinarum, ſudorumque excretionem, neque corporum dilatationem, juvat. 44
Aquam non juvare concoctionem. 44
——— hypochondriis non eſſe utilem. 43
Aquas optimas reperiri; quæ neque inſigniter frigidæ, neque craſſæ, ſed dulces exiſtunt, ac tenuiſſimæ. 46
——— cœleſtes eſſe leviſſimas, dulciſſimas, atque tenuiſſimas. 46
Aqua, quæ ex Galeno optima ſit. 35
Aqua optima eſt quæ clara ſyncera, ſine odore. 35
Aquæ optimæ notæ. 35
——— crudæ & malæ notæ. 35
——— uſum ad vitam producendam, magis quam vini, conducere. 43
——— uſum Ægyptiis magis quam vini, conducere. 43
——— potus, quæ noſtris corporibus afferat incommoda. 43
Aquam ſtomacho, hypochondriis, hepatique vel lieni obſtructis, vel in tumorem elatis plurimum nocere. 43
——— ab Ægyptiis ad ſanitatem conſervandam, vino præponi. 43
Aqua dulcis tepida cutem laxat, ſanguinem attenuat, atque attrahit. 190
Aquæ potu ſumme calida corpora juvari. 45
Aquam pueris, atque calidis & humidis corporibus conferre. 45
Aqua Nili fluminis clarefacta omnium eſt limpidiſſima, puriſſima, leviſſima, cujuſvis odoris expers, atque ſubdulcis. 35
——— Nili quibus omnium hominibus utiliſſima, ac optima ſit judicanda. 35
Aquam Nili fluminis corpora ex calore gracillima refrigerare, incraſſare, atque impinguefacere. 8
——— Nili fluminis hepar calidum refrigerare. 8
——— Nili totam in ſanguinem verti, ex quo Moſes Dei præcepto aquas in ſanguinem mutavit, Ægyptiis perſuaſum eſt. 82
Aquæ Nili facultas. 36
Aquam Nili Joan. Jacob. Manne medicus, pro Turca qui renum calida intemperie laboravit, plurimum commendavit. 37
——— Nili fluminis clarefactam, tenuem, levem, ſubdulcem eſſe. 46
——— Nili epotam aliquibus ſudorem, aliquibus urinam, atque multis ventrem movere. 46
——— Nili fluminis copioſe epotam hepatis calorem optime contemperare. 8
Aqua Nili à longiſſimo itineris tractu fere à Sole coquitur. 35
Aquam Nili omnium eſſe minime frigidam. 36
——— Nili fluminis Avicenna multis laudibus celebravit. 36
——— Nili, quæ eſt turbida, Galeni temporibus Alexandriæ per fictilia vaſa Ægyptii percolabant. 36
——— Nili cœnoſam ac turbidam quomodo cito clarefaciant. 36
——— turbidam amygdalis dulcibus contuſis, Ægyptii clarefaciunt. 36
——— turbidam ex Nilo aſportatam dulcibus amygdalis trium tantum horarum ſpacio clarefaciunt. 36

# INDEX.


Aqua Nili clarefacta epota ſudorem movet, aliquibus urinam, & quamplurimis ventrem. 36
Aquam Nili diu, noctuque epotam corpora non lædere. 36
Aqua Nili calida corpora plurimum juvantur. 37
—— Nili epota viſcerum incendium contemperat. 37
Aquam Nili vicem gerere ſeri lactis 37
—— Nili Ægyptii mutari in ſanguinem putarunt. 37
Aqua Nili unde habuerit, quod intra corpora ſuſcepta, in ſanguinem mutetur. 37
Aquæ Nili Deum dediſſe, ut in ſanguinem converteretur, Ægyptii exiſtimant. 37
Aqua Nili fluminis pro potu eſt jucundiſſima. 35
—— Nili ceteris bonitate videtur præferenda. 35
Aquam Nili fluminis in potu Ægyptios ſectari. 252
Aqua Nili à dolore renum à calculis concitatum ſanare. 47
—— Nili quo pacto poſſit concoctionem juvare. 47
Aquam Nili clarefactam hypocondriis, jecori, lienique inflammatis auxilio eſſe. 47
Aqua Nili an corpora nutriat. 47
Aquam Nili, ex Ægyptiorum ſententia nutrire. 48
Aqua Nili quando eſt pauciſſima, & fere ſtagnans. 27
—— Nili fluminis quomodo in Urbem Alexandriam veniat. 52
—— Alexandriæ autumno evadit cœnoſa, paluſtris, corrupta atque peſſima. 52
—— corrupta quomodo ſit cauſa peſtilentium febrium, quæ autumno Alexandriæ vagantur. 53
Aquam Nili fluminis per medium Cayri civitatis tranſeuntis putrefactam varios in pueris morbos concitare. 55
—— plurimam gelidam iis propinari, quibus eſt ſanguis mittendus, officere. 124
—— ante miſſionem ſanguinis multam epotam, hydropem facere. 124
—— Nili fluminis modice ſumptam poſſe purgantis aſſumpti vim fovere, & augere. 286
—— Nili callere facultate aliqua ſubducendi alvum. 286
—— cum purganti medicamento frigidam dandam Averrhoes voluit. 286
—— poſt purgans medicameneum, Haly & Rhaſim conceſſiſſe. 285
—— frigidam multam ab aſſumpto purganti, aliquos Ægyptiorum bibere, à qua alvum ſæpe multum turbari. 285
Aquæ potu ab aſſumpto purganti cur aliqui commode ſint purgati. 285
Aquam nullo pacto purganti aſſumpto auxilio eſſe poſſe. 286
—— Angariæ elnavi ſanare febrem ſynocham. 315
Aqua ſtillatitia, qua ſynocha febris, atque ardens curatur. 315
Arabum corporum habitus, atque temperamenta. 92
Arabes multos morbos inuſtione ſanare. 210
—— cur utantur inuſtione. 210
—— quomodo lapides è veſica ſine inciſione extrahant. 224
—— priſcos medicos non cognoviſſe ſcarificationem crurum, vel ea non fuiſſe uſos. 180
Archenda quid, & ejus facultas. 242
—— eſt pulvis liguſtri Ægyptii foliorum. 242
Archigenes ſectionem ad hydropem meminit. 242
Ardentes febres quibuſdam ſecretis auxiliis ab Ægyptiis curari. 315
Arterias pro mittendo ſanguine Ægyptios ſecare. 4
Arteriarum ſectarum ad mittendum ſanguinem uſum, non ſecus quam venarum in Ægypto frequentari. 125

# INDEX.


Arteriæ pro quibus morbis ab Ægyptiis ſecentur. 125
Arteriarum ſectionem pro mittendo ſanguine hoc tempore propriam eſſe Ægyptiorum. 125
Arterias ſolos Arabes & Ægyptios pro mittendo ſanguine audere ſecare. 125
Arteriæ ſectio pro mittendo ſanguine Ægyptiis eſt familiariſſima. 133
—— ſectione ad quæ mala Ægyptii utantur. 133
—— ſectionem pro divino ſecreto in Ægypto ad diuturnas oculorum opthalmias, inveteratas, atque ad capitis viſcerumque antiquos diuturnoſque dolores haberi. 133
Arteriarum ſectione multos interiiſſe. 133
Arterias ſectas ex quorundam ſententia coaleſcere non poſſe. 134
—— ſectas magna cum difficultate coaleſcere. 125
—— ſectas poſſe coaleſcere, maxime in pueris, corporibuſque mollioribus. 134
Arteriam per ſomnium monitum Gal. ſecuiſſe, & bene ſucceſſiſſe. 134
Arteria cubiti ſecta quendam Magiſtrum à lateris dolore ſine ullo aneuriſmate ſanatum Gal. memoriæ prodidit. 135
Arterias quo pacto Ægyptii coaleſcere faciant. 138
Arteriarum ſectio, ut coaleſcat, quæ præſtent. 138
—— prævalido motui, poſtquam eas ſecuerunt, atque ſanguinem eduxerunt obſiſtunt, fruſto æris ſectioni arteriæ ſuperpoſito. 135
Arterias tuto ſecari ab Ægyptiis. 4
Arteriarum ſectione aliquos quaſi miraculo ſanatos fuiſſe. 4
Arteriam inter pollicem & indicem ſectam, hepatis dolorem juvare. 137
Arterias in ſummis artubus, atque in capite fore ſecandas in omnibus doloribus, à calida, ſpirituoſaque ſubſtantia, obortis. Gal. docuit. 135
Arteriam frontis ad quæ mala Ægyptii ſecent. 136
Arteriæ frontis ſectio quibus malis conveniat. 136
Arterias ſectas miſſo ſanguine Ægyptios, neque extrahere, neque inurere. 137
Arteriarum retro aures ſectio quibus morbis conveniat. 137
Arterias temporum ad prohibendos catarrhales fluxus in oculos Ægyptii inurunt. 137
—— retro aures Hippocrates in quibus inurendas voluerit. 214
Arthritides vagari in Ægypto. 50
Articulos à quibus cauſis plerique Ægyptiorum imbecillos habeant. 57
—— inurunt Ægyptii ad podagram. 211
—— inurentes Ægyptii ſanant articulorum dolores. 211
Arundinibus, ſaccharinis Ægyptios veſci. 252
Aſari decocti vis ad curandas quartanas. 320
Aſcanius Caracciolus à dyſenteria ſanguinis miſſione curatus. 117
Aſclepiades Æthiopes trigeſimo ætatis anno ſeneſcere, & Britannorum quamplures ad centeſimum, uſque & vigeſimum annum pervenire memoriæ prodidit. 40
Aſpalathus ubi reperiatur. 296
Aſpalathi arbuſti deſcriptio. 296
Aſpalathum flores edere ſuaviſſimi odoris. 297
Aſſis quid ſit. 261
Aſthma pectoris inuſtione ſanari. 212
Aſtronomi à quibus corporum naturas cognoſcant, ac ſpeculentur. 86
—— ad indagandam corporis naturam, quæ conſiderent. 86
—— hominis naturam ex ſigni natura, atque ſtellarum in prima cæli domo inventarum, vel eam reſpicientium. 86
Avenzoarem medicum filium ſuum puerum ſanguinis miſſione ab acuto morbo ſanaviſſe. 105
Averrhoes damnat frictiones in corporibus cruditatibus repletis. 243
—— cur aquam frigidam poſt aſſumptum pur-

purgans conceſſerit. 286
Avicenna de Achaouan. 299
Avicennam ſenſiſſe medicos poſſe in pueris binos annos tantum agentibus mittere ſanguinem. 105
Avicenna non cognovit ſcarificationis uſum. Imo confundit ſcarificationes cum cucurbitulis. 105
Avicennam ante ſanguinis miſſionem ægrotis aliquibus aliquid cibi eſſe offerendum præcepiſſe. 120
—— aquam poſt purgans conceſſiſſe. 286
Aures pro mittendo ſanguine Ægyptii ſcarificant. 128
—— infantibus ſcarificantur ab Ægyptiis. 167
Aurium ſcarificationem puerorum eſſe propriam. 128
Aures quo modo, ac ordine ſcarificentur. 169
—— Nec talem ſcarificationem cognoviſſe Gal. 169
Auſtri temperies. 65
Auſter cum imbribus conjunctus quid faciat. 65
Auſtrini flatus caput gravant, ſenſuſque hebetant. 154
Auſtrum facere putridinem. 65
Auſter corpora diſſolvit, humores fundit, putrefacitque, ubi conjunctus ſit cum largioribus imbribus. 65
Autumnus conſtat duobus menſibus, quippe Septembri, Octobri. 21

B.

Balneorum uſus qualis ſit apud Ægyptios. 229
Balneis naturalibus Ægyptum carere. 228
—— tepidis cur Ægyptii utantur. 229
Balneorum uſum penes Ægyptios pro corporum abſterſione eſſe frequentem. 230
—— uſu quæ accedat corporibus utilitas. 242
Balnea ex dulci aqua parata apud Ægyptios eſſe in uſu frequentiſſimo. 228
Balneorum dulcium apud Ægyptios quis ſit uſus. 228
—— dulcium facultas. 8
—— dulcium uſu corpora refrigerari & impingueſcere. 8, 37
Balnea apud Ægyptios qualia frequententur. 228
Balneorum gratia ædes in Ægypto conſtructæ. 228
Balnea dulcia in Ægypto omnes ornatus gratia frequentant. 37
Balneis dulcibus utuntur Ægyptii, tum corporum ab itineribus inflammatorum refrigerandorum gratia, tum pro demenda ſanguinis plenitudine. 32
Balneorum loca quomodo Ægyptii calfaciunt. 228
Balnea hecticorum qualia eſſe debeant. 229
Balneorum dulcium uſum eſſe in Ægypto ad corpora ex itinere inflammata. 236
Balnea tepida refrigerare, & humectare. 237
—— dulcia quibus conducant. 237
—— dulcia calida cutis ſtipationem delere. 237
Balneis utuntur nonnulli vacuationis gratia. 237
Balnea pro pinguefaciendis corporibus qualia. 230
—— calida in triplici eſſe differentia. 231
Balneorum calidorum vires. 231
Balneo tepido uti volentes pinguefieri. 231
Balnea dulcia quos morbos ſanent. 243
Balneis uti Ægyptios ad ephemeras febres. 246
Balneorum uſus ad febres, ephemeras, putridas, hecticas, & in ammationes. 246
Balneis ad quos morbos Ægyptii utantur. 245
—— dulcibus uſus fuiſſe antiquos in febribus. 245
Balneorum dulcium differentiæ, ac vires. 245


Bal-

Balnea dulcia, quibus febribus, & inflammationibus conveniant. 246
—— dulcia quo tempore febricantibus conducunt. 246
Balneis dulcibus quæ febres ex ephemeris juventur. 246
Balneorum uſus pro hecticis non unus, at multiplex. 246
Balnea corporibus cruditatibus ſcatentibus non convenire. 247
—— cur neque in febrium principio, neque in augmento conveniant. 247
—— dulcia corporibus calidioribus, & exuſtis maxime convenire. 247
Balneorum dulcium uſus varius quo ad varias febres. 248
Balnea in principiis morborum inutilia & noxia. 156
—— à cibo pinguefacere. 231
—— à cibo quamobrem impinguefaciant. 231
Balneaturi, neque horrere in balneo, neque imbecillum viſcus habere neque cruditatibus abundare debent. 247
Balneis calidis gallica lue correptos poſſe ſanari, nonnullis ſuaſum. 249
Balnea, quibus Ægyptii ad hecticos uti ſolent. 325
Balneorum ex lacte paratorum uſum divites Ægyptios ſequi. 325
Balſami, authorem plantam viventem Venetiis habuiſſe, ex qua opobalſamum verum diſtilaſſe multi obſervarunt. 298
—— fructus Ægyptios habere recentiſſimos, quibus ad componendam theriacam utuntur. 302
Ban quid, atque ejus uſus. 254
Barbaricorum corporum temperies habituſque qualis. 66
Barbarorum corpora quamobrem excellentiſſimis putrefactionibus ſint obnoxia. 68
Barbaros urere lineis petiis accenſis. 216
Baſſandum. 177
Berberorum uſus pro alvi ſubductione. 253
Berberis fructibus ad medicamenta Ægyptios uti frequentiſſime. 253
—— fructuum uſus ad quæ. 253
—— fructuum uſum in febribus & peſtilentibus Ægyptios ſectari. 253
Berberorum vis adverſus putredinem. 323
Bernavi electuarium. 262
—— operationes. 262
—— aſſumentes, quæ deliramenta prodant. 262
Bers electuarii compoſitio, & vires. 263
—— electuarii uſus. 263
—— electuarium. 311
Beſſa vocari perfectum. 5
—— Achimbaſſim creare, non medicum excellentiorem, ſed etiam medicinæ ignarum, ſi modo plures aureos numos ei perſolverit. 5
Betæ ſuccus, ad curandas febres intermittentes. 316
Bon ſeminis uſus apud Ægyptios. 254
—— arbor. 264
Boream putredini obſiſtere. 65
Borea ſpirante omnia quam dituiſſime imputria durare. 65
Boſa quid, & ipſius compoſitio & facultas. 262

## C.

Cadi eſſe Mahometis legis doctores. 3
—— ſuos judices præfectus creat. 3
—— non tantum religionis legibus præeſſe, ſed lites in jure civili, ac pontificio judicare. 3
Calaf quid, atque ejus uſus. 254
Calamo aromatico vero Ægyptii utuntur. 297
Calamum aromaticum non eſſe radicem, ſed cannam, vel calamum. 297
Calami aromatici notæ ex Dioſcoride. 297
—— aromatici multam copiam ab Ægyptiis haberi poſſe. 298
Calculis Ægyptiorum multi cur vexantur. 58
Calidiſſimas regiones habitantibus difficillimas eſſe purgationes. 279
Caliditatem vel per ſe ſolam eſſe Ægyptiorum morborum cauſam, vel ſaltem cum

cum aliis cauſis ipſam concurrere, Ægyptii medici autumant. 6
Calida corpora ab uſu ciborum refrigerantium, dulcium balneorum atque ab immodica venere frigida evadere. 8
Calor vehementiſſimus aëris ambientis remediis quibus contemperetur omnino vacat. 91
Calorem ſtomachi ab ambientis caliditate reſolvi. 238
Campſim vocatos ventos facere cerebri inflammationes exitioſiſſimas. 55
Campſinis ventis ſpirantibus advenæ ac plures incolarum ad ſubterranea loca confiugiunt, in quibus morantur, quouſque ille ventorum ardor ceſſaverit. 23
Campſini venti ſi diu perſeverarent, nemo ibi vivere poſſet. 23
Campſin cur ventos Euros, Auſtroſque Ægyptii vocaverint. 23
—— vocatos fuiſſe Euros, Auſtroſque ventos. a Campſi vocato Alexandri Magni, multarum copiarum duce ab his ventis cum omnibus copiis ſuffocato. 24
Canella in quo à Cinnamomo differat. 303
Canellæ ſapor dulcis & acris. 304
Canella in longo itinere odore, & ſapore non deficit. 305
Cannabis foliorum uſum eſſe apud Ægyptios. 261
—— per excellentiam herba ab Ægyptiis cur vocata. 261
Cantaridum uſus in potu apud quoſdam Ægyptios, ut venenum vel per ſudorem, vel urinam evacuent. 324
Capitis dolori intra nares ſcarificatio convenit. 168
—— partes Ægyptios urere. 211
—— quas partes Ægyptii urant. 211
—— partes ad quos morbos uri debeant. 211
Cardamomum. 306
Carnes, aceto, atque ſale jam diu imputres ſervati. 66
—— quibus Ægyptii veſcuntur. 33
Carnium uſus apud Ægyptios eſt temperatiſſimus. 33
Carnes arietum caſtratorum Ægyptiis eſſe multùm familiares. 33
Carnibus multis, qui in victu utuntur, brevius vivunt. 39
Carnis atque vini immoderatum uſum hominibus brevioris vitæ eſſe cauſam. 39
Carnium optimarum uſum augere calorem naturalem. 39
Carpobalſamum habent Ægyptii ex Arabia recentiſſimum. 302
Caſeus Gibnehalon. 56
Caſſabel derira quid. 297
—— derira Ægyptiorum eſt verus calamus aromaticus. 298
Caſſiæ Ægyptiæ uſus. 321
—— fructuum cognitio & utilitas 973
—— differentiæ. 273
Caſſiam Damiatinam omnium minime utilem. 273
Caſſia Abiſſina ceteris præfertur. 273
Caſſiæ Abiſſinæ uſus. 273
—— Abiſſinæ uſum ad acres diſtillationes ex capite in pulmones eſſe apud Ægyptios frequentiſſimum. 273
—— florum uſus 254
Caſſiam eſſe alterius arboris corticem, minimeque canellæ. 304
Caſſiam plane à cinnamomo & canella differre. 303
Caſſiæ ſapor amarus. 304
Catapocia quibus ad pſydracia, & alopeciam Gal. utebatur. 280
—— ex aloë appellata apud Gal. quæ. 280
—— διὰ κολοκυνθίδος. 280
—— ad quartanas febres. 320
Catapociis ex aloë, ſcamonio, colocynthide paratis utebatur Gal. 280
—— ex aloë, colocynthide, ſcammonio, agarico, bedellio, gummi Arabico paratis ad diſtillationem ex capite in pulmones ſalſuginoſam Gal. utebatur. 280

Cauſæ, quæ aërem in æſtate refrigerant. 25
—— pinguedinis. 232
Cauſticorum medicamentorum facultas. 213
Cauſticum quid. 214
Cayrus Ægypti metropolis. 18
—— olim Babylon, vel Babulis 18
Cayri civitas quantum diſtet ab Æquinoctio. 18
—— diei major longitudo. 18
—— diei brevitas. 18
—— ſitus. 18
—— civitas ventis Septentrionalibus expoſita. 18
—— civitatis aër à Sepsentrionalibus, atque Meridionalibus ventis maxime alteratur, ab Orientalibus, Occidentalibuſque parum. 18
—— civitas eſt prope tropicum Cancri. 18
—— civitas altiſſimis eſt fabricata ædibus. 19
—— locus in quo Ægyptii theriacam componunt. 288
—— multos tum viros, tum mulieres reperiri, qui medicinam profitentur. 5
Cayri nullos reperiri qui medicinam ratione faciunt. 2
Cayrini toto anno oculorum lippitudinibus moleſtantur, ſed præſertim in prima æſtate. 52
Cayri habitatores eſſe plurimarum nationum. 31
Cedemata curari ſcarificatis venis quæ intra aures ſunt. 127
Celſus in hydrope ſupra talum incidi docuit. 219
Ceraſtis quid. 295
Ceraſtis ſerpentis ex Aëtio deſciptio. 295
Cerebri inflammationes lethaliſſimas in prima æſtatis parte fieri 55
Chaova decoctum. 264
—— decoctum quomodo paratur. 264
—— decocti ex ſemine Bon parati uſus apud Ægyptios. 254
—— decoctum ad evocandos menſes multum mulieribus conducere. 254
Chaovæ decocti uſus ad menſes ciendos. 254
—— decocti facultas. 264
Chaova ſuppreſſos menſes revocari. 264
Chamedrios vis ad curandas febres. 316
Cherſe cannellam communem Ægyptii intelligunt. 299
Cheſt, eſt coſtus Arabicus, quo noſtri etiam utuntur. 299
Chia mulier a dyſenteria ſanguinis miſſione ſanata. 117
Chinæ radicis uſus in Ægypto. 253
—— radicibus ad quos morbos Ægyptii utuntur. 253
—— decocto emaciata corpora pinguefieri. 253
—— decoctum faciem pulchram reddit. 253
—— decoctum pro pinguefaciendo quomodo ab Ægyptiis mulieribus paretur. 253
—— radicis decocti uſus in febribus peſtilentibus apud Ægyptios. 322
—— radicis uſus ad pinguefaciendum. 236
—— radicis decocto multas emaciatas mulieris pingues evaſiſſe. 236
Chirurgos Ægyptios partes venis minimis refertas, ſcarificare. 127
Chirurgi Ægyptii in ſcindendis venis longe noſtris dexteriores obſervantur. 127
Cibi optimi ſupra modum aſſumpti morbos frigidos generant. 41
Cibus immoderatus & potus calorem naturalem ſæpe ſuffocat. 40
Cibum non eſſe omnibus concedendum priuſquam ſanguis mittatur. 120
Cibi Ægyptiis familiares. 33
Cibus pauperibus Ægyptiis familiaris. 34
Cicatrices in multis partibus corporis, Ægyptiorum frequentis inuſtionis uſus eſſe indicium. 209
Cineſiam Evagoræ filium corpore inuſto in concionem prodiiſſe. 214

Cinna-

Cinnamomum quid. 303
—— eſſe ſurculorum vel ramulorum tenuiſſimorum arboris cannellæ cortices, & cannellam craſſiorum. 303
—— in quo à cannella differat. 299
—— eſſe ramulos tenuiores, qui cito, tum ſopore, tum odore exolvuntur. 299
Cinnamoma cur à mercatoribus in Ægyptum vel Syriam non convehantur. 304
Clyſteriorum uſum ab Ibi volunt prodiiſſe. 2
—— uſum Ægyptiis eſſe familiariſſimum. 11
—— aliquorum penes Ægyptios uſus. 312
Clyſteres ad Vigilias qui ab Ægyptiis parentur. 313
—— lavativi apud Ægyptios. 313
—— Ægyptiis mulieribus ad pinguefaciendum familiares. 234
—— Hyſtericarum mulierum. 314
—— ad uteri frigidas affectiones. 314
Clyſteres ad cohibendam alvum. 314
—— ad fluxum ſanguinis. 314
—— ex Acatiæ ſiliquis immatutis parati facultas. 314
Clyſteres ad febres putridas ab Ægyptiis uſitati. 316
—— qui refrigerent & tenues ſuccos ſubducant. 316
Colis meatus quantum dilatari queat. 224
Collum, ac mentum, ad quæ ſcarificent. 129
Contagium à vehementi aëris caliditate conſumi. 77
Contenta urinarum craſſa quid ſignificent. 159
Comam inuſtione tolli. 211
Compoſita medicamenta, quæ ab Ægyptiis parantur. 287
Compoſitum ex opobalſamo & aliis ad peſtem utile. 323
Coriandrum viride, id eſt, folia Ægyptios innoxie comedere: eſſe ejus uſum apud ipſos in ferculis quam familiariſſimum. 252
Cornelium Celſum uſum Ægyptiarum cucurbitularum noviſſe. 144
Cornelius Celſus ait ad mittendum ſanguinem non ætatem, ſed vires conſiderandas fore. 106
—— Celſus uſum cucurbitularum in febribus quovis tempore utiliſſimum cenſuit. 142
Cornelium Celſum uſtionem in coxendico dolore laudaſſe. 215
Cor atque hepar calidum & humidum univerſum corpus tale efficere. 84
Cordis atque hepatis à totius inſpectione temperiem cognoſci. 57
Corpora unico tantum temperamento prædita nuſquam reperiuntur. 84
—— ubique multa reperiri variis conflata temperamentis. 84
—— ſtatim enixa ab aëris temperamento multum alterari. 90
Corpus temperptam naturam obtinebit, quoties cor & hepar æque appoſita temperamenta habebunt. 86
Corpora à quibus neceſſario alterantur, & à quibus non neceſſario. 38
—— quo humidiora, eo craſſiora eſſe. 232
—— crapulis pinguefieri. 232
—— facile qingueſcentia, & quæ difficilius. 232
—— latioribus venis prædita difficilius pinguefieri. 232
—— frigido temperamento, facilius pinguefieri. 232
—— omnia à variis diverſorum anni temporum aëris conſtitutionibus alterari ac mutari. 90
Corpus authoris ex immodico hepatis calore gracil'imum effectum, largiori potu aquæ Nili fluminis, cornoſum & pingue evaſiſſe. 8
Corpora in aëre valde calido, continuo, æquali, difflantur, aperiuntur, evacuantur, atque ſiccantur. 72
—— ſanguinea, quod aliis temperatiora ſint, facilius putreſcunt 61

—— extenuata dulcibus balneis à cibo juvari. 231
—— balneis quæ apta, & quæ ab his ſint arcenda. 247
Corporum Ægyptiorum habitus & temperamentum. 32
Corpora venerem immoderatam refrigerare. 8
—— cur in Ægypto valde craſſa & pinguia reperiantur. 8
—— pleraque Ægyptiorum frigidiorem ventriculum habere. 8
—— gracillima ex calore effecta in Ægypto craſſeſcere, ac impingueſcere. 8
—— gracilia ex calore effecta uſu largioris aquæ fluminis Nili pinguefieri. 8
—— Ægyptiorum non eſſe cacochyma, ſive mali ſucci. 82
Corporum Ægyptiorum temperiem terminatam cognoſci non poſſe. 31
—— Ægyptiorum temperamenta. 8
Corpora cur habeant Ægyptiorum multi pituitoſa. 8
—— Ægyptiorum eruditatibus ſæpe moleſtari. 8
—— Arabum urbanis ſunt graciliora, & calidiora. 32
—— ruſticorum eſſe omnium gracillima, hirſuta, ſqualida, ac fere combuſta à Sole. 32
—— Ægyptiorum pleraque illuvie, ac pediculis abundant 230
—— Ægyptiorum ſudoribus abundare. 230
—— Ægyptii putant omnia ab uſu aquæ Nili fluminis, verti in ſanguinem, ſive ſanguinem generare quiſque putat, plurimo ſanguine ſemper abundare. 82
—— quomodo in prima æſtae ſe habeant. 23
—— in prima æſtate eſſe languidiſſima, & abhorrere cibum. 23
—— ab aëre ſecundæ æſtatis ſumme calido æquali cum Eteſiis, ſiccari, tum per ſenſibilem tranſpirationem, tum aſſiduis ſudoribus, atque diſſlari. 77
—— Ægyptiorum pleraque multo ſanguine abundare verum eſſe. 82
—— Ægyptiorum pleraque, aut ſanguineo, aut pituitoſo temperamento ſpectari. 32
—— Ægyptiorum pleraque pinguia cur ibi fiant. 230
—— in Ægypto uſu dulcium balneorum maxime refrigerari. 32
—— Ægyptorum quo ad varias partes inuſta in Ægypto multa ſpectantur. 209
—— frigida, & humida, qualia ſunt mulierum multarum, eunuchorum, & ſenum multam evacuationem non admittunt. 202
—— non ab omni ſanguinis miſſione debilitari. 118
Corporum largam ſanguinis vacuationem ferentium notæ. 110
Corpori laxo, molli, pingui, albo, gracilibus venis non eſſe aut mittendum ſanguinem, aut parum. 110
Corpora cucurbitulis vacuanda prius per horam in balneo morari debere. 156
—— habitu pingui ac carnoſo difficilius quam gracilia purgari. 239
—— frigidi temperamenti, habitus denſi, duri, difficilius purgari. 279
—— puerorum cur evacuationi inepta ſint. 238
—— puerorum habent ex ſeipſis unde vacuentur. 99
—— mollia, humida, & calida ex quacunque evacuatione reſolvuntur. 202
—— ſub calido cœlo degentia continuis vacuationibus eſſe ſubjecta. 238
—— imbecilla, rara. mollia, pinguia valide purgantia non recte ferunt. 278
—— ex quacunque cauſa reſolubilia, ſi purgari debeant, uti debent leniter purgantibus, atque à prævalide purgantibus abſtinere. 279
Corporibus omnibus non eadem purgantia convenire. 279
Corpora robuſta valida expoſcere medicamenta purgantia. 279
—— imbecilla, leniter purgantibus eſſe tractanda. 279

—— tem-

—— temperata valide purgantibus non purganda. 280
—— cacochyma quibus purgantibus purganda. 280
—— aliquando etiam ad animi deliquium purganda. 282
—— non debere purgari ad animi uſque defectum. 283
Coſtum Syriacum tantum odore caput ferire. 300
Coſtus verus qui. 300
Coxendicum dolorem Ægyptii curant multis inuſtionibus. 210
Coxendicus dolor quo pacto inuſtione ab Ægyptiis curetur. 210
Crapulas & ebrietates eſſe cauſas ex quibus homines, vel pauco tempore vivant, vel miſerrimam à quamplurimis morbis afflicti, vitam ducant. 42
Crapulis indulgentes difficulter purgantur. 279
Criticas omnes vacuationes bonas eſſe. 102
Cruris quænam partes. 204
Crus dividitur in tres partes, & exemplum pictum. 206
Crurum ſcarificationes, quomodo Ægyptii exerceant. 195
Crurum ſcarificandi ordo. 182. & diſcrimen inter eam, ac cucurbitulas. 182
—— ſcarificationem non eam eſſe, quam noſtri applicatis cucurbitulis frequentant. 181
Cruribus ſcarificatis ſanguis copioſus, non ſecus quam à venæ ſectione egreditur. 182
Crurum ſcarificatio quibus conducat, & quo pacto. 172
—— ſcarificationis uſus in quibus morbis apud Ægyptios frequentatur, & in quibus corporibus. 199, 201
—— ſcarificatione pro ſecreto curant Ægyptii febres peſtilentes. 320
—— venas, quæ ſcarificantur, dorſi venis grandiores eſſe. 148
Cucurbitularum utilitas. 142
Cucurbitulas, dolores ſolvere, & inflammationes minuere, atque flatus diſcutere. 142
Cucurbitularum utilitas omnes ex Oribaſio. 142
Cucurbitulis præſtitam ſanguinis vacuationem minorem quam per venam ſectam, facere ſpirituum reſolutionem. 110
Cucurbitulæ ſunt auxilia partis, minimeque totius. 158
Cucurbitularum uſus damnatur a Gal. ante totius evacuationem. 174
—— operatio ex variis ſcarificationibus. 150
Cucurbitulæ non ſunt utendæ, niſi prius totum corpus vacuatum fuerit. 144
—— impetu foras humorem in alto latentem evocant. 181
—— ſanguinem ſubtiliorem. puriorem, & tenuiorem evacuant, minime craſſum. 159
Cucurbitulis non evacuatur magna ſanguinis copia. 182
Cucurbitulas non eſſe vicarias venæ ſectionis. 193
Cucurbitulæ nec ſanguinem attenuant, nec cutim relaxant. 190
Cucvrbitulas etiam craſſum ſanguinem educere poſſe præcedentibus frictionibus, & calidis fomentis ſanguinem attenuantibus. 155
—— non poſſe educere ſanguinem craſſiorem, etſi frictionibus, vel balneis ſanguinis attenuetur. 156
Cucurbitulis ſanguinem tenuiorem vacuari, minimeque craſſum. 149
Cucurbitulas plus ſanguinem tenuiores, quam craſſi vacuare, Avicenna docuit. 149
—— corporibus craſſiori ſanguine præditis non convenire. 149
Cucurbitulas cutaneum tantum ſanguinem educere. 149
—— obſtructiones concitare. 149
Cucurbitulæ in quibus obſtructiones concitare poſſint. 156
Cucurbitulas, ſanguinem tenuiorem educere, obſtructiones concitare, ſcarificatam autem labefactare, refrigerare, den-

denſare, atque obſtruere. 150
Cucurbitulæ ſanguinem vacuantes quo pacto obſtruent. 150
—— ſanguine multo non abundanti, neque craſſo, pro moderata ſanguinis vacuatione interdum ſunt applicandæ, ſed præſertim cruribus. 159
Cucurbitularum uſum ſæpe lethalem in febricitantibus pulſus intermiſſionem conſecutam. 159
Cucurbitulæ obſtruunt ad internas corporis partes etiam trahentes. 158
Cucurbitulas à centro ad circumferentiam trahere, atque à circumferentia ad centrum. 151
Cucurbitulæ quo pacto trahant à circumferentia ad centrum. 151
Cucurbitulas purgatis prius corporibus utiles.. 152
Cucurbitulas in plethoricis corporibus non eſſe exercendas Gal. prodidit. 152
Cucurbitulæ quo tempote in parte inflammata ſint utendæ. 153
Cucurbitularum uſum in febribus peſtilentibus à Joan. Baptiſta Montano damnari. 153
—— incommoda in febribus peſtilentibus. 153
Cucurbitulas cruribus cum ſcarificatione applicatas eſſe proximas venæ ſectioni ſtatuit Avicenna. 154
Cucurbitula maximæ eſt utilitatis ad avellendos venenoſos humores à membris præcipiius, & ad adjuvendas omnes naturæ excretiones, ſive ſymptomaticas, ſive criticas. 165
Cucurbitulas atque crurum ſcarificationem idem eſſe, multi arbitrantur. 158
Cucurbitulæ an ſint utendæ in plethoricis corporibus. 158
Cucurbitulis non tolli plenitudinem, ſed venæ ſectione, aut malleolorum ſcarificatione. 158
Cucurbitulæ ſive cum ſcarificatione, ſive ſine, non ſunt admovendæ, niſi evacuato toto corpore. 158
—— ſtatim ad partem cui affixæ, attrahunt & crudum & coctum humorem. 162
Cucurbitulas aliquando eſſe auxilio febribus peſtilentibus. 162
—— Ægyptii quibus partibus admoveant, & quibus non. 144
—— ſine ſcarificatione Ægyptios non uti. 142
—— pro partis evacuatione, Ægyptios uti. 142
—— Ægyptios totius corporis vacuationem non præſtare: 142
—— non utuatur Ægyptii, niſi prius totum corpus vacuarint. 142
—— cum ſcarificatione nunquam Ægyptios uti pro univerſali molienda corporis evacuatione. 126
—— cum ſcarificatione Ægyptios uti pro alicujus partis vacuatione. 126
Cucurbitulas quibus partibus Ægyptii admoveant. 126
Cucurbitulis ſæpe occipiti affixis Ægyptii utuntur, atque collo. 126
Cucurbitulæ Ægyptiorum à noſtris plane differentes exiſtunt. 126
Cucurbitularum uſum diverſo modo, quo Itali faciant, Ægyptios exercere. 126
Cucurbitulas Ægypii non igne, vel aqua calida admovent, ſed ſpiritus attractione cuti affigunt. 126
Cucurbitulis cur tolli non poſſe plenitudinem Ægyptii putent. 147
—— fieri particularem evacuationem. 148
—— non uti Ægyptios in principiis morborum, niſi totum corpus in primis fuerit vacuatum. 147
Cucurbitularum uſum pro ſanguinis vacuatione facienda Ægyptios non cognoſcere.
Cucurbitulas, neque in dorſo, neque in lumbis, neque in natibus, neque in cruribus, neque in aliis partibus (occipite, collo, & averſa capitis parte exceptis; quibus tantum utuntur cucurbitulis) Ægyptios exercere. 144
Cucurbitulis non uti Ægyptios ad juvanda exanthemata. 144

Cu-

Cucurbitulas, Ægyptiis in febribus peſtilentibus cum puncticulis, neque in variolis, neque in morbillis, utendas non placet. 144
Cucurbitulis, niſi probe vacuato corpore, Ægyptii uti non ſolent. 147
—— Ægyptios quantum volunt ſanguinis vacuare. 142
Cucurbitularum duo genera Ægyptios in uſum habere. 139
Cucurbitulis corneis, atque vitreis uti Ægyptios. 139
Cucurbitulas ſpiritus attractione Ægyptios admovere, atque ſanguinem extrahere. 139
Cucurbitulis igne vel aqua admotis non utuntur Ægyptii. 139
Cucurbitulas corneas quomodo Ægyptii parent. 139
Cucurbitularum cornearum deſcriptio. 139
Cucurbitulas corneas quomodo Ægyptii cuti admoveant. 140
Cucurbitulis corneis cur Ægyptii utantur. 140
Cucurbitulas quomodo Ægyptii exerceant. 142
Cucurbitularum in occipite uſus frequentiſſimus apud Ægyptios. 142
Cucurbitulas quibus partibus admovere Ægyptii conſueſcant. 143
Cucurbitulæ dorſi partibus admotæ in venas proximas cordi trahunt noxios ſuccos, & evacuato ſanguine, cutem refrigerant, denſant, ac ejus meatus obſtruunt. 161
Cucurbitulæ in febribus peſtelentibus, quo loco affigendæ evacuationis gratia. 164
Cucurbitula foras ad trahendum venenum ceteris auxiliis præſtat. 164
Cucurbitulas in plethoricis corporibus dorſo appoſitas ex toto corpore in viſcera trahere. 157
Cucurbitulam appoſitam occipiti lippientes juvare. 146
Cucurbitulæ prope aurem appoſitæ meminit Hippocrates. 143
—— in coxendice uſus. 146
—— in mammis apponendæ utilitas. 146
—— uſus ad firmandum ſanguinis profluvium. 146
—— ad dolorem ventris. 146
Cucurbitula ad lapides renum. 146
Cucurbitularum ſiccarum uſum Ægyptii ignorant. 146
Cucurbitulis ſolis plena corpora vacuari poſſe Ægyptii negant. 146
Cucurbitularum occipiti affixarum uſum antiquis fuiſſe cognitum. 145
Cucurbitulas cum ſcarificatione collo ac mento affixas, gutturis maximas inflammationes plurimum juvare. 129
—— occipiti affixas juvare capitis gravitates, dolores, inſlammationes, ophtalmias atque alios omnes ex plenitudine in capite obortos morbos. 143
Cucurbitulæ in interna alicujus viſceris inflammatione dorſi partibus applicatæ ſumme ſunt pernicioſæ, nec febribus conveniunt. 159
Cucurbitulas partibus imflammatione tentatis Gal. admovendas probat. 208
—— Ægyptios nunquam dorſo, lumbis vel cruribus admovere. 112
—— cum ſcarificatione collo, & occipiti appoſitas gutturis inflammationes juvare. 143
Cucurbitula in pulmonis inflammatione pectori admovenda. 163
Culcaſſiæ radicum uſum in cibo Ægyptiis eſſe familiariſſimum. 252
Curatio febrium peſtilentium quomodo à quibuſdam moliatur. 320
—— febrium intermittentium, quibuſdam ſecretis auxiliis. 316
Cur literarum ac ſcientiarum cultores in Ægypto defecerint. 13
Cute ſcarificata Ægyptios familiariſſime, in pueris, mulieribus, eunuchis, mittere ſanguinem. 126
Cutis ſcarificata quo pacto à cucurbitulis refrigeretur, & ſtipetur. 156

Dar-

## D.

Darſini eſt optima cannella, ſive cinnamomum. 299
Darſiſahan eſt aſpalathus, & ejus ſubſtitutum. 297
Daucum ex Creta Ægyptii habent. 306
Decoctum, quo ad vomendum Ægyptii utuntur. 239
Decoctum ad febres pituitoſas ab Ægyptiis uſitatum. 319
Dei ſumma providentia fit, ut loca calidiſſima aliquid habeant, quo refrigerentur, & frigidiſſima, quo calfiant. 19
Dejectiones bonæ quomodo cognoſcendæ. 282
Dembalaſſam, opobalſamum. 302
Dentes corruptos Ægyptii inurunt. 211
Democriti Abderitæ opinio de Nili fluminis augmento. 28
De ſcarificatione diverſarum partium, quæ in inflamatione, tumore, puſtula, colore præternaturali, vel inſigni dolore torquentur, apud Ægyptios celebrata. 207
De ſcarificationibus aurium, narium, labiorum, gingivarum, quas Ægyptii pro evacuatione frequentant. 168
Diamuſch electuarium. 263
Diameſch electuarii compoſitio, & facultas. 312
Diodori Siculi de Nili fluminis augmento, opinio. 28
Doctores Mahometis legum, Cadi vocari. 3
Dolores articulorum morbum eſſe Ægyptiis familiarem. 8
—— articulares cur multos Ægyptiorum continue invadant. 8
—— capitis, atque inflammationes quomodo ſanguinis vacuatione Ægyptii curent. 142
—— capitis incipientes curat cucurbita occipiti appoſita vel cum ſcarificatione, vel ſine. 129
—— capitis inveteratos ex plenitudine & gravitate, tolli vena frontis tuſa. 129
Dolorem ſanguinis vacuatione mitigari. 114
Dolores capitis curari ſecta vena frontis. 129
—— graves, & immanes ſcarificatio lenit, & mitigat 207
—— antiquos inuſtione tolli. 210
Dolorem articulorum uſtione tolli. 210
Dominicum à Rege in inſulæ Cretæ loco phraſchia appellato multas veri aſpalathi radices excerpſiſſe. 296
Dominicus à Rege aſthmaticus, quomodo pectoris uſtionem, ut ſanaretur, præſtiterit. 211
Donatus Antonius ab Altomare de mittendo ſanguine in dyſenteria. 117
Dyſenteria quid ſit. 115
Dyſentericos curantes, ſi neglecto jecinore, ulceribus tantum medeantur, ægrotos præcipitare. 119
Dyſenteria quæ ſanguinis vacuationem expoſcat & quæ non. 114
Dyſenteriam à cacochymia ſanguinis miſſione non indigere. 114
—— optimos medicos ſanguinis miſſione curare. 114
—— cum qua magna fuerit humorum copia, aut ſanguinis impetus valde urgeat, vel maxima inflammatio, aut dolor vehemens obſervetur, vel iecur male affectum fuerit, ſanguinis miſſione eſſe curandum. 115
—— curantes medicos recte ſe gerere, ſi incipiant à ſanguinis miſſione, tanquam à cauſarum ablatione. 115
Dyſenteriæ empirica curatio apud Ægyptios uſitata. 226
Dyſentericos fluxus quomodo aliqui curent. 226

## E.

Ebriæ cujuſdam Ægyptiæ deliramentorum obſervatio. 262
Effectus communes à communibus cauſis fiunt. 38

Elche-

Elchelimbat quid. 305
Electuarii Tarachelacrap compoſitio. 310
—— elphiloſopha vocari alia compoſitio. 310
Electuarium phylonium Perſicum ab Avicenna vocatum, atque ejus compoſitio. 311
Electuarii diameſch apud Ægyptios compoſitio. 312
—— Bers dicti, compoſitio, & vires. 311
Electuarium, quo ſebres intermittentes ſanantur. 317
—— ad peſtem probatum. 322
—— aliud, quo utuntur Ægyptii, ne à peſte inficiantur. 322
—— aliud ad idem. 322
Elephantiaſis Arabum quid. 56
—— cauſæ. 56
Elephantes qnamplures homines Cayri ſemper exiſtunt. 56
Elleborum album olim apud Hippocratem in uſu fuiſſe. 280
Elleboro nigro ad purgandum Hippocratem uſum fuiſſe, & peplio. 280
Elleborum album eſſe purgans prævalidiſſimum. 280
—— nigrum ad quartanam febrem eſſe utile. 280
Empii, qui ex pleuritide, ac peripneumonia evadant. 221
Empiis pus ſenſim, ac ſenſim educendum. 217
Empii, inuſtione ſanantur. 217
Empios tutius inuſtione, quam ſectione curari. 222
Ephori opinio de Nili fluminis incremento. 27
Epithemata, quibus Ægyptii febres ardentes & ſynochas curent. 316
Epithemata ad febres intermittentes. 317
Epilepticos quomodo Ægyptii inuſtione curant. 211
Eteſiæ quando ſpirare incipiant. 74
Eteſias in æſtate ſpirantes multa mala prohibere. 75
Eteſiæ quando in Ægypto ſpirent. 72
Eteſias in Ægypto eſſe ventos Septentrionales, Junio menſe ſpirare incipientes. 74
—— non fieri à liquatis nivibus in montibus Septentrionalibus à calore Solis, à Cancri ſolſtitio revertentis. 74
Eteſiarum generationis in Ægypto celeriori tempore præſtitæ, vera ratio. 75
Eteſias conſtanter toto Junio menſe, Julio, Auguſtoque placidiſſime ſpirare. 75
Eteſiæ in quo differant à prodromis vocatis ventis. 75
Peſtis Junio menſe à qua cauſa perpetuo finiatur. 75
Eteſias quotidie in ſecunda æſtate plurimas urbes nigras in altiſſimos Lybiæ, atque Æthiopiæ montes propellere. 28
Eudolemum coxendico morbo vexatum ex multis inuſtionibus interiiſſe. 217
Euripidis de Nili fluminis augmento opinio. 27
Eurorum, atque Auſtralium Ventorum ſtatum aëris eſſe morboſum. 75
Europæi propter crapulas, & vinorum ebrietates brevem vitam ducunt. 39
Exanthemata humoris conjuncti ſunt notæ. 161
Exanthematum eruptiones ſunt vitandæ, & quæ rationes id ſuadeant. 161
Excretiones bonæ. 103
Exempla aliquorum, qui ab uſis cucurbitulis in pulſum intermittentem atque in febrem continuam inciderunt. 160
Extenuata corpora à cibo dulcibus balneis juvari. 231

F.

Faſciculo ex goſſypio & linea petia parato Ægyptii ad inurendum utuntur. 210
Febres à putredine bilioſorum, exuſtorumque humorum ſæviſſima habere ſyptomata. 69
Febribus putridis ſcarificatio præſentaneum auxilium, Capitis paſſiones, & offen-

offenſas arcet, & curat. 199
Febricitantes quomodo balneis dulcibus uti debeant. 248
Febribus intermittentibus correpti quomodo balneis utantur. 248
—— putridis non conducunt cucurbitulæ ſcarificatæ cute. 158
—— malignis ſcarificationes crurum evacuant, & venenum ad ignobiles partes attrahunt. 194
—— omnibus acutis nares ſcarificatæ opem ferunt. 168
Febrium, quæ pituitoſarum ad naturam magis accedunt, curatio. 319
—— peſtilentium curatio peculiaris 320
Febribus peſtilentibus cucurbitulæ opem ferunt. 162
Febrium intermittentium curatio quibuſdam ſecretis auxiliis 318
Febri quartanæ helleborum album conducere. 280
Febres peſtilentes, quæ Alexandriæ vagantur, quibus ſignis manifeſtantur. 51
Febrium peſtilentium, quæ fiunt Alexandriæ, ſymptomata 51
—— peſtilentium Alexandriæ vagantium cauſæ. 51
—— peſtilentium cauſas Alexandrini putant, eſſe ventos à lacu Mareoti ſpirantes. 52
—— peſtilentium cauſas nonnulli Alexandrinorum putant, eſſe putridos halitus à ſubterraneis locis civitates exeuntes. 52
—— peſtilentium, Alexandriæ incolarum non pauci, aquam tunc temporis ex defectu aquæ Nili, paluſtrem, ac corruptam, quam bibunt, cauſam eſſe putant. 52
Febres multas peſtilentes lethaliſſimas Alexandriæ autumno graſſari. 52
—— rariſſimas Cayri à calidis tenuibuſque humoribus ortas obſervari. 8
—— putridas plerumque ab humoribus craſſis frigidis oriri. 8
Febrium ſynocharum atque ardentium quibuſdam ſecretis auxiliis curatio apud Ægyptios uſitata. 315
Febres curari ab Ægyptiis quibuſdam linitionibus more antiquorum. 318
—— quartanas quibus remediis curent Ægyptii. 319
Febrium hecticarum curatio apud Ægyptios frequentata. 320
Fellis vaccini ad pinguefaciendum uſus. 134
Fernelius ſanguinis miſſionem in pueris non abhorruit. 107
Ficus Sicomori quales. 252
Figuræ, quanto facilius in humida materia recipiuntur, tanto minus durant. 69
—— quanto in materia ſicciore, difficilius imprimuntur, tanto difficilius delentur, atque corrumpuntur. 69
Filios multos parentibus diſſimiles ſpectari. 87
Fiſtulæ, quas faciunt Ægyptii pro refrigerando aëre. 19
Fiſtularum, per quas ædium aër refrigeratur, deſcriptio. 19
Fiſtulæ Ægyptiarum ædium ventum Septentrionalem excipiunt, atque ad terrena ædium loca demittunt. 19
Flammam parvam multo oleo ſuffocari. 41
Fluxus quæ valenter firment. 314
Fœcunditas terræ Ægypti miraculo acceſſiſſe videtur. 26
Fœcunditatem Ægypti à Nilo flumine fieri. 26
Franciſcus Valeſius de aurium ſcarificatione. 169
—— Fererius Gallus. 298
Franciſcum Rigonum per ſectam magni anguli oculi venam plurimo ſanguine vacuato à difficili ac magna oculorum lippitudine ſanatum. 131
Frictiones Ægyptios frequentare. 240
Frictionum uſum in balneis omnibus Ægyptiis eſſe familiariſſimum. 251
Frictiones quomodo exerceant. 242
Fricandi apud Ægyptios uſitatus modus. 241

—— exercitatio, quam Ægyptii præſtant. 241
Frictionum differentiæ. 242
Fricandi prima differentia. 242
—— ſecunda differentia. 242
—— tertia differentia. 242
Frictionis primæ differentiæ utilitas. 243
Frictio conferens emaciatis corporibus, ut carnem accipiant. 244
Frictionum omnium differentiarum utilitas. 242, 243
Frictiones tenuibus humoribus, & calidis convenire, nequaquam vero frigidis, & craſſis exuperantibus. 243
—— quibus concitari obſtructiones & febres poſſint. 243
Frictionibus plures Ægyptiorum cur lædi poſſint. 243
Frigiditas aëris multis remediis non eget, quibus emendetur. 91
Frigiditate obſtructiones foveri, humoreſque incrudeſcere. 7
Fructus Ægyptiis familiares. 33
—— quamobrem Ægyptus gignat inſipidos. 34
—— terebynthi pingueſacere. 233

G.

Galenus ait ſe nullum vidiſſe ex febre acuta laborantem mortuum, in quo recte ſanguis è naribus eruperit. 104
Gal. voluit, non annorum numerum, ſed habitum corporis ad mittendum ſanguinem eſſe ſpectandum. 109
Gal. dixiſſe, non eſſe mittendum ſanguinem in puero admodum parvo. 109
Galeno fuiſſe familiaria prævalide purgantia. 280
Gal. cuidam habenti linguam prætumidam catapocia ex aloë, ſcammonio, colocynthide parata dedit devoranda. 280
Galenum in quartana febre album helleborum commendare. 280
—— reprehendere Hippocratem qui dixit, ſcarificatis venis in aures, &c. 130
Gallinas Maluph ceteris pinguiores in Ægypto eſſe. 233
Gallinis aliquibus Ægyptias uti, ut pinguefiant. 233
Gallinas arte factas comedunt Ægyptiæ ad pinguefaciendum. 233
Geniti hominis ſimilitudo quæ ſequatur. 89
Generantis ſimilitudo in generato, quomodo ſit intelligenda. 89
Generatum generanti eſſe ſimile. 87
Genuenſes cur ſic uſui refrigerantium medicamentorum indulgeant. 17
Georgius Selaccus de uſu cucurbitularum. 165
—— Hemus Conſul in Ægypto. 296
Gion flumen. 26
Gingivas atque dentes ad quos morbos Ægyptii inurant. 211
Glacies in Ægypto nunquam vel rariſſime fit. 24
Goſſypium accenſum levem dolorem concitare. 213
Goſſypio ignito Ægyptii ad inurendas partes utuntur. 210
Goſſypium ad inurendas partes quomodo paretur. 210
Grando nunquam in Ægypto fit. 24
Gumma Arabica quid ſit, & an gumma communis ex Alexandria convecta ſit Arabica. 306
Gummata Acatiæ arboris multa, ac inter ſe varia, minimeque, ut dicebat Dioſcorides, alba & vermicularis. 306
Gutam roſaceam ſanari ſectis venis naſi. 128

H.

Habitus corporum Ægyptiorum qualis. 32
Habitum Cayri habitatorum eſſe moderate carnoſum, pinguem, aut valde pinguem.

guem. 32
Haly Abbas, non negat pueris quandoque acuto aliquo morbo vexatis venæ ſectionem conducere poſſe. 105
—— Abbas cognoviſſe inuſtionis uſum. 216
Hebrææ Ægyptiæ, quæ in balneis factitent, ut impingueſcant. 230
Hebræas Ægyptias præter ceteras ſtudium, ut impingueſcant adhibere. 230
Hecticorum curatio apud Ægyptios. 324
Hecticis ſorbitiones Maglub, & Maſtahaleb vocatæ commodæ. 324
Hedicroos paſtillos quomodo Ægyptii parent. 296
—— diverſo modo, quo Magnus, & Andromachus docuerunt. 296
Helenæ Ægyptiæ antimonio curatæ hiſtoria. 281
Herbam, quam Aſſis Ægyptii vocant, aſſumendi adagium unde venerit. 258
—— comedentes Ægyptios multa ſomniare. 258
—— comedere apud Ægyptios proverbio dici. 258
Herba canabis uti Ægyptios animi gratia optata ad viſendum. 258
Heremitas multos in Ægypti ſolitudinibus reperiri, Chriſto ſervientes, vitamque aſperrimam ducentes. 58
Heremitarum corpora qualia ſpectentur, & mores. 58
Hero docuit cucurbitulis poſſe homines uti ſpiritus attractione. 139
Herodotus de cucurbitulis. 141
Hermodactylos Ægyptios, ut pinguefiant, non ſecus quam caſtaneas, multos comedere, idque innoxie, & ſine ventris dejectione. 254
—— Ægyptios comedere, ut impingueſcant. 234
—— vulgares non ſolvere, neque movere alvum. 234
Hermodactylis falſis noſtros uti pharmacopolas. 234
Hermodactylos vulgares, non eſſe colchicum Dioſcoridis. 234
Hernias carnoſas multas victum ciborum craſſum, lentum, pituitoſumpue ſanguinem generantium, quo utuntur Ægyptii, facere. 56
Herniæ omnes ſpecies Cayri in multit obſervantua. 57
Hernias aquoſas tuto ſectione curari. 220
—— inuſtione curari. 218
Hepar plerique Ægyptiis eſſe calidum, & humidum temperatum, ex quo ii multo ſanguine abundant. 32
—— induratum, atque refrigeratum Ægyptii inurunt. 212
Hieronymus Cardanus male interpretatur, & declarat Galeni mentem de crurum ſcarificatione. 181
Hieronymi Fracaſtorii opinio de Nili augmento. 28
Hippocr. cur dixerit, ſub cane & ante canem moleſtas eſſe purgationes. 279
Hippocrates meminit capitis uſtiones. 214
Hippocratem uſum ſemper fuiſſe prævalidis purgantibus. 280
—— ad purgandum familiaria habuiſſe helleborum album & nigrum, & peplium. 280
Hippopotamus equus marinus. 2
Hippopotamum ſibi aliquando ſecare venam pro ſanguinis vacuatione. 2
Hippopotamus, quo medicamento, curet venam ſectam. 2
Hippopotamum ſanguinis miſſionem per venas ſectas docuiſſe aliquibus ſuaſum eſt. 2
Hirudinum uſum ad mittendum ſanguinem, Ægyptii ignorant. 126
Hirudinibus multi ſanguinem mittunt, & præſertim in pueris. 188
Hiſtriones, quæ in conviviis apud Ægyptios facere ſoleant. 262
Homo ſi ex uno conſtaret elemento, non doloret Hippocr. 82
Hominis agens proximum; atque remotum. 87
Homines frigidarum regionum cur paucis

annis

annis vivant. 42
—— calidarum regionum citius, quam frigidarum incolas mori. 40
—— in Ægypto ita pingues eſſe, qui mammas, longe maximis fœminarum mammis, majores habeant. 32
—— aliquod viſcus debile habentes à balneis arcendi ſunt. 247
—— cruditatibus exuperantes à balneo arcendi ſunt. 247
Hominem ſimul eodem tempore multiplicem vacuationem ferre poſſe, & ab ea juvari. 239
Horam Bei Turcæ Sangiaco lapides è veſica ſine inciſione extractos fuiſſe. 224
Horror quid balneantibus efficiat. 248
Humiditatem in ſanguine pinguem, levem, tenuem exiſtentem pinguedinem corporibus conciliare. 232
Humida tantum putreſcere. 65
Humores proprio calore deſtituto ab alieno facile putreſcere. 67
Humores proprio calore deſtituti nequeunt imputres manere. 64
Humorum acrimonia à quibus cauſis fiat. 115
Humores calidos, & tenues per cutim facile vacuari. 243
—— bilioſos, ac atram bilem, putreſcentes, ſyptomata vehementiſſima concitare. 69
Humorum craſſorum abundantiam urinæ ſignificantes. 159
Humores ſive craſſitie, ſive copia obſtruentes aliquo tempore neceſſario putreſcunt. 65
—— frigidos craſſoſque per cutim non evacuari, ſed per ſympepſim, id eſt, concoctionem. 243
Hydropi, & ſuppuratis præcipuum auxilium eſt ſcarrificatio. 167
Hydropicos ſectione ſanari. 218
Hydropem ſanari uſtione. 212
Hydrops qua inuſtione curetur. 217
Hydropicos tutius ſectione quam uſtione uti. 222
Hydropicis aqua ſenſim eſt educenda. 217
Hyems habet Novembrem, Decembrem. 21
Hypochondrio flatibus diſtento fere ægrotum ſuffocatum, admotis cum igne multis cucurbitulis, continuo fuiſſe, ſanatum. 314
Hiſpanos in pueris. ſanguinem mittere. 107
—— in pueris mittere ſanguinem ſcarificatis cruribus. 106
Hyſtericarum mulierum clyſteres. 314

## I.

Jacob. Contarenus Senator Venetus Clariſſimus opobalſamum verum ex planta vivente Venetiis diſtillaſſe obſervavit. 298
Ibim volucrem, uſum clyſteriorum oſtendiſſe. 2
Ibis quo pacto alvum ſibi exoneret. 2
Idan balaſſan xilobalſamum. 302
Iecori inflammato dexterum hypochondrium ſcarificandum. 207
In Ægypto olim medicinam primas habuiſſe radices. 2
In Ægypto bruta animalia medicinam exercere. 2
In balneis multi ſæpe ſudare, vomere vel fricari conſueſcunt. 237
In balneis quæ ex Galeno ſint obſervanda. 246
Imbres in montibus Æthiopiæ largiſſimos ſingulis annis in prima æſtate fieri multorum mercatorum relatione conſtat. 28
Incolæ frigidarum regionum qualia medicamenta ſequantur. 251
Incolis calidorum locorum frigida medicamenta eſſe familiaria. 251
Incolæ frigidarum regionum, quantum aromatum uſui indulgeant. 251
In puerorum evacuandis corporibus ſcarificationes aurium, aut crurum. 167
In componenda theriaca Ægyptios omnem

adhibere diligentiam, quando eam pro Turcarum Rege, atque ejus juſſu componunt. 288
In coxendico dolore ac podagra uſtionem lino crudo moliendam voluit, Polybius. 212
Indicatio præcipua curandarum febrium. 165
In eruptione exanthematum adjuvanda non ſunt utendæ cucurbitulæ. 161
Infantibus ſcarificatis vel cruribus, vel auribus Ægyptios mittere ſanguinem. 111
In febribus peſtilentibus, præſertim in apparitione exanthematum, an conveniant cucurbitulæ. 164
In febribus peſtilentibus ſudores frigidi multi, vomitus craſſi & viſcidi, urinæ craſſæ, ac multæ apparent, ob maximam colluviem crudorum craſſorumque humorum. 161
Inflammatio gutturis tollitur, miſſo ſanguine primo & ſecta vena cubiti, & poſtea veiiis ſub lingua poſitis ambabus. 129
Inflammationibus internis ſuccurrit ſcarificatio. 200
Infuſum ad febres peſtilentes. 320
Infuſo Tamarindorum, berberorum atque prunorum ſynochas febres multi Ægyptiorum curant. 315
In maximis inflammationibus & doloribus purgandum uſque ad animi defectum aliquando. 282
Inuſtio quibus populis ſit familiaris. 210
Inuſtio quid præſtet. 210
Inuſtiones antiquis cognitas fuiſſe. 214
Inuſtio ad quos morbos utilis. 210
Inuſtionis uſus apud Ægyptios. 209
Inurendi modus apud Ægyptios frequentatus. 213
Inuſtionem apud Ægyptios non ferro neque alio metallo fieri. 209
Inuſtiones quo inſtrumento fiant. 210
Inuſtionem fieri apud Ægyptios goſſypio, atque panno linco ignito. 210
Inuſtionem modo Ægyptiorum præſtitam ægroti, quod levem dolorem concitet, non abhorrebunt. 213
Inuſtio medicamentis cauſticis præſtita, an uſtioni Ægyptiorum ſit præferenda. 213
Inuſtio Ægyptiorum fit involucro ex goſſypio & linea petia parato ignito, parti inurendæ appoſito. 212
—— goſſypio accenſo præſtita non eſt horribilis. 212
Inurendi Ægyptiorum modum neminem vel ex antiquis, vel recentioribus probe noviſſe. 216
—— modus apud Ægyptios frequentatus laudatur. 212
—— modus, quo utuntur Ægyptii, rationalis eſt. 213
Inuſtio in quibus corporis partibus ab Ægyptiis exerceatur. 209
—— pro inflammatis pulmonibus ex Hippocrate. 214
—— ad ſputum ſanguinis ex Hippocrate. 214
—— ad ſuppuratos ex Hippocrate. 215
—— ad hepar induratum. 215
—— per buxeos fuſos. 215
—— per fungos operanda. 215
—— ad lienem tumefactum & inflammatum. 215
—— articulos, luxatos, dolentes, juvat. 215
Inuſtionis articulorum utilitas. 215
—— utilitas ad coxendicum dolorem. 215
Inuſtione Ægyptii utuntur ad Empyos, hydropicos, hernioſos. 217
Inuſtio pro capitis dolore ex Hippocrate. 214
Inuſtionis uſus pro morbo laterali ex Galeno. 214
Inuſtio ſanat articulorum dolores antiquos, atque aliorum partium. 210
Inuſtionem articulos roborare, humores in iis contentos reſolvere, calfacere & ficcare. 210
—— ex capitis in pulmones frigidorum, craſ-

craſſorumque humorum diſtillatione effectis ſuſpirioſis, conducere. 211
Inuſtio ſanat tumores frigidos. 211
Inuſtionem inopum eſſe remedium. 212
Inuſtarum pectoris partium ad aſthma ſanandum ulcera diu aperta ſunt ſervanda. 212
Inuruntur articuli, venæque ſuperpoſitæ in podagra. 210
Inurendi varii modi ad hydropicos, & ſuppuratos. 217
Inuſtione ſanari hydropicos. 217
Inuſtio quos capitis morbos juvet. 211
——— juvat dolores dorſi, lumborum, colli, articulorum. 212
——— ad podagras quomodo facienda. 216
Inopes à frigido ambiente alterari ac pati, diviteſque à calido. 91
——— plures morbos ſola inuſtione ſanant. 212
In omnibus inflammationibus, vel fluxionibus duplex oritur ſuccurrendi indicatio. 208
In partes inuſtas non facile humorum fieri decubitum. 211
In phtyſicis, atque empyis pectoris uſtionem apud Ægyptios frequentari. 211
In pulmonis inflammatione cucurbitula pectori admovenda. 163
In purgandis corporibus Ægyptios non ſimul omnes convenire. 270
In purgandis nobilibus Ægyptiis medici quomodo ſe gerant. 270
In quibus valide, & leniter purgantia conferant. 280
In quibus lenientia purgantia non conveniant. 280
In ſanguinis miſſione quæ ſint obſervanda. 95
Inſanientes, varices, & hæmorrhoides ſupervenientes ſanare. 104
Inſtrumentum ad inurendas partes. 209
Inter crurum ſcarificationem, & venæ ſectionem maximam eſſe convenientiam, ac ſimilitudinem. 185
Joan. Jacob. Manne narrat tres caſus, qui iis, qui conſueverant opio uti, evenere. 261
——— ——— Manne Medicus pro ſananda calida renum intemperie aquam Nili clarefactam bonitate lactis ſero prætulit. 37
Joannem de Lunardis Cayri mercatorem olim nonnullos faſces cinnamomi habuiſſe, odore tum, præ antiquitate atque ſapore fere omnino deſtitutos. 303
Joan. Ferdinandi Rochi filius dyſentericus, ſanguinis miſſione curatus. 117
Joannes Mancinus diarrhæa correptus, acatiæ decocto ſanatus. 314
——— VVeus Nobilis Anglus. 298
Italas Mulieres ad faciei, totiuſque capitis ornatum omnem curam adhibere. 230
Jura quibus Ægyptiæ, ut pinguefiant utuntur. 233

L.

Lacte acetoſo uti omnes Ægyptios. 252
Lac eſt familiariſſimus cibus Ægyptiis. 34
Lacticiniorum omnia genera Ægyptii in victu ſequuntur. 33
Lactis uſus ad hecticas apud Ægyptios qualis. 325
Lacte camelino, ac aſinino Ægyptios hecticos curare. 325
Lapides quomodo Ægyptii è veſica ſine inciſione extrahant. 223
——— è veſica vento extrahi ab Ægyptiis. 224
Lapidis extractio ſine inciſione quomodo operetur. 224
Lapidem ſine inciſione extrahendi modus alius. 225
Lariſſa virgo multiplici vacuatione ſanata. 239
Librum de omnibus Ægyptiis, Arabicis, & Æthiopicis plantis Arabice conſcriptum

tum apud Mahemetem pharmacopolam extare. 289
Liber ebnagelducam vocatus. 311
Lepræ, atque elephantiaſis cauſæ. 56
Lienem induratum & refrigeratum uſtione ſanari. 212
Ligno Indo Ægyptii raro utuntur. 254
Linitiones ad febres curandas ex quibus parent Ægyptii. 318
Linitionum uſum ad febres peſtilentes in Ægypto eſſe frequentiſſimum. 318
Linitionibus uti Ægyptios ad adjuvandas exanthemathum eruptiones. 318
Linitionum moliendi modus Ægyptiis familiaris. 318
Linitionibus Ægyptios ſanare pueros variolis, atque morbillis infectos. 318
Linitiones ſpinæ dorſi ad febres putridas ab Ægyptiis uſitatæ. 318
Linitio alia ad eaſdem febres. 318
Lippitudines ſeu opthalmiæ oculorum multæ hyeme Alexandrinos invadunt. 52
Lippitudinum Ægyptios invadentium cauſæ. 53
Lippitudines oculorum Cayri in prima æſtate plurimas epidemicas vagari, & ſparſim toto anno. 53
—— oculorum tolli inuſtis partibus poſt aures poſitis. 211
Lippientem alvi profluvio corripi bonum. 103
Locorum naturas quodammodo uſum familiarium medicamentorum detegere. 251
Lygures longævi ſunt ob parcum victum, quo utuntur. 39
Lygurium Genuenſium multos centum annos vivere. 39

M.

MAcer vere Dioſcoridis qui. 299
Maglub ad hecticos, quomodo parent Ægyptii. 266
Maglub decoctum, quomodo paretur, & ejus uſus. 265
Mahemet Theriaeæ compoſitor. 288
Mahemetem theriacæ compoſitorem à thayr commorſum ſola theriaca intus ſumpta, exteriuſque vulneri adhibita, ſanatum. 296
Mahemetis pharmacopola. 288
—— legum doctores in Ægypto ſummo eſſe pretio. 3
Malleolus quid. 204, 205
Malleolorum ſcarificationes mulieribus, carnoſis & albis prodeſſe. 175
Malleolorum, ſive crurum ſcarificationem ad moliendam evacuationem auxilium eſſe antiquiſſimum, ac à Græcis ſæpe, ac ſæpe uſitatum. 173
Mancipiæ mulieres multæ in Ægypto ex Abiſſia, atque Æthiopia. 92
Manna, tamarindi, caſſia, ſyrupus de granatis dulcibus ſolutivus pro purgandis Ægyptiis, apud ipſos in uſu exiſtunt. 10
Mannæ differentiæ, atque uſus apud Ægyptios. 274
Manna maſtichina. 274
—— bombacina ex ſaccharo, & manna adulterata. 274
—— Siracoſt. 274
—— terrengibil. 274
Marcus Phenarius Venetus pharmacopola. 298
Maſtahaleb ſorbitio quid. 266
Maſthaleb in febribus uſus. 266
—— variis modis paratur ab Ægyptiis. 266
Medendi modus à priſcis doctiſſimis medicis inventus, ut ſuorum dominorum tyrannidem effugerent. 12
—— malus modus penes Ægyptios à quo principium habuerit. 13
Medicinam in Ægypto primas habuiſſe radices. 2
Medicinæ ſcientiæ paucos operam dare. 3
Medicinam apud Ægyptios eſſe in viliori pretio. 3

Medi-

# INDEX.


Medicinam à medicis conſulum in Ægyptum conductis apud illos populos honorabilius exerceri. 3
—— penes Ægyptios uſitatam mendoſam eſſe & Empiricam. 9
Medicina Ægyptiorum cur mendoſa evaſerit. 10
Medicinam curatricem in tres dividi partes. 81
Medicinæ curatricis partes. 81
Medicum eſſe naturæ imitatorem. 102
Medici unde ſanguinis vacuationem, atque purgationem exercere cœperint. 102
Medicos conſulum Cayri in multa eſſe exiſtimatione. 3
—— Ægyptios parum lucri facere. 3
Medicus Achimbaſſi qui ſit. 5
Medici Achimbaſſi officium. 5
Medicus Achimbaſſi eſt omnium primus, ſine cujus licentia nemo in Ægypto mederi poteſt. 5
Medicos priſcos doctiſſimos à barbara Ægypto imperantium tyrannide male mederi cœpiſſe. 11
Medici recte olim barbaris hominibus medentes, non raro ab ipſis male tractabantur. 11
Medicos Ægyptios adulatores eſſe. 10
Medici Ægyptii ægrotorum deliciis inſerviunt. 10
—— Ægyptii febricitantibus concedunt angurias, cucumeres, melones & alios fructus refrigerantes. 10
—— Ægyptii febricantibus quantumlibet aquæ crudæ concedunt. 10
Medicorum Ægyptiorum finem non eſſe morborum curationem, ſed ægrotorum obſequium. 10
Medici adulatores ex Galeno qui ſint. 10
—— Ægyptii obtemperant ægrotorum voluptatibus. 10
—— Ægyptii affirmant nihil à natura expetitum poſſe lædere ægrotos. 10
Medicos adulatores multa etiam Italiæ loca præter Ægyptum habere. 11
—— ad mittendum ſanguinem non debere annorum numerum conſiderare, ſed cutem corporis atque neceſſitatem, Raſis prodidit. 106
—— Ægyptios in exercenda ſanguinis miſſione plurimum errare. 97
Medici Arabes volunt tenues humores eſſe craſſefaciendos. 9
Medicorum Ægyptiorum quoad uſum purgantium, ſectæ. 270
—— quorundam purgandi malus uſus. 282
Medici Ægyptii quibus ad ruſticos purgandos, utantur medicamentis. 11
Medicis antiquis medicamenta valide purgantia fuiſſe familiaria. 277
Medicorum aliquos prius devicta natura, à multis craſſis, viſcidis ſuccis in aliquo viſcere ſuffarctis, mori ſinere quam validum purgans experiri velint. 282
Medici Ægyptii peſti mederi non timent. 59
—— Ægyptii peſte infectos viſitare, atque curare non timent. 59
Medicamenta Ægyptiis familiaria. 252
—— refrigerantia cur Ægyptiis familiaria. 6
Medicamentis refrigerantibus cur in putridis febribus Ægyptii utantur. 7
Medicamenta refrigerantia cur apud Ægyptios ſint in frequenti uſu. 7
Medicamentorum valde refrigerantium uſum in febribus putridis eſſe apud Ægyptios frequentiſſimum. 6
—— valde refrigerantium uſu humores crudos incrudeſcere, & craſſiores fieri. 7
Medicamenta putridis febribus convenire, quæ deobſtruendi vim habent, ſed tamen ſine multo calore, ut oxymel. 7
Medicamentorum refrigerantium uſum putridis Ægyptiorum febribus, neque utilem, neque noxium eſſe. 9
—— refrigerantium uſus veluti ad cauſas febrium inutilis eſt, ſic febres juvare poteſt. 9
—— refrigerantium uſum vehementibus fe-




fe-

febribus, atque hecticis maxime convenire. 324
—— refrigerantium uſum omnibus febribus non conducere, neque eſſe in iis tutum. 7
—— refrigerantium uſum venarum obſtructiones fovere. 7
Medicamenta, quibus Ægyptiæ ad pinguefaciendum, utuntur. 234
—— quorum uſus apud Ægyptios eſt ad ſpectanda multa per ſomnium animi gratia. 257
—— quorum uſus apud Ægyptios eſt ad provocandum ſudorem in febribus peſtilentibus. 321
—— lenientia, quæ in uſu ad purgandum, penes Ægyptios exiſtunt. 271
—— purgantia prævalida in purgandis corporibus, aliquos Ægyptios merito timere. 272
—— leniter purgantia benedicta à noſtris dici. 277
Medicamentorum, leniter, & valide purgantium uter uſus præſtet. 278
Medicamentis leniter purgantibus pleroſque medicorum ubique nunc ſequi. 278
Medicamenta purgantia prævalida non niſi corporibus robuſtioribus convenire, veluti imbecillioribus leniter quæ purgent. 278
—— leniter purgantia robuſtioribus corporibus non convenire. 278
Medicamentis leniter purgantibus nihil aut parum multos fuiſſe purgatos. 278
—— valide purgantibus aliquos parum fuiſſe purgatos. 279
Medicamenta purgantia, qualia olim apud antiquos medicos fuerunt in uſu. 277
—— quibus purgationis cauſa antiqui uti ſolebant. 277
—— purgantia, quæ apud Ægyptios in uſu exiſtunt. 10
—— purgantia ſingulis, aut alternis diebus Ægyptii exhibent, ſed in modica quantitate. 10
—— ex purgantibus, apud Ægyptios uſitata. 10
—— ſcammoneata Ægyptii effugiunt. 10
Melancholiam fieri læſa imaginatione. 259
—— atrum colorem cerebrum obſidentem facere voluit Gal. 259
—— fieri ab atro nigroque colore, negat Averrhoes. 259
Melancholicæ dementiæ ſigna. 259
Melancholicis multis, qui ab Ægyptiis ſancti exiſtimantur, Ægyptum abundare. 58
Mel carnub uſus, fit expreſſis ſeliquis dulcibus. 314
Meliceribus ſtheatomata, atheromataque vocata Ægyptii quomodo curent. 227
Menſes provocare ſcarificationes crurum. 191, 192
Meto multiplici vacuatione judicatus. 239
Modus pinguefaciendi, quo utitur quædam medica Ægyptia. 234
—— extrahendi lapidem è veſica ſine inciſione. 224
Moreſtan eſt locus in quo theriacam componunt. 288
Morbi Ægyptiorum patrii qui ſint. 50
—— qui Alexandriæ autumno graſſantur. 51
—— plurimi ab inæqualitate aëris in Ægypto fiunt. 20
Morborum omnium cauſæ ſecundum Ægyptios. 6
Morbos omnes in Ægypto calorem pro cauſa habere Ægyptii putant. 6
—— omnes à caliditate in Ægypto oriri, falſum eſſe. 82
—— plures in Ægypto ſingulis annis in prima parte æſtatis vagari epidemicos, atque lethales. 23
Morbus dem el muia acutiſſimus Cayri in prima æſtate vagatur. 53
Morbi dem el muia vocati ſigna. 54
—— dem el muia cauſæ. 54
Morſum thayr ſerpentis non eſſe ſic exitioſum, ut qui à ceraſte infligitur. 295

Mor-

Morſum thayr ſerpentis eadem concitare ſyptomata, quæ à viperarum morſibus concitari ſolent. 295
Mucilaginis pſylli, atque cytonis uſus. 267
Mulieres quam viri medicamentis purgantibus magis accommodatæ. 279
Mulieribus albidioribus, tenuiori ſanguine exuperantibus malleolorum ſcarificatione ſanguinis vacuationem magis quam venæ ſectione præſtare. 111
—— nigrioribus, gracilioribus, ac venis magnis magis præſtare veno ſectionem. 112
Mulier hydrope laborans, ſectione ſanata. 219
—— vidua ab imbecillitate ventriculi theriaca ſanata 308
—— timeſtri fœtu gravida multiplici vacuatione judicata. 239
Mulierem nigrum fœtum, ex crebra imaginatione nigri hominis picti edidiſſe. 87
Mulieres Italas ad faciei totiuſque capitis cultum curam adhibere. 230
—— Ægyptias omnem curam adhibere ad cultum abditarum partium maximeque pudendorum. 230
—— Ægyptias pudendis maximam curam adhibere in balneis, ipſaque variis unguentis odoratis exornare. 230
—— Ægyptiæ cur balneis indulgeant. 230
—— Ægyptiæ quid in balneis factitent. 230
—— Ægyptiæ in balneis quæ factitent, ut pinguefiant. 232
Mulier Ægyptia publice artem pinguefaciendi Cayri profitens. 234
—— Turca Medica quibus medicamentis hiſtericas mulieres ſanet. 276
Mulieres pinguiſſimas Ægyptus cur habeat multas. 230
Multiplex evacuatio in quibus ægrotis critice apparuerit 239
Multos ab antiquis lienis, hepatiſque obſtructionibus ſtibio, vel æris infuſo vel alio prævalidiſſimo purganti ſanatos. 282
Multos à plurimo aquæ potu poſt aſſumptum purgans ventre plurimum tumefacto, & vehementiſſimis doloribus conflictato, quaſi mortuos. 285
Mur, Myrrha: ſed & Ægyptii Trogloditica carent. 301
Muſæ fructus. 252
Myrrha, qua utuntur Ægyptii. 301
Myrrha Ergaſima quæ. 301

## N.

Narium ſcarificatio multos, ac varios morbos ſanat. 170. & hoc in diebus criticis. 170. & modus, quo ſcarificantur. 171
—— ſcarificandi modus, & ordo. 171
Naturam ſubitaneas mutationes non ferre. 213
Natura humores tantum præparatos expellit. 161
—— ſimul multas vacuationes in corpore utiliter prodere. 238
Naturam Medicus imitari debet. 239
Natura interdum propulſat humores morboſos è nobilioribus partibus ad ignobiliores. 199
—— quomodo exanthemata expellat, ſive quomodo excernat. 161
—— prius concoquit & mox expedit. 161
Natron quid. 321
Nitri uſus ad peſtiferas febres. 321
Nautam opii defectu in faſtidioſiſſimam ſyncopim lapſum, opio ſibi oblato ſubito ab ea levatum fuiſſe. 261
Nigrum flumen. 26
—— flumen rivum eſſe Nili fluminis. 29
Nigrum flumen, ut Nilus eodem modo, atque tempore creſcere. 29
Nilus ubi naſcatur. 35
—— tranſit totam Zonam torridam. 35
—— longo itinere fere ſuam aquam concoquit. 35

Nilus flumen omnium longiſſimum. 26
—— in Africa à Deo cur factus. 26
—— in Ægypto arenoſa lgca irrigando fœcundat. 26
—— ubi naſcitur. 26
Nili curſus. 26
Nilus terram limo obtegit. 26
Nilum flumen Deus Ægyptiis conceſſit ad arcendum ſitis incendium, ex campſinis ventis concitatum. 24
Nili fluminis aqua omnibus eſt præjucundiſſima. 24
Nilus ſingulis annis una die atque hora perpetuo angeri incipit. 27
Nili incrementi principium nunquam à conſueta hora & die deflexiſſe. 27
Nilus quantum ſingulis diebus augeatur. 27
Nili quantum fiat augmentum. 27
Nilus ſex & viginti cubitorum altitudine auctus aliquando obſervatvs eſt. 27
—— intra ripas uſque ad menſem Maium decreſcit. 26
Nili aqua quando pauciſſima. 27
—— augmenti principii rationem ab occulta cauſa pendere. 73
—— fluminis augmenti principii veram cauſam non poſſe principiis naturalibus indagari. 73
—— fluminis incrementum à qua cauſa fiat. 73
Nilus flumen conſtantiſſime perpetuo tempore ſingulis annis menſe Junio die decima ſeptima incipere augeri. 29
—— cur ſemper ſingulis annis eadem die augeri incipiat ab Ægyptiis ignoratur. 29
—— octodecim cubitorum altitudine auctus ſat eſt ad agrorum inundationem faciendam. 27
Nili augmentum incipit menſe Junio, & plerumque uſque ad medium Septembrem terminatur. 27
Nilum creſcere à pluviis Æthiopiæ. 28
—— non à nivibus creſcere. 28
Nilus fundum habet cœnoſum, & aquam turbidam, neque admodum ad motum celerem. 34
Nili incrementum non eſſe in cauſa, ut peſtis Ægypti finiatur. 73
Nives intra tropicos non fieri. 28
Nomades olim inuſtionem familiarem habebant. 215
—— quas partes urere conſueverint. 215
Nubes multas craſſas cum Ægyptii ab Eteſiis ad meridem pelli obſervant, Nilum flumen plurimum auctum iri ſperant. 28
—— multas craſſas tota ſecunda æſtate ab Eteſiis in montes Lybiæ, atque Æthiopiæ ſingulis diebus advectas concreſcere, atque in pluviam mutari. 28
Nucem Indicam pinguefacere. 232
Nutrimentum, quod in ſtomacho à calore vincitur, calefacit, & quod vincitur, refrigerat. 41
Nutrimentum immodicum refrigerare, caloremque ſuffocare. 41
Nix in Ægypto nunquam fit. 24

## O.

Obæſitatem Ægyptias libidinis cauſa procurare in balneis. 230
Obſeruatio Ægyptiorum, qui ad unguem ad quotos cubitus Nilus ſit perventurus, vere prænoſcunt. 29
Obſtructiones venarum in febribus, vel à multis ſuccis, vel craſſis, vel lentis fieri. 7
—— commodius auferre oxymel docuit Galenus. 7
—— venarum ab uſu medicamentorum valde refrigerantium augentur. 7
—— cucurbitulis concitari poſſe. 158
Obſtructionem cucurbitulæ non concitant evacuatio toto corpore. 162
Occiput cur urant Ægyptii. 211
Octavius Roveretus. 225
Octavium Roveretum alium extrahendi lapidem modum ab Ægyptiis didiciſſe. 225

Octa-

Octavius Roveretus medicus Nationis Venetæ in Ægypto. 225
Oculorum inflammationes antiquatas ſanari ſanguinis vacuatione, ſectis venis magnorum angulorum oculorum. 128
Olera, quorum uſum in cibo Ægyptii ſectantur. 252
—— Ægyptia omnia eſſe noſtris humidiora, & magis inſipida. 34
—— in Ægypto cur inſipida, neque guſtui grata exiſtant. 34
Oleum pinguefaciens corpora. 234
Olea, quibus utuntur Ægyptiæ ad pinguefaciendum. 233
Omnem putrefactionem pro cauſa in qua fit, habere humiditatem. 78
Omne nutrimentum quatenus nutrimentum animalis calorem augere. 411
Oſſa fracta non cohærent per unionem, ſed per callum, porum, à Græcis vocatum. 134
Opium, affion ab Ægyptiis nuncupatum. 253
—— ubi paretur, quidque ſit. 261
—— Ægyptii unde advehant. 261
—— meconium Græcorum, ſumentes quid faciant. 261
—— ſumentes eſſe inconſtantes. 261
Opii, affion vocati, uſus apud Ægyptios. 255
Opium innoxie aliquos Ægyptiorum ad trium uſque drachmarum pondus ſumere. 255
Opii ſymptomata, in his, qui id edere conſueſcunt. 255
Opio cur Ægyptii utantur. 255
Opium ſumere ſoliti niſi ſolita hora ejus uſitatam copiam ſumant, in faſtidioſiſſima ſymptomata labuntur. 261
Opium ſumentes an optata multa ſomniare poſſint. 257
—— ſolita hora Ægyptios non ſumentes in graviſſima ſymptomata incidere. 261
—— aſſumere quotidie ſoliti, quomodo liberentur ab ejus uſu. 257
Opobalſamum ab arbuſto Venetiis viven-te, verum diſtillaſſe. 298
Opobalſami uſus ad febres curandas. 317
—— uſus qualis apud Ægyptios ad febres. 317
Opobalſamum ſincerum ac verum in Ægypto reperiri. 255
Opobalſami uſus. 254
Opobalſamo ſteriles mulieres fœcundas reddi. 255
Opobalſami uſum ad peſtem apud Turcas nobiles, atque Ægyptios eſſe frequentiſſimum. 323
Opobalſamum vim adverſus putredinem habere præexcellentem. 323
—— defendere cadavera à putredine. 323
Opobalſami facultas. 323
Opobalſamum calorem naturalem fovere, & augere. 323
Opobalſamo quomodo ad peſtem Ægyptii utantur. 323
Ophthalmias fieri à pulveribus, & arenis ventis illuc aſportatis. 22
Ophthalmiæ quo anni tempore epidemicæ vagantur. 23
Oribaſius altero crure ſcarificato binas fere ſanguinis libras extraxiſſe teſtatus eſt. 182
Oryza eſt cibus omnibus Ægyptiis familiariſſimus. 33

P.

Panis Ægyptiorum qualis. 34
Panem Ægyptii omnes ex ſolo tritico paratum mandunt, neque alium cognoſcunt. 34
Paracenteſes magis quam uſtiones ad hydropes conſuetæ. 219
Paralyticos inuſtione ſanari. 211
Paris chriſtianus morbo dem el muia vocato mortuus. 53
Paſta ex archenda humidos pedes & laxos juvans. 242
Paſtillorum ſcyllinorum compoſitio apud Ægyptios uſitata. 293
Partes ſcarificatæ quæ multum ſanguinem edant, & quæ paucum. 128

Partes imbecillas uſtione roborari. 211
—— uſtione robuſtiores redduntur, quæ non facile fluxionibus vexentur. 211
—— dolore vexatas uſtione ſanari. 210
—— humores gignentes, atque mandantes, Ægyptios inurere. 211
—— poſt aures ad quos morbos uruntur. 211
—— quæ Ægyptiorum more uruntur, cur neque dolorem, neque calorem ſentiant. 212
—— modo Ægyptiorum quæ uruntur, neque vehementem calorem, neque vehementem dolorem ſentire. 213
Partem inurendam in primis obſtupefacere. 213
Paulum Æginetam inuſtione ad veteres affectus uſum fuiſſe. 215
Pauperes correpti peſtiferis febribus quo potu in Ægypto uruntur. 320
Pauperculæ Ægyptiæ quæ factitent, ut pinguefiant. 233
Pectus ad ſuſpirioſos ab Ægyptii uri. 211
—— à capitis diſtillatione conflictatum Ægyptii urunt. 211
—— in phtyſicis ac ſuppuratis urendum. 211
Pediculis cur Ægyptii abundent. 230
Pelles pretioſiſſimæ cur ſub cœlo frigidiſſimo reperiantur. 20
Peplio ad purgandum utebatur Hippocr. 279
Per animi defectionem in iis qui aliquo medicamento purgantur, quid ſit intelligendum. 283
Peripneumoniacis pectus ſcarificandum. 207
Per purgationem uſque ad animi defectum faciendam, quid ſit intelligendum. 284
Peſtilentes febres quo tempore Cayri vagentur epidemicæ. 53
Peſtilentium febrium Cayri vagantium cauſæ. 53
Peſtis, ſive peſtilentia quid ſit. 64
Peſtem duplicem habere cauſam. 64
Peſtis cauſa efficiens. 64
Peſtem Turcæ non timent, neque ab ea fugiunt. 59
Peſte Ægypti loca ſæpe devaſtari. 59
Peſtis, quæ in Ægypto concitatur, cur latius, ſæviuſque quam alibi ſerpat. 59
Peſtem Turcæ omnes non timent, neque ab ea ſibi præcavent. 59
—— Turcarum credulitate cito excreſcere. 42
Peſtis cur penes Ægyptios in immenſum creſcat. 59
—— quæ anno 1580. Cayrum devaſtavit, quot interemerit. 59
Peſtem plerumque Cayrum & contagium accedere. 60
—— in Ægypto rariſſime ab aëre fieri. 59
Peſtis Ægyptum invadentis cauſæ. 61
Peſtem inſigni aëris caliditate abſumi. 61
—— ſingulo ſeptennio in Ægypto naſci, falſum eſſe. 61
Peſtis in Ægyptum vel ex Græcia, vel Syria, vel Barbaria venit. 61
—— omnium ſæviſſima, quæ ex locis Barbariæ in Ægyptum proficiſcitur. 61
—— quæ ex Barbaria in Ægyptum aſportur, cur omnium ſit ſæviſſima. 62
—— contagium à Barbaricis locis advectum vehementius Ægytii incolas pervadere, ipſoſque attrocius depaſcere, diutiuſque vigere. 62
—— quæ Cayrum vel ex Græciæ, vel Syriæ locis venit, minus quam è Barbariæ locis profecta, ſerpit, atque devaſtat. 62
Peſtilens contagium ex Barbaria profectum, cur ex aliis omnibus locis advecto ſævius exiſtioſius, diuturniuſque ſit. 62
Peſtis quo tempore Ægyptum invadere ſoleat. 70
—— in Ægypto, quæ ſit omnium ſæviſſima. 70
—— in Ægypto minus ſæva. 70
—— quo tempore in Ægypto deſinat. 70
—— qualiſcumque ſit magna, ac vehemens,

mens, perpetuo Sole primam partem Cancri Junio menſe ingrediente, omnino tollitur. 70
Peſtem nunquam Junio, Julio, & Auguſto menſibus in Ægyptum aſportatam, vidiſſe Ægyptii affirmant. 71
Peſtis, quæ Cayrum inficit, an ex Nili fluminis augmento tollatur. 73
—— Ægyptiæ extinctio coincidit cum Nili augmenti principio. 73
Peſtem in Ægypto ex aëris mutatione, quæ fit menſe Junio, finiri. 76
Peſtis extinctio in Ægypto Junio menſe obſervata, an in Eteſiarum ſpirationem referri poſſit. 73
—— extinctionem in Ægypto cauſam habere ab aëre illiuſce temporis ſumme calido, æquali, corpora difflante, ſiccante, atque ab Eteſiis eodem tempore ſpirantibus, quibus vitales ſpiritus reſtaurantur, ac foventur. 78
—— exſtinctionem fieri ab Eteſiis ſeu Septentrionalibus tunc ſpirantibus ventis, multi Ægyptiorum affirmant, 75
Peſtilenti morbo optimum præſidium ſcarrificatio crurum. 175
Peſte vexatis ſcarificatio tanquam divinum auxilium. 200
Philoſopha electuarium. 263
Phlebotomi Ægyptiorum longe noſtris ſunt acutiores. 138
Phlegmones oculorum tolli, primo ſectis venis magnorum angulorum oculorum. 128
Phrenitides exitioſiſſimæ, quæ aliquando in Ægypto vagantur. 50
—— quæ tribus quatuorve horis homines interimunt. 50
Philonium Perſicum Avicennæ. 311
Pinguedo in corpotibus quomodo generetur. 237
Pinguedinis quæ ſit cauſa præcipua. 232
—— cauſa materialis quæ ſit. 232
Pinguedinem à diminuto calore, atque à multo pingui alimento fieri. 232
Pinguedinis cauſa eſt frigiditas. 232
—— cauſæ. 232
Piſces, quos comedunt Ægyptii. 33
—— ſaliti ſunt apud Ægyprios in uſu frequentiori. 34
—— in Nilo flumine capti etſi guſtui admodum ſint ſuaves, tamen peſſimi ad ſanitatem exiſtunt. 34
—— Nili fluminis cur inſalubres. 34
Plenitudinem corporum non tolli ſcarificatis cucurbitulis. 147
Plenitudinem corporum tollunt Ægyptii vel vena ſecta, vel ſcarificatis cruribus. 147
Plenitudo auferenda aut venæ ſectione, aut cruribus ſcarificatis. 176
Pleuriticis latus dolens ſcarificatum juvat. 207
—— dolore ad hypochondria declinante nigrum helleborum & peplium convenire. 280
Plinii opinio de Nili fluminis augmento. 28
Pluit rariſſime in Ægypto, maximeque in locis à mari remotis. 24
Pluvias largiores fieri oportere in prima Ægypti æſtate in locis prope Nili principium poſitis, quod Lybiæ montibus ſint frigidiores, ratio, ſuadet. 28
—— largiſſimas in Æthiopia ſingulis annis fieri. 28
—— copioſiores, & largiores fieri in montibus, à quorum radicibus Nilum naſci multorum eſt opinio, multorum relatione conſtat. 28
Podagræ duplex cauſa. 211
—— fit ab imbecillitate articulorum, atque ab humorum fluxu. 211
Podagram non fieri niſi ambæ cauſæ concurrant. 211
Podagra quomodo uſtione ſanetur. 215
Padagram curantes quas venas inurant. 216
Podagricos dolores evacuato toto corpore ſcarificatio loci læſi ſedat. 207
Polybus cognovit materiam inuſtionis qua Ægyptii utuntur. 212

Po-

Populares mulieres ſibiipſis ungues manuum ac pedum archenda tingere. 242
Populi Turcarum, Imperio ſubjecti, quibus delectantur. 2
Populos Ægyptios multa optima remedia empirice exercere. 4
Populo Turcarum Imperio ſubjecto ſcientiis nunc non delectari. 2
Populi frigidarum regionum cur refrigerantia medicamenta, ſic uti timeant, calfacentiumque uſum complectantur. 251
—— frigidorum locorum, quibus malis ex victu ſint obnoxii. 251
—— frigidarum regionum cur brevius vivant. 251
Populos frigidarum regionum, ut recte purgentur, egere prævalidiſſimis purgantibus. 279
Potus Turcis & Ægyptiis familiaris. 267
Potuum varia genera, quæ ægrotis ante ſanguinis miſſionem conceduntur. 123
Potum frigidum iis, quibus ſanguis eſt mittendus; ſumme conducere. 123
Potu frigidæ aquæ ægrotos à ſyncope defendi. 123
Potus quem ante miſſionem ſanguinis Ægyptii ægrotis exhibent. 123
Potio ſingularis ad febres amphimerinas. 319
—— ſingularis ab Ægyptiis ad febres intermittentes celebrata. 318
—— alia ad idem. 318
Potus ſingularis virtutis ad eos, qui febribus peſtilentibus, ægrotant. 320
—— ad ſudorem movendum, qui ab Ægyptiis parentur. 322
—— ex berberis fructibus paratus quomodo ab Ægyptiis ad febrium ardentium, peſtiferarumque uſum paretur. 253
—— ex berberis fructibus parati vires 253
Præfectus Beſſa, appellatus Cadi, ſuos judices creat. 3
Præcipuum agens in noſtra corpora quod ſit. 88
Profluvio alvi cum febre exiſtente, non eſſe aliam moliendam evacuationem. 114
—— alvi in febribus exiſtente, qui aut ſanguinem mittere, aut ventrem movere tentarunt, ægrotos in graviora pericula duxiſſe ipſe Galenus docuit. 114
Proſperi Alpini natura ex cœli ſchemate. 86
Pudendis in balneis Ægyptias mulieres ſtudium adhibere. 230
Pudenda, ut ornent, in balneo, quid Ægyptiæ moliantur. 230
—— Ægyptiæ unguentis odoratis exornant. 231
—— nobilium Turcarum in balneis muſco, ambra ac zebet exornari. 231
Puellam annos ſeptem natam ſanguinis miſſione ſecta vena dextri cubiti à febre curatam. 106
Puerulum octo annorum per ſectam venam vacuato ſanguine ſanatum. 106
Puerum annos quinque natum pleuriticum ſanguinis miſſione ſanatum. 106
Puellam à febre maligna ſanguinis miſſione fuiſſe liberatam. 106
—— poſt miſſum ſanguinem à ſecta vena è naribus ſanguinis fluxum, atque ventris dejectionem ſuperveniſſe, & ſtatim priſtinam ſanitatem conceſſam. 106
Pueri habent plurimum innati caloris. 107
Pueros multo ſanguine abundare. 107
—— non recte ferre purgantia. 279
Pueris etiam ſanguinis vacuationem conducere poſſe. 104
Pueros multos naturam ſanguinis vacuatione ſanaviſſe. 104
—— multos critica ſanguinis è naribus eruptione fuiſſe integre judicatos. 105
Pueri quamquam vitali facultate valeant, tamen neque hi ſanguinis ſuſtinente miſſionem. 100
Puero vel etiam ſynocho correpto ante annum decimum quartum venam non eſſe ſecandam. 100

Pueris

Pueris Ægyptios ſecare venam pro ſanguinis evacuatione. 101
—— ſcarificationes commodæ, facile hi reſolvuntur. 201
—— ſæpiſſime ſine ulla noxia multum ſanguinem ſponte vacuari. 107
Pueritiæ profluvium ſanguinis per nares eſt familiariſſimum. 108
Pueros vel etiam lactentes interdum inediam multis diebus ſine noxa perferre. 108
Pueris ex modica ſanguinis miſſione non fieri tantam virium jacturam, ut aliqui putarunt. 108
Pueros interim copioſos alvi fluxus, atque ſudores perferre ſine noxa. 108
Puerorum corpora non multum extenuantur in morbis. 108
Pulmonum ulcera ſanari non poſſe ob continuam ipſorum motionem. 135
Pulveribus Ægyptum eſſe obnoxiam, à quibus incolarum oculi infeſtantur. 230
Pulvere lentium nigrarum uti Ægyptios ad ſanandum arteriæ vulnus. 138
Pulvis ad quartanam febrem. 320
—— quo pro ſecreto utuntur Ægyptii ad febres peſtilentes. 322
—— ſingularis virtutis ad provocandum ſudorem cum aqua diſſolutus in feb. peſtilentibus. 321
Pulſus tangendi à medicis in via conſuetudo. 55
Pulſuum ſola obſervatione putant Ægyptii medicos poſſe, vel pollicem etiam digiti articulum dolentem cognoſcere 55
Pulſum intermittentem aliquando ab admotis cucurbitulis apparuiſſe. 160
Purgationes illæ optimæ dicuntur, quæ naturæ optimas excretiones imitantes, nulla violentia humoris noxii copiam extrudunt. 186
Purgantia prævalida olim apud Hippocratem atque Galenum in uſu fuiſſe. 279
—— Galeno olim familiaria quæ. 288
Purgari poſſe corpora interdum uſque ad animi defectionem. 282
Purgantem alvum non eſſe impoſſibile ſiſti. 284
Purgantium prævalidorum uſus in quibus uſui leniter purgantium ſit præferendus. 284
Purgantibus violentiſſimis multos fere deploratos ſanatos. 281
Purgantia valida quibus conveniant. 279
—— leniter quibus conveniant. 279
—— leniter quando conveniant, & quando non. 280
Purgationibus prævalidiſſimis multos juvatos fuiſſe. 282
Purgantia prævalida, non niſi robuſtioribus corporibus conveniunt. 279
Purgantibus lenientibus qui purgandi. 279
Purgantia eadem non omnibus convenire. 379
Purgantia medicamenta in corporibus exercenda, quæ evarient. 279
—— prævalida fuiſſe in uſu apud antiquos. 277
—— prævalida Ægyptiis non convenire. 271
—— medicamenta prævalidiſſima, quibus ad ruſticos & plebem Ægyptii, utuntur. 278
Putredo fit à quocumque calore immodico naturalem diſſipante, atque corrumpente. 64
Putreſcunt humores, atque partes corporis calore naturali ab extraneo corrupto, & diſſipato. 64
Putredinis cauſæ materiales. 64
Putrefactio quotuplex. 64
Putreſcere tantum humida, & non ſicca. 65
Putredines fieri ab aliena caliditate ſentit Ariſtoteles. 64
Putrefacientia naturam corporum poteſtate calida eſſe. 64
Putredo omnis ex materia gignitur humida, ex cauſa efficiente extranea & præter naturam calore. 65
Putredines fieri humidis ac pluvioſis temporibus. 65

Putreſcere promtiſſime quæcunque ſunt calida & humida. 65
Putredinem in ſicca corpora accenſam eſſe præexcellentem. 66
Pſyllii ſeminum uſus. 255
Pſyllium venenum non eſſe. 255
Pſyllium & coriandrum viridia in ferculis eſſe apud Ægyptios in uſu frequentiſſimo. 252

Q.

Qualia ſint Ægyptiorum corporum temperamenta, atque habitus. 84
Quas partes corporis Ægyptii inurant. 210
Quæ pinguefaciant. 233
—— evariant medicamenta purgantia. 279
Quibus morbis ſcarificatio conveniat. 199, 200
Quomodo intelligenda ſit ſententia Hippoc. atque Gal. dicentium, corpora ad animi uſque defectum purgare licere. 283
Quot nationes Cayrum acceſſerint. 63

R.

Raſim in pueris ſanguinis vacuationem interdum moliendam laudare. 105
—— ægrotis antequam ſanguis mittatur, cibum dandum conceſſiſſe. 121
Rationes ex Galeno ad reprobandam ſanguinis miſſionem deſumptas non concludere. 129
Regionum frigidarum incolas minus ſævam, quam calidarum, pati peſtilentiam. 68
Remedium nullum majus invenit Gal. in maximis doloribus miſſione ſanguinis, & purgatione. 115
Renes Ægyptiorum non paucorum debiles. 58
Rhabarbarum. 300
Rhavend Seni, eſt Rhabarbarum. 300
Rhob Cathiæ, ſuccus eſt acatiæ, & quomodo ab Ægyptiis paretur. 306
Ruſticorum corporum Ægyptiorum temperies, atque habitus. 92

S.

Sanguis in venis cutaneis contentus, purior, ac tenuior exiſtit. 151
Sanguinis miſſionem ab Hippopotamo hominibus monſtratam fuiſſe. 2
Sanguinem quot modis mittant Ægyptii. 4
—— à multis venis noſtris medicis inuſitatis Ægyptios mittere. 4
—— Ægyptios à ſectis arteriis mittere. 4
—— Ægyptios mittere multis ſcarificationibus. 4
Sanguinis miſſionem apud Ægyptios eſſe uſitatiſſimam. 83
Sanguinem mittunt Ægyptii in omnibus ætatibus, anni temporibus, & ad omnes fere morbos. 82
Sanguinis vacuatione libentius quam medicamentis Ægyptii utuntur. 82
—— miſſionem cur Ægyptii ſic frequentent. 82
—— crebram miſſionem vitalem ſpirituum conſumere, atque actiones animales lædere, 98
—— vacuationi corpora apta. 99
Sanguinem Ægyptios vel etiam in infantibus mittere. 99
Sanguinis miſſionem in pueris Ægyptios, Æthiopes, Abiſſinos exercere. 100
—— miſſionem in pueris faciendam plures Arabum voluerunt. 105
Sanguinem facilius Ægypiii in pueris mittunt ſcarificatis cruribus. 109
Sanguinis miſſionem non convenire corporibus mollibus, albis atque valde humidis. 110
—— vacuationem copioſam, qui recte ferant. 110
Sanguinem detrahunt, à ſcarificatis auribus, collo, labiis, gingivis, cruribus, & na-

& naribus. 127
Sanguinis vacuatio per ſcarificationem malleolorum cur albis, mollibuſque magis commoda atque utilis ſit. 111
—— miſſionem cur Ægyptii fere in omnibus morbis moliantur. 94
Sanguinem in quibus ſpeciatim morbis Ægyptii mittant. 95
—— mitteri Ægyptios in omnibus fere morbis. 94
Sanguinis miſſionem cur Ægyptii putent omnibus conducere. 82
Sanguis quot modis ab Ægyptiis mittatur. 125
—— craſſus cucurbitulis non poteſt vacuari. 159
Sanguinis miſſionem per hirudinum uſum Ægyptii prorſus ignorant 126
Sanguinem mittentes in dyſenteria quid mali efficiant. 114
Sanguinis miſſionem Ægyptios exercere etiam in dyſenteria, diarrhæa biliosa, in exanthematibus erumpentibus, puncticulis vocatis, inque peſtiferis tumoribus. 113
—— vacuatio ab inteſtinis fluentem humorem revellit. 115
—— vacuatio prohibet, ad partem exulceratam humores ne amplius confluant. 116
Sanguine non vacuato in dyſenteriæ principio ſanguinis profluvio non firmato plurimus ſanguis per inteſtina evacuabitur, qui vires maxime diminuet. 116
Sanguinis vacuatione dyſenteriam curandam multi priſcorum, atque recentiorum etiam medicorum ſenſerunt. 116
—— miſſionem eſſe exercendam in dyſenteria. 116
—— miſſionem ad dyſenteriam maximum eſſe auxilium, ſine quo difficillime curatur. 118
—— miſſionem in dyſenteria quamplures medicos damnare. 113
Sanguinem fluente alvo non eſſe mittendum. 113
—— Ægyptios mittere in principio omnium peſtiferorum exanthematum, atque tumorum. 112
—— à cibo Ægyptiorum vulgus mittere. 116
—— in Ægypto jejuno ſtomacho mittentes à vulgo medicorum damnantur. 119
Sanguinem quibus de cauſis plures Ægyptiorum à cibo minimeque ſtomacho jejuno mittendum cenſeant. 120
—— à cibo mittendum Græci abhorruere. 120
—— non eſſe mittendum exiſtente in ſtomacho cruditate, neque priuſquam excrementa deſcenderint. 121
Sanguinis miſſio cibo crudo exiſtente in ſtomacho, quid mali faciat. 121
—— miſſionem prohibere os ventriculi nimium ſenſibile, aut imbecillum, vel amara bile redundans. 122
—— Ægyptiorum a cibo mittendi uſum eſſe peſſimum. 121
—— à cibo mittendi uſum Arabes laudaſſe. 121
—— cur facta copioſa vacuatio è venis retro aures ſectis ſomnum profundiſſimum & longiſſimum inducat. 131
—— larga profuſione ex venis poſt aures ſectis ſomnum profundum excitari, neque ſterilitatem induci. 131
—— vacuationem affectæ partis, à proximis venis faciendam. 127
—— vacuationem partibus poſt aures ſcarificatis ſomnum conciliare. 142
—— miſſionis ab occipite, atque à partibus retro aures præſtitæ utilitas. 142
—— quantum volunt, cucurbitulis occipiti, atque circum ipſum poſitis particulis admotis cum ſcarificatione, evacuant. 143
—— miſſio in capitis averſa parte ſcarificatione præſtita, quibus noxia. 143
—— miſſio à naribus procurata pro arcano à multis Ægyptiis celebratur. 171
—— è naribus miſſionem ſolvere ægritudinem.

# I N D E X.

dinem. 104
—— miſſionem dolorem vehementem tollere. 114
Sanguinem expuentibus caput, & pectus Ægyptios inurere. 211
Sanguinis fluxum ſiſtere decoctum ex ſiliquarum floribus, ac foliis acatiæ paratum. 314
Sanguinis Ægyptii mutatio à quibus. 92
Sang Arabi gumma Arabica, quam ex arboribus acatiæ colligunt. 305
Sarbet potus. 123
—— potus pro omnibus febricitantibus. 267
Sadegendi eſt folium. 300
Sapor caſſiæ eſt amarus. 304
—— canellæ. 304
Salſa parilla raro Ægyptii utuntur. 353
Saraceni cur utuntur aurium ſcarificatione. 169
Savich. 267
Scarificationum varii apud Ægyptios uſus. 167
Scarificandi modus, figura, ſive exemplar. 198
Scarificatio malleolorum ſive crurum vicaria eſt venæ ſectionis. 147
—— malleolorum ſectioni venæ proxima, & vicaria. 176
—— vires non deſtruit, ſive labefactat. 199
Scarificationes ſenſim, ac lente ſanguinem educunt. 183
Scarificatio malleolorum plenitudinem tollit. 174
—— corpore non evacuato molienda. 190
Scarificationis uſum variant corpora, ætas, ſexus, habitus, & temperies. 200
Scarificationes non tantum vitalis facultatis evacuant, quantum venæ ſectio. 175
Scarificationem crurum Arabibus medicis antiquis haud cognitam fuiſſe. 180
Scarificatio non vehementes infert partibus dolores. 198
—— à Gal. quot in locis celebrata. 187
—— crurum ab Amato Luſitano mirum in modum celebratur. 179
—— crurum, & cucurbitulæ admotæ inciſa cute maxime differunt. 184
Scarificatione crurum, quibus in Italiæ locis ſit eductus ſanguinis, 178. & cum felici ſucceſſu, 178. & quo ægrotantibus morbo, & pueris. 178
Scarificationem crurum interdum eſſe præferendam venæ ſectioni. 158
Scarificationes, que Ægyptii pro uſu cucurbitularum, moliuntur. 142
Scarificatas partes debilitari. 150
Scarificationes pro moliendis cucurbitulis, quotæ, & quales ab Ægyptiis fiant. 144
Scarificant Ægyptii non epidermidem modo, ſed ſecundam cutim, non minuſque carnem. 145
Scarificationes quales ab Ægyptiis cucurbitularum uſu, & quotæ infligantur. 142
Scarificationum numerus eſt varius, nec non plagarum magnitudo, 196. & varii effectus. 197
Scarificationes longas, & profundas eſſe, conſonum eſt rationi cum evacuare tentamus. 198
Scarificatione rami venarum craſſiores ſecantur. 192
—— non omnis ſanguis evacuatur, ſed ſubtilis, imprimis autem craſſus. 190
—— ſanguis craſſus evacuatur, & quomodo intelligendæ variæ Galeni ſententiæ. 191
Scarificare debemus non malleolorum, ſed cruris ventrem. 205
Scarificatio malleolorum quibus conveniat, 173. modus qui recitatur. 173
—— in ſiccis vituperatur. 201
Scarificatione cutis ſæpiſſime Ægyptii mittunt ſanguinem. 126
Scarificatio narium in omnibus febribus acutis eſt præſentaneum auxilium. 168
—— Eunuchis, mulieribus, & omnibus molli carne præditis, creditur, vicaria eſſe

eſſe venæ ſectionis, & quibus corporis partibus. 167
Scarificatione crurum Ægyptios curare febres peſtilentes. 320
Scarificare ſolent Ægyptii aures nares, labia, gingivas. ac quaſcunque partes corporis extrinſecas. 167
Scarificatio inflammatam partem, vel vexatam cancrena, vel tumore, vel puſtula ſanat. 167
—— aurium apud Ægyptios in puerilis lactantibus exercetur. 128
—— narium ad quæ ſit utilis. 171
—— malleoli ad hydropicos tutior. 220
Scarificatis talis hydropicos ſanari Archigenes voluit. 220
Scarificatione malleolorum Ægyptios mittere ſanguinem. 4
Scarificatis auribus Ægyptios moliri vacuationem ſanguinis. 4
Scarificatio crurum apud quoſdam Ægyptios in peſte infectis uſitata. 324
Scarificationis crurum in peſte infectis laus. 324
Scientiæ cur fere omnes ab Ægypto in alia loca commigraverint. 12
Scientiam Mahometis apud Ægyptios in ſummo pretio eſſe. 3
Scirrhos inuſtione ſanari. 218
Scythæ uſtione utebantur. 215
Scythas à ſanguine plurimo à venis retro aures vacuato in profundum ſomnum labi, atque ſteriles evaſiſſe. 143
Scopus præcipuus ad præſervenda corpora à peſte. 78
Scopos duos ad præſervanda corpora à peſtilentia Gal. docuit, quippe corpora ſiccari, atque difflari. 77
Scorpiones Ægyptios eſſe lethaliſſimos, quales Dioſcorid. deſcripſit. 309
Scorpionum Ægyptiorum deſcriptio. 309
Sectionem ad hydropicos, antiquis medicis cognitam fuiſſe. 219
Sectione hydropicos ſanari. 21
Sectio hydropicis quo tempore conveniat. 220
Sectio non eſt in hydropicis viribus languidioribus adminiſtranda. 220
Sectiones hydropicorum calfactorio medicamento eſſe fovendas. 221
Secandi hydropicos varii modi. 219
Sectionem pro Empyis inter ſecundam ac tertiam coſtam plerique Ægyptiorum faciunt. 221
Sectio in ſupparatis quomodo adminiſtretur. 222
Sectionem ad ſuppuratos inter tertiam & quartam coſtam fieri debere quibuſdam videtur. 222
Sectionis uſus ad ſuppuratos ex Hippocrate. 222
Selica eſt vera caſſia lignea. 299
Selicas multas habent Ægyptii & quæ. 299
Selica ambra. 299
—— ſeudas, eſt macer Dioſcoridis. 299
—— per excellentiam caſſia vocatur. 299
Secreta ad febres quartanas ab Ægyptiis quibuſdam uſitata. 320
Secretum ad febres ſynochas. 315
Senectutem purgationes non recte ferre. 279
Senes difficiles ad purgantia eſſe 279
Semina, quæ apud Ægyptios ſunt in uſu. 254
Septentrionales venti, & Nili fluminis incrementum aërem Ægypti refrigerant. 26
Septentrionalium ventorum ſalubrem eſſe aëris conſtitutionem. 75
Septentrionales ventos peſtilentibus conſtitutionibus adverſari. 75
—— venti in Ægypto plus aliis perflant. 25
Septentrionalibus ventis Ægyptum expoſitam eſſe voluit Deus. 25
Serapio de calamo aromatico. 297
Sicca non putrefacere. 65
—— quæ putreſcant. 65
—— dum putreſcunt, quam humida excellentiorem ſuſcipere putredinem. 68
Sicomori quales fructus. 252
Solem atque hominem, hominem generare. 87

Sol ſemper agit calfaciendo. 88
Somnos immoderatos inuſtione Ægyptii curant. 211
Somnia turbulenta, quæ eſitata faciant. 276
Sorbitiones quæ ad hecticos ab Ægyptiis parentur. 325
Smilacem hortenſem editam tumultuoſa ſomnia facere. 260
Spectacula & ludi in Ægypto augeſcente flumine Nilo celebrantur. 24
Stomachum habent Ægyptii frigidum, pituitoſum 32
Stomachus durus, quid mali à vomitu recipiat. 240
Stomachum Ægyptiis cruditatibus vexari familiariſſimum eſſe. 57
Stomachus Ægyptii incolarum à quibus cauſis frigidior fiat. 57
Stomachum balnea efficere frigidiorem, ac languidiorem. 238
—— languidiorem Ægyptii à quibus obtineant. 238
Stomachus ad quos morbos ſit inurendus. 212
—— frigidus, humidus, à diſtilatione vexatus, ſtatulentus uſtione juvatur. 212
Stomachum opobalſamo juvari. 255
Stibium præparatum curare antiquas viſcerum obſtructiones. 281
Stoliditatem inuſtione tollunt. 211
Strumas quomodo Ægyptii curent. 227
Strumæ curantur ſectione. 227
Studium Gemel-hazar Cayri. 3
Stuporem inuſtione tolli. 211
Succus Acatiæ. 306
—— acatiæ duplex, liquidus, & ſiccus. 306
Sudores quomodo Ægyptii tuendæ ſanitatis gratia, ſequantur. 240
Sudandi uſum Ægyptios ſequi. 240
Sudores criticos in omnibus acutis eſſe bonos. 103
Sudant plurimum Ægyptiorum corpora. 230
Sudorem in febribus peſtilentibus, quo medicamento Ægyptii movere ſoleant. 321
Sudores nonnullus Ægyptios in febb. peſtilentibus, cantaridibus etiam vel in potu ſumptis, movere. 322
Supellectilia omnia Cayri peſtiſero qualicumque contagio infecta, menſe Junio, omne contagium, amittere, ut omnes iis tuto uti queant. 70
Suppurati, qui ex pleuritide fiant. 221
Suppuratorum notæ. 221
—— inuſtione ſanati. 217
Suppuratis quomodo inuſtio facienda ſit. 217
Suppurati quando magis uſtione, & quando ſectione curari debeant. 223
Sura quid, & quo differat à malleolo. 204. 205
Syncopis exquiſita quid. 283
Synciput cur inurant Ægyptii. 211
Syrorum atque Græcorum corporum habitus ac temperies. 66
Syrupi Ægyptiis uſitatores qui. 268
—— ex ſandalis præparatio. 269
—— ex ligno præparatio. 269
—— ex ligno aloë, vires. 269
—— ex dactylis quomodo ab Ægyptiis paretur. 269
Syrupus ſolutivus qui ex granatis dulcibus paratur. 275
—— ex manna ſolvens. 275

## T.

Tabeſcentes ſtatim uri oporrere. 220
Talvina. 267
Tamarindorum differentiæ, atque uſus. 274
Tamarindi Buzzi, quid. 274
Tamarindorum infuſionis per potum ad febricitantes uſus. 274
Tamarindi recentes in India ſaccharo conditur, ad uſum illorum qui deſerta Arabiæ loca peragrant. 275
Tamarindorum vis adverſus putredinem. 321
Tarachelacrap, id eſt, theriacæ ad ſcorpionum ictus compoſitio. 310

Tectum balneorum Ægyptiorum quale. 228
Temperamentum variorum corporum naſcentium ratio. 87
—— totius à cordis hepatiſque temperie prodire. 84
—— nativum Ægyptii à victu permutant. 93
Temperamenta atque habitus purgationibus apta. 179
Tempora, pro quibus morbis Ægyptii inurant. 211
—— inurunt Ægyptii ad oculorum & capitis diſtillationem, aurium, atque dentium. 211
Terrengibil provenit in montibus Synai. 274
—— puerorum medicamentum proprium. 316
—— uſus ad curandas febres. 316
Terra Ægypti quando ſit apta cultui. 24
Terræ ſigillatæ deſcriptio. 305
Tercenta millia aureorum pro ſtudio Gemel-hazar quolibet anno diſſipari. 3
Tertianas febres balneis dulcibus juvari. 248
Tertianis febribus correptos calida balnea quomo juvent. 249
Thaime quid. 232
Thaletis opinio de Nili fluminis augmento. 27
Thayr ſerpentis deſcriptio. 295. ex quorum carnibus parantur ab Ægyptiis paſtilli. 295
—— ſerpentem eſſe viperam cornutam. 295
—— ſerpentem non eſſe ceraſtem 295
Thebarum loca papavera nigra multa gignere. 261
Theologicæ ſcientiæ, quæ pſeudoprophetæ Mahometis leges tractat, multos Ægyptiorum operam dare. 3
Theophraſtum deceptum fuiſſe in caſſiæ cognitione. 304
—— recte ſenſiſſe de cinnamomo. 303
Terebenthina qua ad componendam theriacam Ægyptii utuntur, quid. 305
Theriacæ compoſitio apud Ægyptios. 264
Theriacam pro Turcarum Rege ab Ægyptiis annis ſingulis componi. 288
Theriacæ apud Ægyptios uſitatæ deſcriptio, in quo ab ea, quam Andromachus Senior tradidit, differat. 294
—— Ægyptiorum deſcriptioni deeſt aſphaltus, centaureum, Galbana, thlaſpi, malabatrum, opponax. 294
Theriacam non ſine errore componi ab Ægyptiis. 294
Theriacæ compoſitionem ingredientium ſecundum Ægyptios numerus. 294
Theriacam numerum ingredientium, numero ab Andromacho perdocto non convenire. 294
Theriacæ Ægyptiorum deſcriptio quæ medicamenta habeat, in Andromachi deſcriptione non inventa. 294
—— quam Ægyptii fuerant anno 1574. compoſituri, compoſitionis deſcriptio. 290
Theriacam ubi Ægyptii componunt. 288
Theriaca quo anni tempore ab Ægyptiis paretur. 288
Theriacam apud Ægyptios eſſe in frequentiſſimo uſu. 388
Theriacæ compoſitionem ingredientium ex Andromacho numerus. 307
Theriacam à noſtris parari ſine multis ingredientibus, quæ leviſſimo labore ab ipſis haberi poſſent. 308
Theriacæ uſus apud Ægyptios. 309
—— Ægyptiæ vires à carnibus cornutarum, earum ferarum augeri. 308
Theriaca quibus morbis conveniat. 309
Theriacæ uſus ad peſtem, apud Ægyptios eſt præcipuus. 310
Theriacam pueris quoque exhiberi. 310
—— calorem naturalem fovere, augere, & eos, qui ipſam frequentant longævos facere. 310
—— Ægyptiorum eſſe antidotum inſigne multis viribus præditum. 308
Theriacæ Ægyptiæ vires. 308

The-

Theriacam Ægyptiam cruditatibus ventriculi ſuccurrere. 308
Theriacæ uſus ad febres. 319
Theriaca ad ſcorpionum ictus quam componunt Ægyptii. 310
Tinmactum eſſe terram Chiam, quam ſigillatam vocant. 305
Tiphomania quid ſit. 54
Tria principia concurrere ad corporum generationem. 87
Triticum quando in Ægypto ſeritur, & matureſcit. 24
Tumorem in angina, in collo conſpectum, eſſe bonum. 144
Tumores omnes, & inflammationes arcet, & minuit ſcarificatio loco læſo inflicta. 207
—— ædematoſos, & ſcirrhoſos inuſtione curatos. 218
—— à pituitoſis humoribus uſtione ſanari. 212
Turca mulier, quæ hiſtericas mulieres quibuſdam ſeminibus minutiſſimis purgat. 276
Turcarum Imperio populos ſubjectos, ſcientiis non delectari. 2
Turcæ à peſte fugam non arripiunt. 59
Turcas ſibi quaſi morte ſint moriendi, eſſe prædeſtinatum putant. 60
—— milites vini potationibus indulgere.

V.

Vacuationes ſub canem & ante canem eſſe fugiendas. 238
Vacuationes multas in balneo eodem tempore ferre aliquem poſſe. 238
Variolæ peſtilentes ſingulis annis in Ægyto vagari. 50
Variolarum annis ſingulis Cayrum invadentium cauſæ. 55
Venæ ſectio cur univerſalem vacuationem præſtet. 148
—— dorſi ac lumborum in cute ſcarificatæ cur totum corpus non ſic evacuent, ut facit crurum ſcarificatio. 148
—— ſectione præſtita ſanguinis vacuatio cur non conciter obſtructiones. 149
—— quæ apud Ægyptios in uſu ſunt, ad mittendum ſanguinem. 127
—— quas ſecant pro ſanguinis molienda vacuatione ad oculorum lippitudines. 127
Venam frontis ſcindere Ægyptios ad oculorum lippitudines. 127
Venas in quibus morbis ſecent. 125
Venæ a noſtris non uſitatæ, quæ apud Ægyptios ſunt in uſu. 125
—— frontis ſectio, quos morbos juvet. 128
Venam frontis maximos capitis dolores, ac inflammationes juvare. 128
Venæ temporum, atque magnorum angulorum oculorum ſectæ quos morbos juvent. 128
Venarum intra ac poſt aures ſectarum utilitas. 128
Venas naſi, nariumque in quibus morbis Ægyptii ſecent. 128
Venarum naſi, frontiſque ſectione dolorem capitis juvari. 128
Venas labiorum, gingivarumque in quibus ſecent malis. 129
Venarum ſub lingua poſitarum ſectione Ægyptios uti. 129
Venæ pro mittendo ſanguine uſitatæ apud Ægyptios. 4
Venas jugulares ab Ægyptiis ſecari. 4
——poplitis ab Ægyptiis ſecari. 4
——narium ab Ægyptiis ſecari. 4
Venas frontis Ægyptios ſecare. 4
—— capitis, ut commodo ſecent, quomodo Ægyptii recte apparere faciant. 132
Venam jugularium quomodo Ægyptii ſecent. 132
—— poplitis quomodo Ægyptii ſecent. 132
Venarum jugularium ſectionis vel etiam uſum Ægyptios ſequi. 130
Venis jugularibus ſectis, qui morbi tollantur. 130

Vena altera jugularium ſecta, atque plurimo ex ipſa vacuaro ſanguine multos fere plane ſuffocatos ad vitam rediiſſe, 130
Venarum jugularium ſectio, quos morbos curet. 130
Venas magnorum angulorum oculorum difficulter ſecari, & cum periculo futuræ ſiſtulæ, à quibus etiam paucus ſanguis exit. 130
—— magnorum angulorum ſectas non efficere fiſtulam. 131
—— poſt aures ſectas ſterilitatem inducere Hippocratem præcepiſſe. 131
—— magnorum angulorum oculorum ſectas plurimum ſanguinem concedere. 131
Venam magni anguli oculi ſectam in Franciſco Rigono plurimum ſanguinem profuſiſſe. 131
Veneri Ægyptios nimium libere indulgere. 230
Venena calore præſtantiora, ac auctiora fieri. 68
Venenum petere cor quænam ſigna explicent. 162
Venenorum eſui homines aſſuefieri poſſe. 255
Ventriculum opobalſamo maxime juvari. 255
Ventres hyme cur ſint calidiſſimi, & æſtate frigidiſſimi. 32
Vertiginoſos inuſtione ſanari. 211
Venti, quibus Ægyptus eventatur. 25
Ventis Septentrionalibus Ægyptum pluſquam aliis eſſe expoſitam. 25
Venti Septentrionales quo tempore in Ægypto ſpirent. 25
—— Septentrionales cur aërem Ægypti refrigerent. 25
Ventos Septentrionales Eteſias vocatos tota ſecunda æſtate ob ortu ſolis uſque ad occaſum in Ægypto perflare. 29
—— campſim ab Ægyptiis vocatos facere primam æſtatem. 22
—— Euros, Auſtroſque facere primam æſtatem in Ægypto. 22
Venti Euri, Auſtrique plurimas inflammatas arenas in Ægyptum aſportant 22
Ventorum campſim vocatorum variæ opiniones. 23
Ventos Euros, Auſtroſque interrupte in Ægypto ſpirare. 23
—— Euros, atque Auſtros multas ophtalmias gignere. 23
Venti Charonii in Ægypto qui. 23
Ventis Euris, Auſtriniſque in prima æſtate flantibus fieri plures peſtiferas febres, atque inflammationos. 23
Ventorum auſtrinorum proprium eſſe humores ad caput ſubvehere. 54
Ver apud Ægyptios quot menſibus conſtet. 21
Veſicæ os ſic dilatari, ut per ipſum lapides ſatis magni exire queant 224
Veſicantium uſus in peſte infectis. 323
—— uſus ad brachiorum, & crurum pulſus pro febribus intermittentibus ab Ægyptiis frequentatus. 318
Victus, quo Ægyptii utuntur. 33
—— Ægyptiorum qualis. 19
Victum frigidum frequentant Ægyptii. 19
Vigiliis, ac deliriis ſcarrificatio intra nares commoda. 171
—— quibus medicamentis Ægyptii occurrant. 315
Vigilias quibus auxiliis Ægyptii curent. 316
Vinum quibus ſit utiliſſimum. 45
—— modice ſumptum nativum calorem auget, & immodice, refrigerat. 42
—— immodice ſumptum morbos frigidos facere. 42
—— aqua præſtat ad corporum ſanitatem. 42
Vini facultates. 42
Vinum in pueris Gal. damnat. 45
Vinum in calidis & humidis damnandum. 45
Virgas balſami odorem ac ſaporem diu non retinere. 298
Vires in dyſenteria plurimum ex crebra de-

dejectione, dolore, vigilia reſolvi. 114
Virium robur plurimam habere partem ad indicandam ſanguinis miſſionem. 109
Viridariorum atque hortorum terram quotidie aqua nedum irrigari, ſed multum inundari. 34
Vitam hominis quæ conſervent & corrumpant. 38
—— longiorem ex quibus Ægyptii habeant. 38
Ulcerum ad peſte infectos uſus. 324
Ulcera inteſtinorum non ſanari niſi tollantur ipſorum cauſæ ſanguinis miſſione. 116
—— quancumque partem corporis obſidentia effatu digna non curari niſi præcedant vacuatio, atque purgatio. 116
Ulceribus ad cicatricem non devenientibus ſcarificatio utilis. 207
Ulcera orta ex uſtione articulorum ſubmucidorum eſſe ſanabilia. 216
Umbilici circumvolutio, qua ad dyſentericos Ægyptii utuntur quomodo poſſit fluxui dyſenterico eſſe auxilio. 226
Unguentis recte olentibus Ægyptii abundant. 230
Unguentorum recte olentium copiam incredibilem mulieres Ægyptias ad vulvæ ornatum. i.e. ad corrigendum fœtorem diſſipare. 241
Vomere quos juvet, & quibus officiat. 240
Vomituum aliquando uſitatorum utilitas. 237
—— uſu multos à podagra & aliis morbis ſe tueri. 249
Vomitationes; quo medicamento provocant Ægyptii. 239
Vomere in balneo facilius homines poſſe. 239
Urinæ, quæ craſſos humores abundare ſignificant. 159
—— craſſæ cum craſſis contentis, quid. 159
Uſus dulcium balneorum cur apud Ægyptios ſit frequentiſſimus. 229
—— balneorum præcipuus qualis. 229
Uſum refrigerantium medicamentorum cur Ægyptii frequentent. 7
—— leniter purgantium ubique plerique ſequuntur. 278
Uſus prævalidiſſimorum purgantium in quibuſdam morbis laudatur. 281
Uſum inurendi partes corporis antiquis fuiſſe familiarem. 220
—— inurendi partes cur Arabes frequentent. 210
Uſus inurendi partes ad quos morbos utilis. 210
—— vel leniter purgantium, vel valide purgantium in purgandis corporibus uter ſit melior. 278
Uterum opobalſamo juvari. 255

X.

Xilobalſamum verum Ægyptios habere. re 298
Xilobalſami loco carpobalſamum eſſe utendum. 298

Z.

Zarotus Medicus. 279

F I N I S.

# PROSPERI ALPINI

DE

# BALSAMO,

## DIALOGUS.

In quo veriſſima Balſami Plantæ, Opobalſami, Carpobalſami, & Xylobalſami cognitio, pleriſque antiquorum atque juniorum Medicorum occulta, nunc eluceſcit.

# INDEX CAPITUM.

## De Balsamo.


Cap. I. De Balſami planta, Succo, Fructibus, & Virgis eſſe loquendum. Pag. 81

— II. An Balſami planta, ejuſque ſuccus, fructus ac virgæ nunc reperiantur, & in quibus locis proveniant. 84

— III. Planta, quæ ab antiquis Arabiæ medicis Baleſſan, à Græcis βάλσαμον & à Latinis Balſamum vocabatur, fructuum, ſuccique deſcriptio. 94

— IV. Veri Opobalſami cognitio undè ſumatur, & qui ex antiquis verè hunc ſuccum litteris prodiderint. 100

— V. De notis, quibus verum Opobalſamum à non vero, ſincerum ab adulterato tutò cognoſcitur, ac diſcernitur. 104

— VI. Veri Carpobalſami, & Xylobalſami cognitio, & conſideratio. 111

— VII. Cur Petri Bellonii obſervationes in Ægypto circa Balſami Plantam factæ hic adnotatæ ſint. 116

— VIII. Ægyptii Balſami obſervatio ex Petro Bellonio in libro II. Itinerariarum Obſervationum, capite XXXIX. collecta. 117


---

# INDEX CAPITUM.

## De Rhapontico.


Cap. I. De Rhapontici planta, quam proximis annis in Rhodope Thraciæ monte vivere compertum eſt, cur agendum ſit. Pag. 125

— II. Rhaponticum quibus nominibus variis gentibus innotuerit, quidque ipſum fuiſſe conſtet. 128

— III. An hac ætate verum Rhaponticum antiquorum ad nos convehatur, atque cognoſcatur. 134

— IV. Rhapontici planta an fuerit veteribus cognita, & an hac ætate alicubi vivat, & qualis ſit. 138

— V. Plantam Rhapontici Thracicam, Lapathorum genere comprehendi, & quot ſint ipſius ſpecies. 141

— VI. Quæ inter radices Hippolapathorum, ad Rhei radices, quibus antiqui ad medicinæ uſum utebantur, proxime accedant, illarumque loco à noſtræ ætatis Medicis uſurpari poſſint. 144

— VII. De Rhapontici, & Hippolapathi longifolii viribus atque utilitatibus in medendo cognitis. 145


ILLU-

*ILLUSTRISSIMIS AC SAPIENTISSIMIS*

SENATORIBUS

# FRANCISCO PRIOLO, DIVI MARCI

PROCURATORI,

*Zachariæ Contareno,*

AC

# LEONARDO DONATO EQUITI

& Divi Marci Procuratori,

*Patavinæ Academiæ Curatoribus,*

PROSPER ALPINUS S. D.

Tantæ laudis Senatores Illuſtriſſimi, Balſami plantam apud antiquos junioreſque medicos fuiſſe legimus, ut ejus oleum, ſeu ſuccus, (quem opobalſamum Græci appellant) in toto terrarum orbe, ut divinum quoddam auxilium habitus atque celebratus fuerit. Vulgus etiam rem aliquam vehementer ad ſanitatem accommodatam,

balſamum vocare ſolet. Et quidem nihil in univerſa ſimplicium medicamentorum ſylva præſtantius, & dignius inveniri proditum eſt: neque id hercle immeritò. Quibus enim in arte medendi verſatis ad ulcera, vulneraque ſananda illius virtus eſt ignota? quantum lethalibus venenis, ſcorpionumque ictibus, & viperarum morſibus obſiſtat? Quibus etiam hujus ſucci nobilitas, in peſte, peſtiferiſque febribus arcendis mira efficacia eſt occulta? quandoquidem regum corpora eo olim imputria ſervari multorum teſtimonio conſtet; non ne putridæ febres ſæpe ſunt hoc ademptæ præſidio? Quid? non ne ex balſamo hominis corpus à cute ad viſcera uſque juvari experientia docuit? Mulieres eo ſibi illitam faciem pulcherrimam efficiunt, obortaſque in cute rugas abigunt. Atque hinc juventutem diu ſervari vulgatiſſimum eſt. Et ut paucis rem colligam, ac perſtringam, caput, ſtomachum, hepar, lienem, meſentereum, pulmones, renes, veſicam, uterum, ſpinam, nervos, muſculos, articuloſque omnes plurimum juvat. Etenim obortam oculorum caliginem abſtergit, viſumque vitiatum, vel deperditum reſtituit; aures dolentes, & in ipſis tinnitum ſanat. Præterea convulſis, epilepticis, vertiginoſis, reſolutis, atque trementibus mirum in modum prodeſt: tum reſpirandi difficultati, tuſſi, orthopnϾ, pulmonum frigiditatibus, fluxionibus, & doloribus ſubvenit. Stomachi calorem valde fovet, auget, atque roborat, & idcirco ejus cruditatibus, ac flatibus à diminuto calore excitatis, præſentaneum eſt auxilium. Meſeraicarum vero à jecore, ac liene venarum obſtructiones aufert, regiumque morbum curat. Interceptam ſæpe urinam provocat, calculoſque valenter frangit, & ipſos à renibus abſtergit, atque per uri-

urinam expellit. Uterum magis, quàm cætera membra reſpicit; atque omnibus ejus à frigiditate obortis malis præſtantiſſime ſuccurrit; Menſes ciet, partus, ſecundaſque educit, præfocationibus, & flatibus tutò medetur. Et quod non minus a multis deſiderari, atque expeti ſolet, fœminam iiſdem ex cauſis effectam ſterilem, fœcundam reddit. Cumque tam eximiæ balſami dotes exiſtant, ab antiquis etiam præclariſſimis medicis olim memoriæ traditæ, mirum non eſt tantopere Romanis Imperatoribus Veſpaſianis caram eam arborem extitiſſe, ejuſque cauſa ab ipſis cum Judæis aliquando dimicatum fuiſſe. Maximum uſum in medicina habuiſſe ſuccum, fructus, ac ligna, apud omnes liquido conſtat. Perficit enim multorum antidotorum compoſitiones, præſertimque Theriacam, atque Mithridatium, quæ a noſtris, eo ſublato, non ſine artis dedecore parantur. Cum hæc aliquando hic inveniri poſſe ignorent, audaciſſimeque, oblatum ſæpe ipſis hujus arboris verum ſuccum, fructus & ligna, vera eſſe negent; non poſſum ego non multum præſentem balſami calamitatem cum hujuſce temporis medicis dolere; cùm, etſi in multa Italiæ loca ex Ægypto ac Syria hujusce plantæ ſuccus, fructus, lignaque nunc verè comportentur, hæc tamen agnoſcere noſtri medici renuant; quinimo plerique affirment hoc tempore veram balſami plantam nuſquam gentium inveniri, minimeque ejus ſuccum, fructus, & virgas (quæ opobalſamum carpobalſamum, & xilobalſamum Græci appellant) ad nos veras comportari. Atque horum alii aſſerunt fieri quidem non poſſe, ut veri opobalſami ſatis, cujus quantitas non pauca ſæpe in his locis circumfertur, inveniatur, cum Ægyptus, ac Syria balſami plantis om-

nium conſenſu nunc careant; quando etiam priſcis ſæculis ex tota Ægypto multis iiſdem plantis referta, modicum quippiam illiuſce liquoris haberetur. Alii ex Felici Arabia huc illum delatum ſcientes, ſincerum eſſe opobalſamum negant, aſſerentes ſolam Ægyptum, ac Syriam illum olim habuiſſe, neque alibi inventum plantarum ſcriptores prodidiſſe. Hiſque rationibus perſuaſum eſt eis, ſincerum opobalſamum his temporibus non reperiri, quod ſi aliquando ſibi à quibuſdam ex Ægypto, vel Syria venientibus offeratur, eos irridentes, negant verum eſſe, atque à ſe rejiciunt, & in in parandis Theriaca, Mithridatio, & aliis nobiliſſimis compoſitis, eo haudquaquam uti volunt. Quod ego cum mea quidem ſententia peſſime, ac non ſine artis magno dedecore ab iis factum judicaverim, cumque ad nos legitimum ſuccum arboris, quæ à priſcis herbariis balſamus appellata eſt, ligna atque fructus ex pluribus locis adportari certò ſciam, non potui non ſummopere iſtorum ignorantiam, ac errorem ſummum admirari, & hujus eos erroris adductis rationibus redarguere, cum præiertim medicos omnes Ægyptios, Arabes, & Syros eundem ſuccum, fructuſque eoſdem, atque eadem ligna uno omnium conſenſu, citra ullam contradictionem, vel hæſitationem in componenda Theriaca, Mithridatio, aliiſque nobilibus antidotis, commendare, atque arripere cognoverim; qui alium nunquam fuiſſe opobalſamum, neque alias fructus, aut alia ligna ad medicinæ uſum recepta, atque apud illos uſitata affirmant. An verò quis Ægyptiis, Syris, & Arabibus in corundem medicamentorum cognitione, uſu, & experientia præferendos contendet Italos noſtros? qui neque locum, in quo arbuſculum vixerit, neque alibi illum vivere inſpe-

xe-

xerint? an potius illis credendum erit; qui in eodem loco cum iſtac planta multos annos vixêre, & illam ſæpe ſæpius tum viderunt, tum ſedulo obſervarunt? Quando etiam primi Baleſſam plantam eam nominarint. Quo nomine alii omnes & Græci & Latini libentiſſime uſi ſunt. Cum igitur illi Italis, cæteriſque omnibus nationibus in hujuſce plantæ, ſucci, fructuum, & virgarum cognitione jure præferantur, atque hæc vera ab ipſis credantur; & pro legitimis, ac veris ad omnia componenda medicamenta utantur, ſuccumque ex Ægypto, vel Syria huc advectum, nobiſque interdum oblatum, verum opobalſamum eſſe affirment: Cur & nos iiſdem uti, atque in medicinæ uſum eadem recipere recuſemus, potius quam aliud pro ipſis ad componenda medicamenta ſubſtituere? hincque multi mirari non debent, ſi Theriaca, Mithridatiumque hujuſce temporis antiquam amplius illam præſtantiam, ac nobilitatem non retineant, neque eximiæ illæ vires à ſeniore Andromacho decantatæ conſerventur,

*Hac fidens æſtu per rura vagabere Cæſar,*
*In Lybico quamvis progrediare ſolo.*

Quis enim medicorum erit, qui à viperis, Ægyptiiſque cum aſpidibus, tum ſcorpionibus, vel ab aliis hujusmodi ſerpentibus demorſos ſola Theriaca, vel Mithridatio curare hac ætate confidat? vel horum ſpe aconitum, vel napellum, vel toxicum innoxiè aſſumere audeat? Unde eſt, quod Theriaca vel à noſtris omni cura, ac diligentia confecta magnis illis careat omnino dotibus? Niſi quia antidotus hæc multa deſiderat ingredientia, quibus antiquis illis temporibus parabatur. Inter quæ

 prin-

principem ſanè locum obtinent opobalſamum, carpobalſamum, atque xilobalſamum, quorum loco noſtri pharmacopolæ alia medicamenta ſubſtituunt. Quamobrem multi Ægyptiacam Theriacam longe præſtantiorem prædicant, quod vera, ac recentia nuper dicta medicamenta in ejus compoſitione recipiantur. Id igitur ego, cum in Ægypto aliquot annos medicinæ cauſa moratus, animadvertiſſem vereque cognoviſſem, vera illa medicamenta ad nos ex iis locis non raro adportari, quæ à noſtris non ſine componendorum medicamentorum ingenti jactura ab uſu medicinæ rejiciuntur, falſaque vel adulterata eſſe dicuntur, decrevi veritatis cognoſcendæ ſtudio, de balſami planta, ſucco, fructibus, & virgis, quæ ſunt ad medicinæ uſum à veteribus medicis litteris tradita, atque nunc apud noſtros fere obſoleta, librum olim in Ægypto conſcriptum, quo omnium iſtorum cognitio comprehenditur, vobis Illuſtriſſimis, ac Sapientiſſimis viris legendum ac ſpectandum dicare? Ex quo, balſami veritate perſpecta ac cognita, operam detis, ut hæc præclara medicamenta, veſtra omnium opera, ac auctoritate ab omnibus medicinæ amatoribus dignoſcantur, atque in priſtinum medicinæ uſum revocentur: Anno ſalutis humanæ M. D XCII.

PRO-

# PROSPER ALPINUS

## AD

# LECTOREM.

*MUltos ab hinc annos in Ægypto Medicinæ cauſa moratus, nonnullos libros de illiuſce gentis tùm uſitata Medicina, tùm Plantis conſcripſeram; præſertimque de Balſamo Dialogum, ex quo arboris, ſucci, fructuum, virgarumque veritas hactenus pleriſque Medicis, & Pharmacopolis obſcura, cognoſceretur, claraque eluceſceret. Quos omnes ſanè libros ſimul in lucem prodere cogitabam. At hortatu quorundam amicorum, qui me aliorum librorum editionem non ita brevi tempore publicaturum putarent, ſententiam mutavi, maximeque nonnullis doctiſſimis Pharmacopolis obnixè ſuadentibus, qui Theriacam, Mithridatiumque nunc paraturi, ab Excellentiſſimo hujus inclytæ*

*tæ urbis Medicorum Collegio veri Opobalſami, Carpobalſami, & Xylobalſami veritatem, & hiſtoriam agnoſci exoptant, ut his ad prædicta paranda medicamenta, atque ad alia liberè uti poſſent. Non immeritò Theriacam Mithridatiumque his ablatis ab antiqua ſua excellentia, non parum deficere dubitantes. Ne itaque iſtorum deſiderio obſequi nolle videar, libellum hunc priùs emittere non ſum veritus. Hancque hujus celeris editionis cauſam Candide lector veram eſſe putato. Interim libros alios de Medicina Ægyptiorum vocatos (ſi modo hunc meum libellum Medicinæ ſtudioſis aliquo pacto arriſiſſe intellexero) propediem in lucem venturos expectabis. Tuque etiam quò animo ego Balſami diſputationem hanc, veritatis tantum agnoſcendæ ſtudio, atque juvandi deſiderio ſum proſecutus, eodem legendam accipies. Vale.*

# PROSPERI ALPINI
## DE
# BALSAMO DIALOGUS.

### Caput I.

*De Balſami planta, Succo, Fructibus, & Virgis eſſe loquendum.*

ABDELLA Medicus Ægyptius, ABDACHIM Hebræus, & ALPINUS Italus.

Quem ego nunc hominem conſpicio per hoc viridarium el Mattharia greſſus moventem; is certè meis oculis Abdachim Medicus videtur, vir honeſtiſſimis moribus (quamvis Hebræus) præditus, mihique multum familiaris: eum igitur conveniam, & ſalutabo. Salve Abdachim, Quàm diluculò hoc viridarium es ingreſſus; Quid tibi verò negotii eſt, ut tàm ſummo mane hùc te recipias. ABDACH. Te nunc huc conveniſſe, valdè lætor, quando jam diù te exoptaverim videre, ac tecum colloqui, Tibi optata hæc ſit dies, Ego ut viridarii hujus amœnitate, ſuaviſſimoque florum caſſiarum odore, auraque matutina frigidiuſcula me aliquantulum recrearem, huc acceſſeram. ABDEL. Cur verò viridarii iſtius plantas undique obſervas, neque te humi ſtratum ſub ficus hujus Ægyptiæ latiſſimis ramis conſpicio, ut quietiùs ita tùm animum, tùm etiam corpus recreares? ABDACH. Oculos hinc inde dimovebam, ſi aliquam Balſami plantam viventem potuiſſem inſpicere, cujus odoris eximio olfactu animales ſpiritus delectaſſem, quas cuſtodum negligentia exaruiſ-

ſe comperi, quod ſatis ægrè patior, plurimumque me tædet hoc viridarium illis nunc carere plantis, multumque ornamenti hac de cauſa hic deeſſe videtur. ABDEL. Ne te ob id excrucies, quandoquidem ſæpè aliàs aliundè adportatæ, atque hic inde inſertæ plantæ perierint, quæ nunc fortaſſe, aliis adhùc juſſu præfecti advectis, citò renovabuntur, ut ſæpè aliàs factum eſt. Sed quem video ad nos venientem; An Alpinus Veneti Conſulis Medicus? ABDACH. Ipſe eſt, cui nos obviam ire honeſtum eſt, quòd humanus hic ſanè vir eſt, atque affabilis. ABDEL. Quid iſtud eſt Alpine, quod nos te hic nunc offendimus? tuus adventus pluribus de cauſis eſt nobis jucundiſſimus. ALPIN. Viridarium hoc ſpectandi gratia huc me contuli, vobiſque pro veſtra erga me humanitate, plurimum debeo, neque parùm gaudeo, quod ambos vos hic offenderim, jam diu enim vos videre deſiderabam, nec immeritò, cùm vos pluribus nominibus tantopere obſervem. Neque eſt quod veſtram ego nunc in arte medica doctrinam coram extollam, neque quantum à vobis in ea profecerim, vel didicerim. ABDEL. Bonus es cùm hæc exiſtimas, utcumque res ſe habeat, à te amari nos ſummoperè expetimus. ALPIN. Gratias habeo, ſed timeo ne importuno meo adventu jam cæptos veſtros ſermones interturbem: eorum tamen, & veſtræ jucundiſſimæ conſuetudinis ſi fieri particeps mihi liceret, mirum in modum meus hic adventus mihi voluptati foret. ABDEL. Gratiſſimum nobis erit, nunc tecum vir doctiſſime colloqui, à quo pro tua doctina plurimum noſtros ſermones claritatis recepturos ſperabimus. ALPIN. Vobis gratiam habeo. Quid iſtud autem eſt, de quo ſermonem inſtitueratis? ABDACH. De Balſami planta, quam in hoc viridario aruiſſe comperi, inter nos commentabamur. Cujus jacturam mihi ægrè ferenti Abdella noſter in plantarum materia exercitatiſſimus, animum reſtituit, multas è Mecha olim etiam pluries delatas huc, inſitaſque fuiſſe, & planè revixiſſe narrans, atque etiam hoc modo ſæpè Balſami plantas renovatas fuiſſe, ut ſperandum ſit, nunc etiam præfecti Ægypti juſſu, ubi ad illius aures harum jactura aliquandò pervenerit, denuò inſtaurari

rari poſſe. ALPIN. Quid audio? illas plantas huc aliunde fuiſſe adportatas, eoque modo perpetuò inſtauratas? quaſi Ægyptus illis proprium ſolum non fuerit; non in ſermonem inanem ſpero me nunc incidiſſe, de Balſamo incæptum: de quo non pauca vobiſcum loqui jam diù deſideravi, quæ ſi vobis nunc grata fore putares, libenter proponerem. ABDEL. Gratam nobis rem facies ſi hac de re diſputationem aliquam promoveris: ex qua plurimum emolumenti pro tua doctrina, atque humanitate nos eſſe conſecuturos ſperamus, proinde quicquid eſt, quod à nobis ſcire velis, nunc in medium profer. ALP. Multum vobis pro hac re debeo, veterumque Ægyptiorum ſapientiam & humanitatem agnoſco. Verum ne longiùs verbis rem producam, de Balſami planta, ſucco, fructibus, lignis nunc vobiſcum diſputare deſidero, quando ego hactenus Scriptorum varietate anceps, ac dubius fuerim. ABDACH. Neminem Ægyptiorum, vel Arabum eſſe nunc arbitror noſtro Abdella in re plantaria magis verſatum: pluribus iiſdem plantis ab eo cùm hic, tùm alibi inſpectis, ac omni ſtudio obſervatis, ſed ut de hac re clariùs diſſeramus, in capita redigere te oportet, de quibus ſit ſigillatim diſſerendum. Quare iſtæc omnia nunc in medium profer. ALPIN. Dicendum à vobis primò cenſeo, an Balſami planta hoc tempore alicubi vivat, quando in hoc viridario, in quo hactenus à priſcis illis temporibus uſque adhuc vixit, planè exaruerit; atque non minus, an ab ea collectus ſuccus, fructus, lignaque ad nos perferantur, vel potiùs unà cum arbore cuncta perierint. Hæc in primis à vobis enarrari mihi cupio, quibus cognitis, ſigillatim de ſingulis agemus.

## Caput II.

### *An Balſami planta, ejuſque ſuccus, fructus ac virgæ nunc reperiantur, & in quibis locis proveniant.*

ABDEL. Quamplures Balſami arbores in multis Arabiæ locis nunc vivere, quarum ſuccus, fructus, ac virgæ hùc ad nos à multis adportantur, certiſſimum eſt. Neque id Ægyptios, Syros, Turcas, & aliarum nationum homines multos, Arabiæ loca peragrantes latet, quinimmò omnes annis ſingulis Mecham, & Medinam primarias Arabiæ Felicis urbes, peregrinationis gratia adeuntes, quantus in illis locis ſit ex arbore Balſami proventus, planè fateri poſſunt. Nam Mecham hinc euntibus, & ad villam quandam Bedrunia ab his vocatam, quæ diſtat ab urbe Cairi ſpatio dierum quindecim, accedentibus, mons pergrandis, arenoſus, propè eam villam poſitus continuò conſpicitur, Balſami innumeris arbuſculis refertus, quas ibi Mahemetis miraculo ortas noſtrorum multis perſuaſum eſt; Sed utcumque ibi natæ fuerint, nobis id ſufficiet, omnes ea loca quotannis peragrantes, innumeras ibi vivere comperiſſe; idque à quamplurimis hujusſce urbis incolis, qui olim, ex proximo etiam elapſo anno ea loca peragrarunt, audire, atque verum eſſe ſcire poteris. Multis quoque rationibus hæc veritas tibi à me perſuaderi poſſet, ſed ſi hujus veridarii Balſamis olim multis refertiſſimi terram aliquandò olfeceris, Balſami etiam nunc ſuaviſſimum odorem redolere ſenties, biſque, vel ter tantum, Sol ſuum peragravit orbem, poſtquam hæ plantæ cuſtodum negligentia periêre. At quid taces Abdachim, quem millies hic te illas inſpexiſſe certo ſcio? vel cur me Italo Medico incredulo veritatem hanc ſuadentem minimè adjuvas? ABDACH. Quid? An hunc noſtrum ſodalem medicum, multos annos hic moratum, plantarumque omnium ſtudioſum, hanc veritatem ignoraſſe dubitas,

bitas? Ego certè Balſami plantas innumeras diverſis temporibus ex Arabia advectas, hicque inſitas vixiſſe, certo ſcio, quas multi etiam alii Cairi incolæ inſpexerunt. ALPIN. Nefas eſſe, ac inurbanum putarim, tantorum medicorum teſtimonio non moveri, qui præter herbarum peritiam, in qua illuſtres apud pleroſque Ægyptios habiti ſunt, una cum Balſamo in eadem terra nati, vixerunt. Sed, ut ingenuè fatear, quamquam ego cum viris in medicina clariſſimis planè ſentiam, hujusque rei veritatem omninò cognoſcam, tamen hæc veritas non adeò uſquequaque mihi ſatiſfacit, ut poſſim aliis permultis Italiæ, aliorumque Europæ locorum medicis, atque Pharmacopolis incredulis hoc, ut cuperem, perſuadere; qui abſolutè affirmant, Balſami plantam nullibi hoc tempore reperiri, eamque planè periiſſe, ex quo ſuccum, fructus, & virgas hinc in Italiam apportatas falſas etiam eſſe ſtatuunt. Atque priſcis ſæculis, cum Balſamum tantum in Ægypto & Iudæa vixiſſe, Dioſcorides ac alii prodiderint, quibus in locis nunc eam plantam cum amplius vivere nemo referat, planè omnibus in locis periiſſe colligunt. Quam ſententiam ipſi pervicaciſſimè defendunt, neque omnino carere videntur argumentis, quibus proprium errorem tueantur. ABDEL. Quomodo quæſo iſtud eſſe poteſt; tantos ne medicos, doctiſſimosque herbarum profeſſores ita obcæcatos eſſe, qui non viderint, neque cognoverint, Balſami plantas neutiquam in ſuo nativo ſolo periiſſe? Quod autem Ægyptium, ac Iudaicum falſò Dioſcorides, atque alii crediderint, ex me paulo poſt cognoſces. Neque optimi illi ſunt Philoſophi, qui ita facilè vegetabilium ſpecies, quæ juxta Philoſophorum placita perpetuæ exiſtunt, tolli omninò poſſe, putent: Cælo etenim nullis cauſis ad generationem facientibus nunc deſtituto, terraque ac cæteris aliis elementis eodem modo nunc, ut olim, ſe habentibus, cur terram eaſdem nunc ferre plantas, ut olim faciebat, non poſſe dicemus? Grave tibi non ſit, quæſo, illos, qui Balſamum periiſſe affirmant, mihi referre, & quibus etiam rationibus in tàm falſam opinionem venerint, explicare. ALPIN. Parum intereſſe arbitror, te hoſce hoſce

homines nominatim cognoſcere, ſed ipſorum potiùs rationes audire, quibus negant hoc tempore Balſami arbores, atque ipſarum ſuccum, fructus, & virgas apud nos inveniri; id verò inceptæ disputationi ſat erit. Horum ſiquidem non pauci exiſtunt, qui non modo ad nos in Italiam prædicta vera comportari negent, ſed arbores quoque, è quibus illa colliguntur, prorſus periiſſe prædicent. Quam ſententiam valdè auxêre Amatus Luſitanus Medicus in aliis non ſpernendus, & Nicolaus Monardus Hispanus, qui Syriacum atque Ægyptiacum Balſamum periiſſe affirmantes, aliud genus Balſami in Occidentalibus Indiis naſci, prodiderunt: Balſamumque à Dioſcoride, Theophraſto, Plinio, ac a multis aliis herbarum antiquis ſcriptoribus celebratum, ac deſcriptum, eò affirmant periiſſe, quod prædictorum antiquorum Scriptorum teſtimonio conſtet, olim duobus tantum Judææ viridariis conceſſum fuiſſe, ut inter cæteros Plin. & Theoph. teſtantur, poſtea verò quàm Judea à Ptolæmeo Primo, Rege Ægypti, ac à Veſpaſiano devaſtata eſt, Balſamum in vallem Hiericum appellatam tranſplantatum fuiſſe, ibique vixiſſe Iuſtino, Strabone, Solinoque Polyhiſthore id affirmantibus, ſtatuunt. Et ab Artaxerxe, Perſarum rege, primo, ac mox à Romanis Adriano Cæſare rurſum tota ea regione bello everſa, prorſus Balſami plantan periiſſe. Tandemque in Ægypto paucas hoc in viridario adſervatas vixiſſe. Quo in loco non tantum priſcis ſeculis Balſamum vixit, ſed multo etiam poſtea, quaſi ad hæc uſque tempora plantam hanc hic conſervatam fuiſſe aſſerunt. Nunc verò, à multis, qui hoc tempore Ægyptum peragrarunt, hic quoque demùm eam aruiſſe, confirmatur. Qua hic extincta, cum Dioſcorides, aliique in Judæa tantum, & Ægypto Balſamum vixiſſe prodiderint, cui dubium erit, nuſquam gentium eam amplius inveniri poſſe? Ex quo ſuccum, fructus, virgas, pro vero Opobalſamo, Carpobalſamo, & Xylobalſamo, ab Ægypto, vel Syria in Italiam adportata, vera eſſe quo pacto affirmabimus? Meritò igitur hæc omnia falſa nos affirmaſſe videmur. Hincque tanta incredulitas, ac pertinacia invaſit eorum animos, ut potius in erroribus perſeverare, veraque ſibi ipſis oblata rejicere, quàm

quàm opinionem mutare velint. ABDEL. Vix me continre potui, quin ſuſceptum tuum ſermonem interrumperem, uſque adeò animum adverſus illos concitaſti meum, nullis rationibus, ſed meris nugis Balſami omnes plantas periiſſe, Opobalſamumque etiam, Carpobalſamum, & Xylobalſamum apud nos inventum falſum eſſe aſſerentes, ut tanta illorum impudentia excitus, quaſi quid loquar neſciam ac ne differam illis reſpondere, dico, ac edico tibi, Balſami frutices neque etiam in Ægypto planè periiſſe dici poſſe, quando ſæpè juſſu præfecti Cairi, quem Baſſa appellant, plantæ multæ ex Felici Arabia delatæ in iſto viridario inſerantur. Et nunc vix tertius agitur annus, cum Meſſinoris, per id temporis Ægypti præfecti, juſſu, quadraginta è Mecha advectæ, hic inſertæ fuerunt; quæ tamen cum per annum vixerint, rurſum cuſtodum negligentia perierint; quæ facilè etiam denuò renovari poſſunt. In Arabiæ verò multis locis innumeræ propemodum magno cum illiuſce gentis lucro, aluntur: neque ſatis diu eſt, quòd apud Arabes utilitas, & lucrum hoc cognoſcitur; etenim Opobalſami quantitas multa in Orientis loca comportatur, quibus in locis eum ſuccum in ſummo pretio eſſe, multi ex Arabibus, nunc Cairum habitantibus, narrant. Cujus ſucci lucro ab iis cognito omnes certatim multos Balſami frutices ex arenoſis, montuoſiſque locis in morbida viridaria transferre conantur. Quamobrem ibi innumera pulcherrima balſameta cernuntur. Lege tamen iis populis interdictum eſt, ne præter fiſcum quis eam plantam ſerere queat; neque ſuccum, vel flores, vel ramulos, vel fructus ſine publico mandato quis capiat. Idemque ibi de Balſami arboribus, atque hic de caſſiis ſolutivis accidit. Solet etenim hic alicui caſſiarum negotium locari, & ideò non licet quemquam caſſiam ex arbore capere, vendere, emere, aut emptam aliquo deferre. Quod itidem de Balſamo in Arabiæ locis obſervari, ex Arabum relatione planè conſtat. At quid illi Ægyptiarum ac Arabicarum plantarum ignari herbarii dicent, duobus ne tantum locis, quippè Ægypto ac Syriæ Balſamum olim (Dioſcoride, Theophraſto, Plinio, Juſtinoque id docentibus) conceſſum fuiſſe? quaſi aliorum antiquorum ſcriptorum teſti-

teſtimonio non conſtet, in pluribus aliis etiam locis olim hujusmodi plantam vixiſſe: nonne Diodorus Siculus 2. Hiſtoriarum libro, in quadam Valle Arabiæ Balſamum naſci, & non alibi memoriæ prodidit? Conſtantinus verò lib. de Gradib ait, naſci in India; & Joſephus etiam in lib. 8. de Antiq Judaicis, Sabam Reginam Balſami plantam ex Arabia in Judeam tuliſſe, Salomonique eam dono dediſſe, ex qua ibi aliæ poſteà plantæ propagatæ fuêre: & Strabo in lib. ſuæ Geograph. 16. hæc ſcripſit: „ His proxima eſt feliciſſima Sabeorum terra, quæ maxima na-„ tio eſt. Apud hos Thus, & Myrrha, & Cinnamomum naſci-„ tur, in ora etiam Balſamum, & alia quædam herbula valde o-„ dorata: Necnon & Pauſanias idem in lib. 9. his verbis confirmavit, dicens: „ De viperis vero iis, quæ in Arabia inter Balſa-„ mi arbores verſantur, diverſum quiddam accepi. Id hujuſmo-„ di eſt. Sunt Balſami arbores ea, qua mirti, ſtirpis magnitu-„ dine. Folia illis, qualia herbæ amaraco." Theophraſtus verò in Aſia etiam naſci prodidit. Incolæ quoque Baſiliani montis Libani, olim, Alexi Græcis imperante, in quodam loco illius montis Solis ortui expoſito Balſami plantas non paucas, è quibus tantum Opobalſami ſuſcipiebatur, quantum in Ægypto hic colligi conſuetum fuerat, diù vixiſſe narrant. Ex quibus certe ſciri poteſt, olim non ſolùm Ægyptum ac Judæum, ſed etiam Felicem Arabiam, & alia loca Balſamum aluiſſe atque habuiſſe. Quæ veritas etiam ex ipſomet Dioſcoride confirmari videtur, ſcribente; Corpobalſamum, id eſt Balſami fructus, ſuo tempore adulterari ſeminibus hyperici ſimilibus, ex Petra oppido delatis; ex quo certo colligitur Balſami plantam alibi quàm in Ægypto vivere, atque ſemina producere. Præterea verum quoque hoc eſſe ex me audies, non in Ægyptum ex Judæa, ut aliqui ſomniarunt, ipſum veniſſe, ſed ex Felici Arabia ſemper fuiſſe delatum: Ægyptiumque ſolum veluti neque Judaicum, unquam proprium, ac nativum ei fuiſſe. In his locis Balſamum perpetuò peregrinam plantam extitiſſe haud leve indicium eſt, eam ubique viridaria tantum aluiſſe, in ipſiſque tantum vixiſſe, ut Theophraſtus, Plinius, Strabo, ac Solinus meminerunt. Plinius enim hoc hiſce verbis ſignifica-

ficavit, dicens: „ Sed omnibus odoribus præfertur Balſamum, ubi
„ terræ Judeæ conceſſum quondam duobus tantum in hortis, u-
„ troque regio, altero jugerum viginti non ampliùs, altero pau-
„ ciorum. „ Theophraſtus verò hæc dixit: „ Balſamum in Valle
„ Syriæ provenit. Ejus arbuſta duo tantum affirmant, alterum
„ viginti jugerum, alterum multo minus. „ Et Strabo de Balſamo
vallis Hierici, hæc etiam memoriæ tradidit: „ Ubi & regia eſt,
„ & Balſami viridarium, quæ arbor aromatica eſt, & fruticoſa,
„ Cytiſo & Terebintho perſimilis. „ Quid? nonne omnes obſervant plantas peregrinas in viridariis tantum ali, ac cuſtodiri, quædam verò ex patriis tametſi etiam in viridariis aliquando ſerventur, nihilominus multa alia loca inculta, ſylveſtriaque iiſdem ſpontè natis non carere obſervantur? At peregrinæ in viridariis tantum magno ſtudio, ac diligentia aluntur & conſervantur; quod incultis, ſylveſtribuſque locis ſponte naſci, neutiquam conſpici ſolent. Hic verò Balſami plantam perpetuò advenam, vel peregrinam fuiſſe, & perpetuò ex Felicis Arabiæ locis advectam, plures unà nobiſcum Cairum nunc habitantes certa fide confirmare poterunt, qui omnes, plantas Balſami, quas hactenus hoc habuit viridarium, exinde comportatas fuiſſe variis temporibus obſervarunt. Multoque labore, ac cuſtodum diligentia vixiſſe, facileque ex leviſſima etiam cauſa aruiſſe, quibus arefactis alias rurſum ab illis locis extractas, hic inſertas renovataſque; & hoc modo alternatis vicibus Balſamum in hoc viridario hactenus conſervatum fuiſſe. Nemo plantas tanto labore ac diligentia in viridariis adſervatas patrias dicet, quandò patriæ ubique ſpontè naſcantur, creſcant, ac nullo labore in propriis locis vivant. Ex quibus nos planè certi eſſe debemus, Balſamum nunquam Ægyptiis ac Syris patrium fuisse, cum in viridariis ibi multa diligentia, ac cura ſemper fuerit cuſtoditum: quod tamen de Arabia Felici, cum Balſamum ibi perpetuò vivat, minimè videtur dicendum, nullibi etenim nunc; quòd ſciam, hujuſmodi planta, niſi Felici tantum Arabiæ conceſſa, reperitur. Quam regionem Diodori Siculi, Strabonis, Pauſaniæque teſtimonio, ut nuper dictum eſt, conſtat Balſami olim fera-

cem fuiſſe, quæ eodem modo etiam nunc innumeras ejus plantas ſpontè natas alit. Quam Balſami fertilitatem omnes Ægyptii, atque aliarum nationum homines annis ſingulis Mecham, Felicis Arabiæ urbem, adeuntes, veram planè eſſe confirmant. Copiamque ibi Opobalſami inſignem annis ſingulis colligi, fructuumque non minus, & virgarum (cum Balſami frutices ſæpe quotannis putent) quæ ad varias orbis partes vendenda ab his demandatur. ABDACH. At iſtæc vera eſſe concedentes, dicent, quam pro Balſamo tu, atque noſtri Felicem Arabiam nunc alere inquiunt, non eſſe Balſamum, ſed aliam plantam. ALPIN. Notæ hujus plantæ ab antiquis Scriptoribus deſcriptæ ac memoriæ traditæ, iſtud recte docere poterunt. Nam omnes conveniſſe videntur, (ut ex te ſpero me magis diſtinctè cogniturum) Balſami plantam fruticem eſſe, non admodum magnum, foliis rutæ proximis, perpetuò virentibus, atque ex ſtipitis cortice ſcarificato liquorem in primis album oleo ſimilem, eximio, acutoque odore præditum, manare. ABDACH. Millies tecum, Abdella, fruticem hunc ab Alpino deſcriptum me inſpexiſſe in hoc viridario ſcio. Verum qui hujuſce plantæ notas quærit, quibusnam hominibus magis credere debebit, Italis ne, an nobis Ægyptiis, qui unà cum Balſamo in hac civitate hactenus viximus, eamque arborem ſæpius in hoc viridario inſpeximus? Nemo certe ita fatuus erit, qui hac de re vobis, quàm nobis libentius credere, ac fidere maluerit. Hanc verò plantam pro vera arbore, quæ ab antiquis Balſamus appellata eſt, & in poſterum memoriæ prodita, noſtri omnes Arabes hucuſque conſtantiſſimè habuerunt, aliamque pro Balſamo ab aliis monſtratam nemo noſtrum uſpiam offendit, vel vidit, vel aliquem vidiſſe unquam audivit. His addo nomen hujuſce plantæ, quod eſt Baleſſan à noſtris ei fuiſſe impoſitum, à quo & Græci b littera carentes, in u mutata, βάλσαμον dixere, atque ab ipſis Latini Balſamum. Cur igitur Italis magis quàm noſtratibus de hac planta credendum erit? quando à noſtris & Itali, & Græci, vel nomen ipſius plantæ acceptum, didicerint. Quapropter Balſami cognitionem à Dioſcoride, The-

Theophraſto, atque ab aliis antiquis ſcriptoribus minimè petendam judico, ſed ab Ægyptiis & Arabibus, qui loca, in quibus Balſami plantæ omnium conſenſu olim vixerunt, habitarunt. Si Ægyptii, Arabes, Syri, atque alii omnes Arabica lingua utentes medici, citra ullam difficultatem talem fruticem nunc in Felicis Arabiæ locis cultis, atque incultis, domeſticis, atque ſylveſtribus naſcentem, tanquam verum Balſamum recipiunt, eodemque tùm ſucco, tùm fructibus, tùm virgis, pro vero Opobalſamo, Carpobalſamo, & Xylobalſamo, nemine ipſorum hæſitante, ad componenda medicamenta, utuntur, cur Itali etiam, atque alii aliarum nationum medici ab illis, qui magis quàm noſtri ſunt in ea cognitione, eoque uſu, exercitati, ac docti, idem facere recuſant? Certè indignum facinus eſt, vos hanc veritatem non fateri, ſed potiùs, quo minus à multis ea dignoſcatur, operam dare. ALPIN. Hæc doctiſſimè à vobis prodita fuiſſe arbitror, veruntamen quoniam cum medicis, Pharmacopoliſque incredulis diſputatio agitur, quæſo ſi quid aliud apud vos utique ſit, quod hanc veritatem adhuc etiam illuſtrare poſſit, ne vos me iſtud quoque docere pigeat, ut poſteà quam ego in patriam, Deo concedente, rediero, facilius id incredulis illis hominibus poſſim perſuadere. ABDEL. Cum anno à Beatiſſimæ Virginis partu MDLXXV. Petro Michaele viro Clariſſimo, pro Sereniſſima Veneta Republica Conſulatum hic agente, Eunuchus, Meſſir dictus, Ægypti Præfectus, Cairi civitatis hujus quæpiam loca inviſeret, huncque præſertim locum el Mattharia nuncupatum devotionis gratia (quando hanc in proximam domunculam olim Beatiſſimam Virginem cum puero filio, Herodis iram fugiendo, ſe recepiſſe, multosque annos in ea manſiſſe omnes Ægyptii opinentur, atque ob id hunc locum in ſumma habeant veneratione) ſingulis hebdomadis die Veneris, ſacrum, venerandumque hunc locum viſitans, viridarium hoc proximè poſitum aliquandò animi gratia ingreſſus, vidit omnes Balſami plantas cuſtodum negligentia aruiſſe; qua re commotus, ut è Mecha quadraginta plantæ afferrentur curavit, eamque operam cuidam militum, ac peregrinorum duci, Mecham ſingulis annis devotionis gratia profi-

ciſcentium, Haly Bei nomine locavit; qui mihi admodum domeſticus, atque familiaris fuerat, eumque ſæpè ex renum calculo peſſimè ægrotantem inviſeram, ac curaveram; plantaſque illas quadraginta præciſis ramis detulit, quæ in conſueto hujus viridarii loco inſertæ fuerunt, dumque ſererentur ego, unà cum Paulo Mariano eo tempore pro Gallorum Rege Conſule medicinæ quoque cauſa mihi familiari, atque cum multis etiam Cairinis medicis in re plantaria valdè exercitatis interfui. Ex ipſo autem Haly Bei Cairum reverſo veri Opobalſami binas uncias dono habui, atque ab alio, qui poſt hunc illud iter confecerat, vncias tres. Horrem Bei, alius Caravanæ peregrinorum dux, meus amiciſſimus, cujus in domo ſæpè tum ipſius, tùm aliorum cauſa medicinam feceram, peregre anno MDLXXX. Mecham profectus, atque ſic à me rogatus, attulit multa ſemina, & ramulos eximium odorem ſpirantes, atque multum Opobalſami à Seriph Mechæ partim acceptum, cujus modicam portionem dono dedit Franciſco Priolo, tunc temporis Cairi pro Veneta Natione Conſule Clariſſimo, & partim ab iis, quibus Balſami negotium locatum eſt, emptum. Poſtmodum Scander quidam, & ipſe dux militum, Medinam Felicis Arabiæ urbem pro prætore à Baſſa miſſus, mihi non minùs quàm alii, medicinæ cauſa familiaris, atque etiam quia ex Inſula Zacintho à Segurorum familia ortum duxerat, Balſami recentes ramos, fructus, ac ſuccum miſit, ac per literas ſua manu ſcriptas, ſignificavit propriis manibus ibi ea collegiſſe, quæ omnia apud me adhùc aſſervantur. Omnes prædicti nobiles Turcæ uno ore affirmant, propè Mecham & Medinam, in montibus, planis, cultis, atque incultis locis innumeras Balſami plantas ſponte natas ſpectari, plurimaſque etiam in arenoſis, ſterilibuſque locis, quæ tamen vel nihil vel minimum ſucci producebant. Multa tamen ſemina ferunt, quorum multa copia ad nos quoque vendenda mittitur. Quales ſunt in monte arenoſo apud Bedruniam Villam poſito. Nihil hæ, atque aliæ in arenoſis, ſterilibuſque locis viventes Opobalſami ferunt, ideo incolæ eas excerpunt, atque pingui in ſolo inſerunt, fœcundiſſimaſque reddere ſtudent. Addunt, apud omnes Arabes veterum memo-

riis

riis conſtare, paſſim in pluribus Felicis Arabiæ locis innumeras ſponte naſcentes, atque creſcentes Balſami plantas perpetuò vixiſſe, numquamque illa loca iis caruiſſe. Non multum temporis tamen eſſe, ex quo plurimi eas colere lucri cauſa cæperunt, cum ſcilicet Opobalſami facultas ac vires ad quam plurimas Orientis regiones conceſſerint. Narrant adhuc iidem omnes Arabes, uti Balſami ſucco, fructibus, ac virgis ad componenda ipſorum omnia medicamenta, atque ad alios medicinæ uſus, quæ eadem planè exiſtunt, quibus Ægyptii Syri ad uſum nunc recipiunt, quæque à vobis varia in Europæ loca hinc advecta, negliguntur, atque rejiciuntur, falſaque eorum multi (te auctore) pertinaciter, ac inutiliter eſſe diſputant. ALPIN. Ex his, quæ te vera dixiſſe arbitror, me non parum pudet, quod cum illis tot annos in tanto errore permanſerim, quem ex te nunc probè cognoviſſe fateor. Cupio igitur plantam hanc ſuis notis à te quoque deſcribi; in quam attollatur magnitudinem, qualibuſque floribus, & fructibus obſervata à vobis ſit; quo pactoque etiam ab ea planta Opobalſamum diſtillet, ſponte ne, an, ut multi dixere, arte potius elicitum. ABDACH. Hic nullas, quas ego viderim creſcere, flores, vel ſemina tuliſſe unquam ſpectare potui, etſi ſuccus interim paucus à cortice ſtipitis ſcarificato aliquando diſtillaverit. Verum hac de re Abdellam audiamus, qui hæc exploratiùs, & reliqua docebit. Interimque dum loquimur, mandes velim mancipio tuo, ut nobis hic è domo hujuſce plantæ iconem, quæ apud te eſt, deferat, ut Alpinus noſter veram Balſami Iconem videat. ABDELL. Recte mones, libenterque faciam. ALPIN. Ego verò utrique veſtrum multas hac de cauſa gratias referam. Mihique iſtuc acceptiſſimum ſemper erit.

## Caput III.

### *Planta, quæ ab antiquis Arabiæ medicis Baleſſan, à Græcis βάλσαμον & à Latinis Balſamum vocabatur, fructuum, ſuccique deſcriptio.*

ABDEL. Balſamum arbuſculum eſt, quod creſcit ad altitudinem hanne, vel liguſtri, vel cytiſi, folia pauciſſima gerens rutæ proxima, non tamen iis candidiora, ut Dioſcorides docuerat, ſed potiùs colore viridi ſubalbido, perpetuumque virentia. Ejus lignum gummoſum leneque apparet, colore exterius ſubrubro, cujus ramuli eodem colore conſpicui ſunt, longi, recti, graciles, paucis foliis inordinatim referti, foliaque ſimul terna, aut quina, aut ſeptena alæ adnata, aliquo pacto etiam lentiſci foliorum æmula; ſunt ramuli odorati gummoſi, digitiſque contrectati eis tenaciter adherentes. Flores fert parvos, albos, Acaciæ proximos, ternos ſingulis alis appenſos, quaſi in umbellæ formam, ſummè odoratos, à quibus ſemina promanant, flava, folliculis nigris ſubrubeſcentibus contenta, valdè odorata, intuſque humorem flavum melli perſimilem habentia, ſapore ſubamaro, parumque acri linguam ferientia, Opobalſamumque redolentia, Terebinthi fructuum figuræ, & magnitudinis æmula, extrema aculeata, & medium craſſum obtinentia. Cui deſcriptioni maximè quadrare videtur illa, quæ fuit à Conſtantino Africano tradita; quæ his verbis apud ipſum in libro de Grad. legitur: „ Balſamus eſt arbor in India „ creſcens, ſaliens ſuper terram menſura unius brachii, vel „ parum plus. Cujus rami rubeo viridique colore perfuſi qua- „ ſi rami titymali tenues ſunt, & colorem viridem habentes „ faciuntque in capite quaſi gemmas, parvaque grana in mo- „ dum piperis producentes. Ex fiſſuris ramorum hujus arboris, „ egreditur quidam liquor in canicularibus diebus, ſicut lac ex „ titymalo. „ Opobalſamum menſibus Junio, Julio, Auguſto, par-

partim ſpontè, & partim ſtipite ferro ſcarificato, diſtillat, in vitreaque vaſcula recipitur; quod ſtatim eductum, ut audio, colore eſt albo, qui paulò poſt in viridem, tertiò in aureum, & demùm in melleum mutatur. Ejus ſucci etiam ſubſtantia in primis turbida craſſaque, ut oleum ſtatim ob olivis expreſſum cernitur, poſteà tenuiſſima atque clariſſima, demum terebinthi modo craſſeſcit, odore eximio inprimis atque acutiſſimo terebinthum redolens, cum ſuaviori odoris fragrantia obſervatur, ſaporeque amaro, acri, & adſtringenti. Leviſſimum eſt in primis diebus, atque uſque adeo validi, & acuti odoris, ut aliquibus inter odorandum, ſanguis è naribus eruperit, & præ multa ejus levitate in aquam ſtillatum non deſidet, ſed ex alto in ea projectum parumper in ipſa mergitur, fereque continuò aſſurgens, ſupra totam aquæ ſuperficiem totum expanditur, eique miſcetur, & citiſſime ita in ea diſſolvitur, ut ab aqua maxima cum difficultate ſeparatum ſecernatur; in qua paulò poſt concreſcit, atque coagulatur, coagulatumque ſtilo totum ab aqua eximitur, quod tunc colore lacteſcit, ſive album, quale lac, viſitur. Quanto hic ſuccus annoſior, eò fit inodoratior, atque ad motum ſegnior. In primis itaque ſtatim albo colore conſpicitur, qui color pauciſſimis diebus in viridem, ut nuper etiam dixi, mutatur, oleique craſſitie cernitur, qui poſtea longo temporis intervallo depuratur, nonnulliſque annis tenuiſſimus evadit, atque clariſſimus, ex viridique colore in aureum ſplendidiſſimum tranſit, Senio vero confectus, craſſus qualis terebinthina fit, qui ſi in aqua, vel lacte ſtilletur, ſtatim conſidet, multaque cum difficultate, & non niſi longo tempore denuò ſupra aquam fertur, tardiſſimeque in ea diſſolvitur. Quare non ſecus quam in animalibus omnibus quatuor conſtituuntur ætates, quæ in ipſis maximam differentiam faciunt, & Balſami ſucco, quod Opobalſamum dicitur, proculdubio à noſtris quatuor tempora tribuuntur. Quandoquidem ille ſuccus ab arboris ſtipite continuò elicitus uſque ad quintum circiter annum acutiſſimi, validiſſimique odoris percipitur, leviſſimuſque uſque adeò obſervatur, ut in aquam ſtillatus, nihil vel parum conſidat, facillimeque diluatur, quod ejus calor in-

an-

annis infantiæ plurimus exiſtens, ei acutiem atque vehementiam præſtet. Craſſiori quoque ſubſtantia tunc cernitur, & turbida, quod cum multus in eo exuberet crudus humor, eo ob calorem in ipſo agentem valdè agitato, inſtar urinæ turbidæ, quæ in peſtilentibus febribus fieri ſolent, apparet, & quemadmodum puerorum corpora multa humiditate, atque multo calore prædita craſſa, ac ferè tumentia videntur; ita Opobalſamum in pueritiæ annis conſtitutum à multa humiditate excrementitia, cum validiſſimo calore in ipſa agente, craſſum, ac turbidum apparet, quod in grandiori ætate ab ea purgatur, tenuiſſimumque fit, & aureo colore clariſſimo ſpectatur; in quo ſtatu conſiſtentiæ, ipſius ætate continuante, conſervatur, poſteaque calore ejus nativo aliquatenus reſoluto, ac imminuto, ſeneſcens craſſum inſtar terebinthinæ evadit, ſolitoque tùm odore eximio tùm levitate deficit. Proinde neque ſupra aquam enatat, neque multum, & ſuaviter olet. Hæcque de Balſami planta, fructibus, lignis, ſucco tibi dicta ſufficiant. ALPIN. Quæſo ne te pigeat, ad nonnulla adhuc, quæ à noſtris, Balſami deſcriptioni repugnantia proferuntur, reſpondere, ac ſatisfacere, quando ea non parum hujuſce plantæ cognitam veritatem obſcurare, ancipiteſque nos reddere videantur. Antiqui etenim omnes balſami ſcriptores inter ſe in illiuſce plantæ, ſucci, fructuum, virgarumque deſcriptione diſcrepare videntur, ex quibus non videtur tutum ſatis eſſe illorum cognitionem perquiri debere. Qui fuêre in cauſa, ut noſtri ipſorum traditionibus imbuti, verum ſibi oblatum Opobalſamum, fructus, virgas, veras eſſe non crediderint. ABDEL. Summum ſemper errorem eſſe putavi, homines plantæ hujus, ſucci, fructuum, virgarumque cognitionem à Dioſcoride, Theophraſto, vel aliis antiquis ſcriptoribus velle expoſcere, quando iſta inter eos in deſcribendo frutice, ſucco, fructibus, & virgis, diverſitas certiſſimum ignorantiæ argumentum nobis fuerit. Ego ſum hujus ſententiæ, neminem illorum fortaſſè accurrate arborem hanc vidiſſe, ex audituque omnia de eis ab ipſis litteris prodita fuiſſe. Olim enim non erat ita facile hominibus loca, in quibus Balſamum naſcebatur, ex longioribus difficili-

oribuſque navigationibus, quibus eo tempore antiqui utebantur, adire, proinde multa Dioſcorides, Theophraſtus, atque alii multi ex hominum potius relatione, quam ex inſpectione de Balſamo ſcripſere. Hincque mirum non eſt, ſi in pluribus noſtri ipſorum ſententiæ inhærentes decepti ſint, quando & ipſos à falſis aliorum relationibus deceptos fuiſſe putandum eſt. An non Dioſcoridem, Theophraſtum, atque alios affirmantes, Balſami plantæ Ægyptum, vel Judæam patriam fuiſſe, cum dixerint eam ſolum in Ægypto & valle Judæa vivere, maximè erraſſe ſuperius demonſtratum eſt, cum illam plantam ex Ægyptiorum relatione perpetuò ex Arabia Felici in Ægyptum veniſſe certiſſimò conſtet? Ex quibus mirum quoque non eſſet, in aliis eoſdem deceptos fuiſſe, præſertimque in ſucci, fructuumque cognitione. Hincque his herbarum ſcriptoribus omnes medicos Pharmacopolaſque planè fidentes, erraſſe mirari non debemus, quando hoc ab illis, ut etiam dixi, ſed ab Ægyptiis, & Arabibus, qui tum primi Balſamum cognoverunt, atque obſervarunt, tùm etiam cum hujuſmodi planta in eodem ſolo nati ſint, atque eadem loca, in quibus vivit, & vixit Balſamum, habitarunt, iſtorum cognitio eſſet petenda. Sed quæ ea exiſtunt, quæ nobis repugnent, fac ut ex te jam audiamus. ALPIN. Quæ de Balſami arbore à multis olim litteris tradita fuere, nunc in medium afferam; Reliqua verò de ſucco, fructibus, virgis, ad uſum medicinæ memoriæ proditis, poſterius à me recenſenda arbitror. Multa igitur, variaque de hujuſce ſtirpis magnitudine, figura, ſitu, foliiſque à multis prodita ſunt, quæ non parum veritatem obſcurant, hominesque ancipites, ac rem hanc totam incertam efficiunt. Aliqui ſiquidem plantæ iſtius magnitudinem Lycii, Pyrachanthæ, vel Cytiſi, vel terebinthi magnitudini compararunt, ut Dioſcorides, Straboque dixere. Theophraſtus vero dixit ea magnitudine Balſamum ſpectari, qua magna mali Punici arbor obſervatur. Juſtinus ſimilem piceis arboribus affirmavit, & Pauſanias mirto; Plinius, Solinus, atque Africæ deſcriptionis auctor, viti hanc plantam compararunt. De ejus foliis non minor eſt apud illos diverſitas, deque arboris figura. Quando

do Dioſcorides, Theophraſtus, Plinius, Avicenna, Simeon Sethus Balſami folia rutæ proxima eſſe ſtatuerint, & Pauſanias amaraco, Juſtinus piceis, Solinuſque & auctor Africæ vitium foliis. De forma etiam vel figura arboris, alii arbuſtum, alii fruticem faciunt. Plinius enim de eo dixit: „ In totum alia „ eſt natura, quam noſtri, exrernique prodiderunt, quippè viti „ ſimilior eſt, quam myrto. „ Quod etiam Solinum dixiſſe ab illiuſce verbis conſtat, quæ hæc exiſtunt: „ Similes vitibus ſtirpes „ habent: ac Juſtinus.„ Siquidem palmeto & Opobalſameto diſtin„ guitur. „ Arbore Opobalſami formam ſimilem piceis arboribus „ habent.„ Et Strabo:„ Quæ arbor eſt fruticoſa Cytiſo & Terebin„ tho perſimilis. „ Nonnulli etiam affirmant, plantam hanc ali aqua, illaque tantum, quæ in proximo fonte illiuſce proximæ domunculæ ſcaturire cernitur, ajuntque miraculo id fieri; quando ipſa ſit pluribus virtutibus prædita, quòd Virgo Beatiſſima olim ibi multos annos morata, ea aqua, tùm ad potum, tùm ad cibum, tùm ad mundandos panniculos Jeſu Chriſti pueruli uſa fuerit: ex quo tanta in veneratione omnes viri mulieresque Ægyptiæ, Arabes, etiam Mahometis aſſeclæ, eam habuerunt, ut ipſa ad multorum etiam morborum curationem confidenter utantur. Multique ex longinquis, remotiſſimiſque locis hùc veniunt, ut ex hujuſmodi aqua accipiant: quare nonnulli Balſamum hujus aquæ beneficio hactenus hic vixiſſe ajunt. Hæcque ſunt, quæ de arbore iſti dicunt. ABDEL. De Balſami fruticis altitudine, figura, ac foliis, ea quæ ex te nunc propoſita ſunt nihil veritatem hanc obſcurare poſſunt. Namque Dioſcorides, atque alii, qui hanc plantam magnitudine ſimilem eſſe lycio, cytiſo, terebintho, & pyracanthæ, affirmarunt, minimè errarunt, cum hæc omnia arbuſta magnitudine non multum inter ſe differant, eiſque planta Balſami major non ſit, ſed hic nullæ cernuntur arbores Balſami, quæ ita magnæ ſpectentur, ſiquidem grandiores, quas hic aliàs viderim, non asſurgunt ad majorem trium cubitorum altitudinem. Audio tamen in Arabiæ ſolo eas plantas ad prædictorum arbuſculorum altitudinem, & majorem etiam excreſcere. In Ægypto, & Arabia mali Punici arbores parvæ exiſtunt, ita, ut inter arbuſcu-

ſculorum fruticumque numero ibi connumerentur, neque ad tantam aſſurgunt altitudinem, quales in Italiæ locis obſervantur, quare neque Theophraſtus reprehendendus erit, quòd ſcripſerit, eſſe magnæ Punicæ arbori Balſamum ſimile, quando hæ noſtræ Italicis longè ſint humiliores. Juſtinum verò, quod picei arbori plantam Balſami ſimilem aſſerat, deceptum omninò fuiſſe, credendum eſt. Ex ipſiuſque verbis error apparet conſpicuus; nam piceis arboribus Balſamum ſimilem eſſe dicens, ſubdit,& in vinearum morem excoluntur: quis tamen uſpiam vidit piceam arborem viti ſimilem, & in vinearum morem excoli? Inter quas quanta ſit differentia, non eſt, quod nunc demonſtretur. Fuiſſe verò Balſami plantam ramulis fruticoſis, ac ſarmentoſis viti ſimilem dubium quidem non eſt, ut neque etiam, quemadmodum vites, annis ſingulis putari, quod ſit admodum fruticoſa, & ſarmentoſa. Non tamen quod ad folia attinet, viti ea planta eſt ſimilis, cum foliis referta ſit rutæ aliquatenus proximis, præſertim verò extrema tria foliola, quæ in ſingulis virgæ Balſami alis cernuntur, quando ipſa ſimillima ſint tribus iis foliolis in extremo virgæ alæ rutæ poſitis; colore excepto: neque abſurdum eſt, Pauſaniam dixiſſe Balſamum folia habere amaraci æmula, quoniam ſuſpicor ego ipſum plantam Balſami non adultam, ſed tantum recenter ex ejus ſeminibus natam inſpexiſſe, quæ folio, magnitudine, ac figura amaraci foliis omninò ſunt ſimilia, excepta earum craſſitie, ac colore, quibus ea folia invicem differunt, nam in amaraco ſunt graciliora, & albidiora. Balſamum, quod ex ſeminibus naſcitur, bina folia in primis habet, bifoliis naſcentis vitis maximè ſimilia, & quæ poſt hæc, quæ ſunt tria, quatuor, vel quinque, produntur, amaraci foliis ſunt proxima; Quæ verò tertio naſcuntur ſingula trina exiſtunt, rutæque proxima cernuntur. Repeto, prima naſcentia folia bina ſunt, ſecundo nata, his multum diverſa produntur, inordinatimque in virga. Tertio producta trina cuilibet alæ appenſa, cernuntur, quæ rutæ ſunt proxima, tribus inquam, foliolis in extremo alæ virgæ rutæ conſpicuis. Quarto, quæ naſcuntur in virga Balſami, ſunt quina, & poſtea ſeptena. Hæcque ſunt Balſami folia, aliter quam Scriptores antiqui deſcripſerint, in hoc viridario in fruti-

cibus Balſami ſæpiſſime viſa, ex quibus atque aliis fortaſſe Dioſcoridem, atque alios multos antiquos Scriptores viventem Balſami plantam non inſpexiſſe, jure ſuſpicamur. Hanc etiam arborem in hoc viridario vixiſſe certùm eſt, aqua ex hoc proximo fonte, in quo Beatiſſimam Virginem panniculos Salvatoris noſtri pueri olim perpetuo laviſſe noſtri omnes autumant, irrigatam; tamen in arenoſis, ſqualidiſque locis non paucæ reperiuntur, quæ tamen quoad Opobalſamum ſteriles exiſtunt. Atque hæc obiter de Balſami planta dicta à nobis ſint. Nunc ad Opobalſamum deveniendum. Sed Balſami plantæ ramos, quos mihi domo mancipium detulit, abſoluto de ipſo ſermone ſpectabimus.

## Caput IV.

### *Veri Opobalſami cognitio undè ſumatur, & qui ex antiquis verè hunc ſuccum litteris prodiderint.*

ABDEL. Quid inquies Alpine de Balſami planta? nonne à nobis probe, ut veritas exigebat deſcripta eſt, deque ejus foliis, floribus, fructibus, ac virgis, quæ dicta a me ſunt, vera tibi eſſe videntur? ALPIN. Omnia ſanè rectiſſimè, ac veriſſime es proſecutus, ſed ſuperſunt tamen quæpiam de ſucco quoque, fructibus, ac virgis dicenda, cum antiqui Scriptores, qui de Balſamo ſcripſere, ſimul in horum deſcriptione inter ſe nihil ferè conveniſſe viſi ſint: quorum diverſitas, ut de arbore etiam nuper dictum eſt, fuit cauſa, ut multi negarint, quæ pro Opobalſamo, Carpobalſamo, & Xylobalſamo monſtrantur, vera utique eſſe, nullumque ob id ipſos credere, ſincerum ac legitimum Opobalſamum ad nos adportari: de quo primo ſermonem à nobis haberi cupio, mox de cæteris. De Opobalſamo igitur multi hujus ſunt opinionis ut arbitrentur, ſincerum ad nos non advehi, neque injuria, quando ex te deſcriptum Opobalſamum, à nobiſque ſæpius inſpe-

ſpectum, diverſum ſanè videatur ab eo, quod omnes priſci rei herbariæ Scriptores memoriæ mandarunt. In primis enim album, multi ipſorum, eſſe prodidere, Strabo ſiquidem dicebat: „ Ejus corticem ſcindentes ſuccum in vaſis ſuſcipiunt „ tenaci lacti perſimilem. „ Et Plinius. „ Succus è plaga manat, „ quem Opobalſamum vocant, eximiæ ſuavitatis, ſed tenui gut- „ ta ploratu, lanis parva colligitur in cornua, ex his novo fictili „ conditur, craſſiori ſimilis oleo, & in muſto candida. " Et Simeon Sethus, vir in Balſami hiſtoria aliis non poſtponendus, dixit: „ Succuſque inde manabat omni oleo viſu ſimilis, quod „ ideo Balſami oleum nominatur, ſuccus his aggregatus vaſcu- „ lis excipiebatur, & id quidem, quod ſupernatabat, album ac „ tenue erat, & ideo precioſius. " Alii ſunt rurſus aſſerentes, hunc ſuccum non eſſe tenuem, ſed craſſum, veluti qui dixere in conchis ſuſceptum coagulari: cum verò Opobalſamum, quod tu deſcripſiſti, & nos ſæpè inſpeximus, vel viride, vel aureum, vel mellis colore obſervetur, interdumque turbidum, interdum clarum, ac tenue, aliquando ut terebinthina craſſum cernatur, (nemo enim noſtrum eſt, qui eum ſuccum tot prædictis differentiis evariatum non viderit, ſcilicet oleoſum, viride, aureum, ac melleum, clarum, turbidum, tenue, craſſum) de ipſo varios, & dubios eſſe mirum non erit. ABDACH. Facile has ambiguitates noſter Abdella ex animis noſtris abiget. Præſertim cum harum explicatio ex iis pendeat, quæ dudum ipſe attulit. Dixit enim Opobalſamum, juxta ejus ætates varias, variari & ipſum, quoad colorem, ſubſtantiam, perſpicuitatem, odorem, & levitatem; continuoque à ſtipite inſtillatum ac exceptum, albo colore conſpici, præſertimque quod ſupra enatat, veluti minus quod ſubſidet, qui color paululo momento in ſubviridem oleoſum mutatur, qui poſt quinquennium, ut ſuperiùs etiam dictum meminimus, aureus fit, ac demum ſenio confectus craſſeſcens, mellis colorem, obſcuriorem tamen accipit. Tot etiam mutationes in perſpicuitate; ſubſtantia, odore, levitate, ejus varias ætates facere aliàs dictum eſt, quandò Opobalſamum recenter eductum per quinquennium turbidum maneat, à quo tempore clareſcere incipit, per de-

decenniumque ferè ipſum clariſſimum, ac ut aurum ſplendeſcere obſervatur, poſtea ſeneſcens turbidum rurſum evadit. A ſtipite etiam ſtatim exceptum tenuiſſimum eſt, pauloque poſt parum craſſeſcit, atque hinc Strabo dixit, ſuſceptum in conchis coagulari, peractoque quinquennio, quod tempus pueritiæ datur, purgari, fæcemque in fundum vaſis deponere, tenuiſſimumque fieri, & totidem geminatis peractis annis ſeneſcens craſſum, craſſiuſque fieri, quo annoſius. Odor non minus & ſapor, in recentiſſimo validiſſimus eſt, in medio tempore odor fit ſuavior, thus ac terebinthum redolens cum ſuaviori tamen odoris fragrantia, ſapor eſt amarus, ſubacris, atque adſtringens. Demum in ſenio omnia hæc maxime remiſſa percipiuntur. Hincque Plinium deceptum fuiſſe arbitror, qui putaverit, optimi hujus ſucci lachrymam fricando percipi odoratam. Si quidem Opobalſamum ſenio ſolummodo confectum inodoratum fit, ut tunc ſolum frictione dignoſci queat. In principio etiam hic ſuccus leviſſimus eſt, qui quam maxima difficultate in aqua, vel alio liquore inſtillatus conſidat, ſed continuò in aquæ ſuperficiem feratur, citoque cum aqua diſſolvatur: annis verò conſiſtentiæ medio ſe habet modo, ſeneſcenſque, colore ejus imminuto, craſſeſcit, quo fit ut ſubito in aquam projectus conſidat, tardiſſimeque ſurſum in aquæ ſuperficie feratur, difficillimeque ac tardiſſime cum ea diſſolvatur. Hæcque etſi non ita concinna oratione, tamen ad Tuarum difficultatum explicationem accommodata ſatis eſſe Abdella noſter judicabit. ABDEL. Ego verò ſic ea vera judico, ut omnes, qui de Opobalſamo ſcribentes, aut loquentes ab his diſſenſerint, rem prorſus ignorent, ex quibus Plinium ex variis coloribus, ac ſubſtantiis in Opobalſamo inſpectis, varias ejuſce ſucci differentias vel ſpecies facientem erraſſe clariſſime patet; dixerat enim ille: „ Lachrymæ probatio; ut ſit pinguis, tenuis, ac modice ruffa, „ & in fricando odorata, ſecundus candidus color, pejor viridis craſſuſque, peſſimus niger. „ Nemo Ægyptiorum, vel Arabum album Opobalſamum niſi ex arbore recentiſſime ſtillatum vidit, qui tamen color quam pauciſſimis diebus evaneſcit, atque, ut dictum eſt, in olei colorem vertitur, atque ab eo

co-

colore in aureum, & denique in melleum obſcuriorem. Nigrum verò nunquam ab aliquo noſtrorum, vel Arabum viſum eſt, neque auditum. Niſi fortaſſe produceretur noviſſime ab Occidentalibus Indiis delatum, à quibuſdam pro legitimo Opobalſamo, ut ſuperius quoque meminimus, receptum. Quod tamen falſum eſſe planè conſtat, cum ii, qui ejus hiſtoriam ſcripſere, affirment illum ſuccum improprie Opobalſamum vocatum, in Occidentalibus Indiis ex procera, ac magna arbore naſci, quæ quidem magnitudine, figura, ramis, foliis, fructibus à vera Balſami arbore longiſſime differt. Quod iis qui utramque norunt arborem, non erit difficile perſuadere; ALPIN. Simeon Sethus confirmare & ipſe videtur, optimum Opobalſamum recentiſſime à ſtipite deſtillatum album colorem habere, nec non, & Strabo, qui Opobalſamum lacti ſimilem eſſe ſcribit. Sed quamquam hujuſce ſucci albus color pauculis diebus a ſtillatione evaneſcat, atque in alium colorem mutetur, nihilominus, quod non paucis valde admirandum videbitur, Opobalſamum oleoſo colore inſpectum, in aqua vel lacte ſtillatum, album rurſum videri: & idem etiam facere aureum, & melleum, perpetuoque verum Opobalſamum cujuſcumque coloris ſit, in aqua, vel lacte ſtillatum, ac liquatum album ſpectabitur. Hincque Dioſcorides doctiſſime dixit: „ Quin etiam „ ſincerus in aqua, aut lacte celerrime liquatur, coloreque la-„ cteſcit. „ Nunquam quiſquam Opobalſamum viſui non album eſſe judicarit, quod tamen verum eſſe experientia docebit, ſi inquam, quis ſinet ſtillatum in aqua, liquari, ac coagulari, ipſum etenim liquatum ſupra aquam ita album redditur, ut vix ab aqua diſtinguatur, ſed paululo momento in ea coagulatur, eique inſtar telæ albæ incumbere, & in ea ſupernatare cernitur, manifeſtiorque ejus albus color fiet, ſi coagulatum ſtilo quopiam ab aqua eximatur, aut extrahatur. Sed hæc illius ſucci experientia per æſtatis tempus eſt facienda, vel ſi hyeme, prope ignem, Opobalſamo probe prius calore attenuato. At cur ex albo tam citò in alium colorem mutatur? ABDEL. An quod lactei illiuſce coloris ſubſtantia mollis, ac tenuiſſima, quam citò reſolvitur ac diſſipatur? vel quia

non-

nondum ejus calor prævalidus in eum ſuccum agendo ipſum turbavit? Idem in Zebet obſervatur, etenim ſtatim è teſtibus extractus lacteo colore inficitur, pauloque ebullire incipiens, vireſcit, & tandem ſubnigreſcit. ALPIN. Recte ſunt a te hactenus explicata, & enarrata omnia. Nunc igitur ego idem a te fieri cupio, pro indagandis, ac docendis notis vel ſignis quibus verum à non vero, ſincerum ab adulterato rectè diſtinguatur.

## Caput V.

### *De notis, quibus verum Opobalſamum à non vero, ſincerum ab adulterato tutò cognoſcitur, ac diſcernitur.*

ABDELL. His notis quiſque probè ac exactiſſime verum hunc ſuccum, a non vero, & legitimum ab adulterato dignoſcet, neque ab aliquo ita facile decipi poterit, etenim ſuccus is, qui nondum ad ſenium inclinare ceperit, colore albo conſpicitur (quod rariſſimè, & non niſi dum ipſum è ſtipite ſtillat, vel recentiſſimè eductum videre contingit) vel viridis eſt, oleoſus ſubturbidus, oleoque ſubſtantia & colore valdè ſimilis, vel aureus fulgentiſſimus, tenuiſſimus, atque clariſſimus. Qui ſanè omnes has notas habebit, vehementis erit odoris, & quo magis etiam recens eſt, acutioris, terebinthum cum alio ſuaviori odore redolentis, gratiſſimusque olfactui erit. Guſtu etiam ſubamarus, adſtringens, & modice mordens percipietur, levis, diluique facilis, quæ nota, eo inſtillato in aqua vel lacte dignoſcetur, levis enim exſtabit, & vel nihil ſub aqua morabitur, vel parum, & quaſi continuò ſupra eam ſurſum aſſurget. In qua citò diluitur, vel liquatur, nil unctuoſi retinens, vel oleoſi, tenax, ſive lentore aliquo præditus eſt; hiſque omnibus notis verum, ſincerumque Opobalſamum ſemper omnibus apparebit. ALPIN. Poſſit ne quis aliquod factitium oleum ita ſimile Opobalſamo para-

rare, ut eo multos decipiat? ABDEL. Sine dubio, cum Galenus ſuo tempore etiam ipſum uſque adeo adulterari dixerit, ut vix adulteratum cognoſceretur. Veruntamen quod adulteratur, neceſſe eſt, ut aliquo liquore, vel oleo, vel unguento vitietur. Dioſcorides dixit, Opobalſamum vitiari poſſe admiſto terebinthi, cypri, lentiſci, balanique unguento, & ſuſino, metopio, melle, cypriaque cera liquida. Serapio his addidit oleum roſaceum, myrtinum, & de alcanna, quod cyprum appellant. Plinius ex ſeminibus veri Balſami, quæ vocant Carpobalſamum, extrahi ſimile oleum aſſerit, qua vi multi ex ipſis oleum exprimunt, vero Opobalſamo admodùm ſimile, quod tamen ab eo diſcernitur amariore ſapore, odoreque Opobalſami longè obſcuriore. Prodit etiam ipſum adulterari poſſe oleo roſaceo, cyprino, lenthiſcino, balanino, terebinthino, myrtino, reſina, galbano, & cera cypria, quæ ſanè eadem exiſtunt, quorum nuperrimè Dioſcoridem ſub nomine vnguentorum meminiſſe, dictum eſt. Sed forſitan melius ipſe dixiſſet, oleis, quàm unguentis adulterari poſſe, quod ille ſuccus tenuis perinde ac oleum ſit, minimeque craſſus, niſi ſenio fuerit confectus. His igitur Opobalſamum vitiari poteſt, cujus maleficium facilè deprehenditur, oleoque adulteratum trifariam detegitur, atque in primis, quod digitis contrectatum, nullo lentore, vel viſcoſitate adhæreat, quando verus Balſami ſuccus lentore, ac viſcoſitate quapiam non carere à nobis aliàs dictum ſit, à multiſque ex antiquis ſcriptoribus confirmatum, oleo ſiquidem reſinarum omnium tenacitatem abigi omnibus manifeſtum eſt. In aqua prætèrea inſtillatum ſupra ejus ſuperficiem orbiculorum formis expandi nemo noſtrum ignorat. Quod ſincerum Opobalſamum non facere poſterius docebitur. Demum in panno oleo infecto macula relinquitur, quæ & difficile aufertur, & quotidie etiam magis majorem in circulum expanditur, quòd non fit in ſincero Opbalſamo. His igitur notis Opobalſamum oleo vitiatum cuique patere poterit. His etiam comperietur vitium, ſi unguenta iiſdem oleis compoſita miſceantur, ſed hoc amplius iis aderit, quod in Opobalſamo parvi temporis ſpatio in fundo vaſis unguenta ſidere

neceſſe eſt. Cera vero miſtum comprehendetur turbido colore, nunquam clareſcente. Melle etiam infectum dulcis ſapor detegit, atque ad ipſum, ut Plinius quoque teſtatur, muſcas alliciet. Reſina adulteratum in carbones inſtillatum, nigriorem flammam edit, ſubſtantiaque craſſiore quàm in ſincero ſit, ſpectabitur. Sincerum vero his notis innoteſcet, namque præter ea ſigna, quæ illum juxta varias ætates præſeferre diximus, hæc etiam addidimus, ſcilicet præterquam quod ſit validi odoris, in aqua etiam ſtillatum, tametſi parva ſatis ſit gutta, ſupra totam aquæ ſuperficiem expandi, eamque liquatum totam ſupernatare, ac obtegere, atque in ipſa etiam citò coagulari, lactiſque colorem adipiſci; ac non minus ex ipſa coagulatum totum ſtylo quopiam excipi, ac auferri, quodque fuſum in laneam veſtem, eam, ut oleum non inficit, quamquam ei adhæreat, lacque coagulat, etſi non ita, ut coagulum facit, quia lac non perfecte coagulat, quinimo cum ipſo coagulatur. ALPIN. Multo plura, quàm tu de ſinceri Opobalſami, ac vitiati notis complexus es, apud multos leguntur. Dioſcorides ſiquidem hæc utique nobis prodiderat. „ Succi probatio eſt, „ ut ſit recens, validi odoris, ſincerus, non ad acorem ver- „ gens, dilui facilis, lævis, adſtringens, ac modice mordens „ guſtu. Et ubi ea, à quibus Opobalſamum poteſt adultera- „ ri meminerat, hæc ſubjunxit. Namque merus in laneam „ veſtem fuſus neque maculam facit, neque ſi eluatur notam „ relinquit. Vitiatus autem inhæret, & lac inſtillatus coagu- „ lat, quod adulteratus non efficit. Quin etiam ſincerus in „ aqua, aut lacte celerrime liquatur, coloreque lacteſcit, vi- „ tiatus verò olei modo innatat, ſe convolvens, aut in ſtellæ „ modum diffundens, ſincerus ſeneſcens craſſeſcit, deterior- „ que redditur. Hallucinantur, qui aqua concretum peſ- „ ſum ire & ad ima ſidere, arbitrantur, poſtea diſſipatum ſu- „ pernatare." Et Plinius ait, ſincerum inhæreſcere, & in tepida aqua ejus guttam coagulari, & ad ima ſidere, lac coagulare, & in veſte maculam non facere. Et Avicenna: lac coagulare, aquæque ipſum miſceri, & in ipſa denſari, denſatumque conſervari, atque à goſſypio receptum ablui poſſe. Se-

ra-

rapio eadem à Dioſcoride jam recitata, de ipſo nobis prodidit. Simeon verò Sethus hæc & ipſe ſcripſit: „ At verò
„ nonnulli hac ratione probant, quod ferrum eo inunctum i-
„ gnique admotum incandeſcat, id quod & oleo caphuræ,
„ aliiſque dictis oleis accidit. Alii quod in aquam datum mi-
„ nimè ſupernatet, ſed ſtatim fundum petat. Vere hoc quidem,
„ ſed enim quando hæc duo concurrunt, videlicet ferrum can-
„ deat, & in aqua facile ſubſiſtat, de eo ſtatim arripe. Eſt
„ enim legitimum, & non factitium. Scire autem præterea o-
„ portet, quod dùm recens eſt, & in proprio vigore ſuper aquam
„ enatat, actum ita probatur. Linteo in eo irrigato, ac poſtea
„ ſublato à linteo totum recedit, non colorem, ſed odoris dun-
„ taxat ſuavitatem illi relinquens. " Hæc omnia, ac inter ſe admodum diverſa cum apud hos graviſſimos plantarum Scriptores legerim, atque Opobalſamum, quod tu vere ſincerum affirmas, apud me ſit, non omnia quæ ab his Scriptoribus de eo perdocta, repræſentet, quinimo aliqua ſint, quibus ipſum planè non reſpondere videatur; quamquam enim ipſum recens ſit, minimeque ad ullum acorem vergens; validique odoris, oleoſi coloris, turbidum in primis ejus annis obſervatum, mox clarum, aureum, ſubamarum, adſtringens, & modicè mordens guſtum, tenax, leve, dilui facile, lacque coagulet, & linteum non inficiat, atque, ut ait Avicenna, aquæ etiam ſtillatum miſceatur, in ipſaque coaguletur, ſupraque aquam coagulatum enatet, atque eo etiam ferrum, ut Sethus ipſum hoc experientia cognoſcendum voluit: inunctum probè in ignem poſitum candeat. Tamen, quod apud omnes prædictos antiquos Scriptores affirmatur, quippè ipſum laneæ veſti inſtillatum aqua ablutum, omninò ab ea abigi poſſe, nihilque ei adhærere, nunquam potui obſervare. Nullum enim reperitur Opobalſamum quod inſtillatum in pannum, ei aliquatenus non adhæreat: ex quo ego etiam puto, nullum verum Opobalſamum eam experientiam facere poſſe, quando ipſum; ut in aliis omnibus reſinis obſervatur (cum ſuccus reſinoſus ſit, inter reſinaſque poſſit ſine errore recenſeri) viſcoſitatis ac lentoris non ſit expers. Ex quibus valdè de hujus ſucci ſigno, ab antiquis ferè omni-

bus animadverſo dubius, ac anceps ſum, cupioque tuam hac in re ſententiam audire, ut in ea tandem acquieſcam. ABDEL. Dignus es cum iſto tuo ſcrupulo non parva reprehenſione, qui uno ſigno magis quàm pluribus, quibus tuum Opobalſamum omnibus probè reſpondere ſcis, fidere volueris, quod neque verum ſignum hujus ſucci dicendum eſſe puto, ſiquidem quo pacto hic ſuccus lentoris, ac viſcoſitatis non expers (cum ipſe nihil quidem aliud quàm reſina quæpiam ſit) lineo, uel laneo panno, vel goſſypio inſtillatum aliquantulum non adhærebit? Etenim non modo ſuccus iſte tenax eſt, ſed ramuli quoque virides, ſi digitis contrectentur, eis proculdubio adhærent, quod non nos modo, ſed etiam aliquos antiquorum noviſſe certum eſt, nonne Strabo dixit: „ Ejus corticem ſcindentes ſuccum in vaſis „ ſuſcipiunt tenaci lacti perſimilem. „ Quid? nonne Plinius notas ſinceri Opobalſami docens dixit? Succum Balſami ſincerum debere inhæreſcere? At ne amplius remorer deſiderium tuum, paucis de nota hac à Dioſcoride propoſita dicam quid ſentiam. Puto enim ſincerum Opobalſamum non aliam ob cauſam, Dioſcoridem, atque una cum eo alios dixiſſe, veſtibus vel panno non adhærere, niſi ut nos docerent miſtum aliquo oleo, vel quopiam unguento hinc deprehendi, quoniam, ut ego nuper etiam vos docui (quod à pleriſque oleo eo tempore vitiaretur) oleo vitiatum in pannum inſtillatum, laneumque præſertim, quod faciliùs ſit ad emaculandum, inſtar olei inficit, eique perpetuò non modo adhæret, ſed quotidiè magis in eo recepta macula augetur, ac dilatatur. At ſincerum, quamquam paululum panno etiam inſtillatum inhæreat, tamen ipſum ut oleum non inficit, neque maculam relinquit, quinimo ſecus atque oleum panno adhæreſcens quotidie decreſcit, uſque quo tandem omnino aliquo tempore ſponte diſſolvatur, atque evaneſcat. Quamobrem ſincerum Opobalſamum panno quidem, at non olei modo adhæret, neque aliquam maculam relinquit. Quod ſæpè vobis meum Opobalſamum in meam veſtem inſtillatum oſtendit. Verum non debet hoc experiri in pannis iis, quos vos in Italia paratis, noſtris longe craſſioribus, in quibus fortasſe cum olim veſtri hi craſſi panni lana parati ex Italia huc non adpor-

adportarentur, neque noſtri his, ut nunc faciunt, uterentur: Dioſcorides in his periculum faciendum non ſentit, ſed in noſtris iis longe gracilioribus. Clarius verò hoc ſignum Plinius docuiſſe eſt viſus, dum dixit „ & in veſte maculas non faciat „ non autem, ut in Dioſcoride habetur, „ veſti non adhæreat. „ Verius fortaſſe Sethus Opobalſami cognitionem ex hoc ſigno habendam tradidit, quod his verbis apud ipſum legitur: „ Linteo in eo irrigato, ac poſtea ſublato, à linteo totum recedit, „ non colorem, ſed odoris duntaxat ſuavitatem relinquens ”: quod plane in noſtro ſic ad unguem obſervare licebit. Cœterum ex his, quæ ita diverſe de notis verum Opobalſamum à falſo diſtinguentibus, apud diverſos antiquos Scriptores leguntur; dubitandum non immeritò à nobis exiſtimo, hoſce authores nunquam fortaſſe, neque viventem plantam uſpiam offendiſſe, atque multo minus ſincerum ejus ſuccum inſpexiſſe, cunctaque potius aliorum relatione, quàm vera obſervatione de eo ab his prodita fuiſſe: qua de cauſa non ab antiquis Scriptoribus, inter ſe de Balſami hiſtoria diſcordantibus veritas hæc petenda eſſet, ſed ab his populis, præſertimque Medicis, qui loca in quibus Balſamum, omnium Scriptorum conſenſu, vixit, perpetuò habitarunt, & ſæpiſſime obſervarunt. His etenim jure meritò de ipſo firmior fides habenda erit. Hi ſunt Ægyptii, atque Arabes, qui omnes uno conſenſu aſſerunt, hoc excepto Opobalſamo, quod vos verum eſſe non creditis, nullum aliud uſquam vel in tota Ægypto, vel in tota Arabia, vel Syria, fuiſſe cognitum, aut uſitatum. Cujus veritatis clariſſimum ac certiſſimum ſignum erit, aliud Opobalſami genus ab hoc diverſum, apud Turcarum Regem iis locis imperantem, atque apud plures Turcas; qui variis temporibus his omnibus prædictis locis, præſertimque Ægypto præfuerunt, nunquam fuiſſe repertum, quinimo apud hos inventum idem planè eſſe cum noſtro, atque nihil ab iſto communiter recepto differre. Rex enim Turcarum ſingulis annis à Seriph, Mechæ atque Medinæ domino, binas, & plures etiam Opobalſami libras dono miſſas accipit, perpetuoque, poſtquam Ægypto imperavit, ab ipſo Opobalſamum recepit. Quod ſanè idem planè eſt cum

eo, quo omnes Ægyptii, Arabes, Syri, atque alii utuntur. ALPIN. Verum dicis; Nam ego certo ſcio idem eſſe Opobalſamum vulgo receptum cum eo, quod apud multos dominos Turcas Conſuleſque Venetos habetur, quibus à præfecto Ægypti, ac aliis nobilibus Turcis dono datum fuit, idemque cum eo, quod apud Sereniſſimum Franciſcum Medicem Ducem Florentiæ à Turcarum Rege olim ei dono datum, hodie conſpicitur, quod cum meo etiam Opobalſamo ex Ægypto, ad prædictum Sereniſſimum Ducem anno ſuperiori miſſo, rectè ab ipſo comparatum, idem planè eſſe, certum eſt. Quamobrem omnes qui negant vulgo receptum verum eſſe, ſi ipſum cum Opobalſamo comparent, quod apud multos exſtat Venetos, olim hujus loci Conſules Clariſſimos, atque apud alios plures, qui olim hæc loca peragrarunt, & Opobalſamum à nonnullis Dominis Turcis acceptum illùc comportarunt, probè, an ipſum verum ſit, cognoſcent. ABDEL. Multum tamen Avicenam admiror, qui dixerit, à goſſypio hunc ſuccum aqua ablui poſſe, cum tamen ſuperiùs dixerit, ipſum in aquam inſtillatum coagulari ac denſari: quod cum verum ſit, quomodo in goſſypio receptum, ac imbibitum, aqua ab ipſo ablui poterit? hoc enim fieri non poſſe cuique patebit. Eſt demùm alterum Opobalſamum ex ſeminibus Balſami expreſſum, cujus etiam inter adulterata nuper recenſuimus, quod pro vero ſucco Opobalſami aliquando venditur, quod tamen facile, ut dictum eſt, ex obſcuriore ejus odore, amarioreque ſapore à vero diverſum ab his eſſe comprehenditur. Ac de Opobalſamo hæc à nobis dicta ſufficiant. Reſtat modò, ut de Balſami fructibus, & virgis loquamur, quando multi quoque non deſint, qui contendant verum neque Carpobalſamum, neque Xylobalſamum eſſe.

## Caput VI.

### *Veri Carpobalſami, & Xylobalſami cognitio, & conſideratio.*

ALPIN. Hactenus Balſami plantæ, atque ab ea educti ſucci ambiguitates omnes, vir doctiſſimè, diſſolviſti, veritatemque ita claram effeciſti, ut de arbore, ac ſucco noſtri amplius contendere non debeant, ſed ipſum potius agnoſcere, atque in uſum medicinæ reſtituere, quod quidem facientes ſumma laude digni erunt, tantum auxilium in uſum revocantes, atque recipientes. Cum nemo noſtrum dubitet amplius verum Opobalſamum ex Ægypto, & Syria in Italiam comportari, quod facilè à nuper adductis notis ibi an ſincerum ſit, cognoſcetur. Reſtat modo, ut de ejusdem plantæ fructibus, & virgis, quod apud noſtros dubii ſuperſit ab illorum animis evellas. Quando vulgaria ſemina, pro vulgari falſo Carpobalſamo à multis recepta, quorum ad nos ſingulis annis multa copia advehitur, verum eſſe antiquorum Carpobalſamum me judice etiam affirmandum ſit. Animadvertendum tamen eſt, duplex genus Carpobalſami circumferri, & utrumque pro Balſami ſeminibus apud nonnullos recipi, quorum unum ſemen eſt terebinthi magnitudine, atque ferè etiam forma, rotundumque & oblongum, ovo ſimile, in extremis acutum, flavum, folliculo nigro rubeſcente undique contectum; Hocquè verum eſt antiquorum Carpobalſamum. Alterum verò Pſeudo-Carpobalſamum huic admodum magnitudine, colore, figuraque eſt ſimile; differt tamen à vero, quia ipſo eſt oblongius, ex medietate tantum folliculo contectum eſt, nam illud extremum, quod ſuo pediculo appenſum eſt, folliculo caret, minimeque eo totum contegitur, ſed tantum ad ejus usque medietatem. De hoc vero, quod falsò pro Balſami ſemine me judice recipitur, non loquimur, quamquam odoratum ſit, atque aromaticum. Illudque fortaſse eſſet, quod olim Dioſcoridis tempore ex Petra oppido Arabiæ pro Car-

Carpobalſamo adportabatur, & quo verum Carpobalſamum adulterabatur, ſi piperis ſaporem præſeferret. De altero verò ab hoc prædictis notis diſcrepante, quod præſertim à falſo differt, quia totum folliculo ſuo contectum eſt, quando falſi, ut jam dictum eſt, tantum medietas folliculo contecta appareat, a nobis ſermo habendus eſt. Audio nunc Venetiis omnes Pharmacopolas, conſilio excellentiſſimi collegii Medicorum, in componenda Theriaca, atque Mitridatio, pro veris Balſami fructibus Juniperi fructus ſubſtituere; quod quanta dignum reprehenſione ſit, ac in quanto illi verſentur errore, vobis doctiſſimis viris nunquam latuit. Et utinam nunc perſpectis rationibus iidem non permittant ſine his tanto artis cum dedecore (quandò hæc omnia non ſit difficile apud eos reperiri) Theriacam atque alia medicamenta amplius parari; ſed vereor, ne magis in antiquis erroribus perſiſtere, quàm rei veritatem amplecti velint. ABDEL. Quid? etiam ne fructus Balſami, quorum in Italiam; aliaque loca hinc copia multa advecta, illis non deeſt, negant veros eſſe, atque pro eis in componenda Theriaca aliiſque medicamentis baccas Juniperi ſubſtituunt? quid de te audio; pudet me tantorum Medicorum, qui hos hactenus veros fructus neglexerint, minimeque his utantur. Sed quibus rationibus adducti, negant iſta ſemina meritò ex te pro vero antiquorum Carpobalſamo recepta, veros eſſe fructus Balſami? An non ipſorum magnitudo, color & forma ad eos recognoſcendos ſatis illis erunt? Theophraſtus dixit: illos eſſe ſimiles terebinthi fructibus magnitudine, figura ac colore. Et clariùs Serapio ex Dioſcoridis mente hunc in modum eos deſcripſit: „ Et granum quidem ipſius, quod nominatur Carpobal-
„ ſamum, eſt granum rotundum ad longitudinem aliquantu-
„ lum tendens, ad acuitatem in ambobus capitibus, in medio
„ vero groſſius. Cujus color tendit ad rubicunditatem, & eſt
„ plenum, grave, mordens linguam mordicatione aliqua non
„ multa, & quandò frangitur interius habet humiditatem ſimi-
„ lem melli, & ejus odor eſt bonus. „ At Dioſcorides addidit hoc ſemen redolere Opobalſamum. Certè, ut verum fatear, fructus Balſami ab Italis tuis Medicis, atque Pharmacopæis ne-

neglecti, tùm Serapionis deſcriptioni omnino reſpondere cognoſcuntur, tùm etiam notis à Theophraſto allatis, quando hi colore, figura, atque magnitudine, verè fructibus terebinthi proximi ſpectentur. Serapio verò eos multo diligentiùs ac exquiſitiùs declaravit, qui ipſos grana eſſe rotunda ſtatuit, oblonga, extremis acutis, & medio craſſiore, ad coloremque ſubrubrum tendentia, gravia plenaque eſſe, ac modicè guſtum mordentia, quæ intus ſubſtantiam melli ſimilem habent. Ex quibus notis vulgare Carpobalſamum verum omnino eſſe certiſſimè oſtenditur, ſed quamobrem iſti negant hos, veros Balſami eſſe fructus, ſcilicet Carpobalſamum antiquorum. ALPIN. Omnes uno ore prædicta ſemina non una, at omnibus carere prædictis notis, quibus ea prædita eſſe Dioſcorides, omnium antiquorum in plantarum deſcriptione facile primus, memoriæ olim prodiderat, hiſque ſpeciatim verbis. „ Quare eligatur flavum, plenum, grande, ponderoſum, mordens guſtum, „ fervens in ore modice, Opobalſamum olens. „ Dicunt itaque iſtæc ſemina à vobis pro Carpobalſamo monſtrata, non flava, ut Dioſcorides docuit, ſed nigra, ſubrubeſcentia ſpectari, vacuaque non plena eſſe, levia & non gravia, parva & non magna, neque guſtum aliquo pacto mordere, neque Opobalſamum olere. Hiſque rationibus negant illa ſemina verum Carpobalſamum antiquorum eſſe, ſed potius ea, quibus olim ex Petra oppido Arabiæ advectis, verum Carpobalſamum adulterari Dioſcorides animadvertit, quod ipſe hiſce verbis docuit, dicens: „ Adulteratur ſemine hyperico ſimili, quod à Petra „ oppido defertur, ſed coarguitur magnitudine, inanitate, vi„ rium ignavia, ſapore piperis. „ Idemque ferè Plinius teſtatum reliquit. Atque hæc ſunt adverſus Balſami vulgares fructus à quampluribus Italiæ, aliarumque nationum Medicis, & Pharmacopæis diſputata. ABDACH. Ex his duobus alterum verum eſſe arbitror, vel illos ſcilicet viros, à te recitatas Carpobalſami notas, nunquam probè cognoviſſe, aut nunquam hos fructus, vel ſemina, quæ præ oculis omnes hi Pharmacopolæ quotidiè habent, inſpexiſſe, quod ſi illi hæc aliquando inſpexiſſent, ac rectè obſervaſſent, proculdubio fieri non potuiſſet,

ut ex omnibus notis ipſos non agnoviſſent veros eſſe Balſami fructus, quando non ſolum falſum ſit ipſos omnibus notis à Dioſcoride traditis carere, ſed ne unam quidem illis deëſſe. Nam iſtæc ſemina ſunt humiditate, melli ſimili, plena, quorum ſi multa facta intus ii inſpexiſſent, niſi cæci omninò fuiſſent, fieri nullo modo poterat ut non id animadvertiſſent. Cernuntur etiam longe hyperici ſeminibus majora; ſunt gravia, cum aliqua mordicatione, atque Opobalſami odoris fragrantia, quorum ſaporem, atque odorem unuſquiſque guſtu, ac olfactu minimè deſtitutus, poterit cognoſcere. Nemo mea quidem ſententia erit, qui prius Opobalſamum olfecerit, ac guſtaverit, mox iſta fracta ſemina olfaciendo & guſtando, in ipſis eundem ſaporem, atque odorem Opobalſami apertiſſimè non cognoſcat. ABDEL. Veriſſima prædicas, neque indigna, ut ab illis Medicis audirentur, ac animadverterentur. Nam hæc ſemina vulgaria à nobis pro Carpobalſamo recepta, eadem eſſe, quæ in multis Arabiæ Felicis locis ſupra Balſami frutices colliguntur, omnes, qui illa loca peragrarunt, vere teſtantur: neque ullis unquam aliis Ægyptii Pharmacopæi pro Balſami fructibus ad componenda medicamenta uſi fuere. Neque aliorum Ægyptiorum memoria conſtat, unquam ex Petra oppido, quod nunc Mecha dicitur, alios, quàm hos fructus pro Carpobalſamo ad nos delatos fuiſſe. Neque Galenus exiſtimat homines in eorum ſeminum cognitione hallucinari, ad decipi poſſe, quando in libro de Antid. dixerit, Carpobalſamum non poſſe adulterari, idque meritò, cum minimè fieri poſſe videatur, ut aliquis, qui vera Balſami ſemina ſemel tantum viderit, poſſet ab aliis decipi; ſed concedatur poſſe adulterari, tamen cognoſceretur id ſaltem, ut Dioſcorides docuerat, inanitate, parvitate, & ſapore piperis. Verum non poſſum non vehementer illos Medicos admirari, dicentes, notas à Dioſcoride nobis Carpobalſami eo traditas fuiſſe, ut iſta ſemina ab aliis diſtinguerentur, quandò ipſe illas notas non ob id tradiderit, ſed potius, ut iis homines perdocti ſeligerent ex ſeminibus Balſami, ea, quæ flava exiſtunt, plena, majora, gravia, ſapore atque odore Opobalſami prædita, quoniam hæc cæteris meliora exiſtunt. Quis igno-

ignorat, agricolas etiam ipſos aliqua ſemina ementes, ſive triticum ſit, ſive hordeum, ſeligere plena: magna, ponderoſa, optimi ſaporis, atque odoris, abjicereque inania, parva, levia? Quamobrem iſtud? quia hæc inutilia, illa optima exiſtunt. ALPIN. Dicunt, flavum colorem, quo vera ſemina Balſami ſpectari Dioſcorides tradidit, in iſtis ſeminibus non conſpici, cum ipſa ſubrubra potiùs, & nigreſcentia cernantur. ABDEL. Rectè dicunt, ſed hinc conjicitur, ipſos minimè eſſe in horum ſeminum obſervatione exercitatos, ſeduloque nunquam ea inſpexiſſe, quoniam ſi ſæpè multa ſedulò, variiſque modis obſervaſſent, proculdubio duplici colore referta eſſe cognoviſſent, quippè nigro rubeſcente, ſuis folliculis veſtita, hiſque ſpoliata, ac nudata, flavo. Ex qua obſervatione, nec Dioſcoridem, docentem illud ſemen flavum eſſe, nec Theophraſtum cum Serapione ſubrubrum nigreſcens, falſum prodidiſſe, patet. Quando hi ſemen veſtitum ſuo folliculo, quod nigrum ſubrubeſcens cernitur: & Dioſcorides, folliculo ſpoliatum, quod flavum eſt, intellexerint. Hæcque à nobis de Carpobalſamo dicta ſufficiant. De Xylobalſamo verò non puto à nobis multa eſſe dicenda, quando non ita omnibus, ut Carpobalſamum, ignotum videatur eſſe, illas virgas communiter ab omnibus Pharmacopæis pro Carpobalſamo receptas, & iis tamen non utantur, Argumentum erit certiſſimum, ipſas redolere odorem Opobalſami, & Carpobalſami, eundemque guſtui ſaporem etiam præſeferre. Optimæ autem exiſtunt, ſarmentoſæ, tenues, fulvæ, & recenter exciſæ, odorem Opobalſami manifeſtiſſimum ſpirantes. Quem odorem eximium ſpirare à Theophraſto ac Serapione proditum eſt. His verò recentibus Pharmacopæi uti debent, cum parvo etiam tempore omni odore ac ſapore deſtituantur; tanta eſt enim illius humidæ ſubſtantiæ, in qua odor, ſaporque fundantur, tenuitas, ut cito exſolvatur, ſimulque cum ea ſapor, atque odor evaneſcat. ALPIN. Faſcem recentiſſimarum virgarum Dominicus à Rege, noſter Pharmacopola, ab amico ſuo Turca, apud oppidum Sues, illuc Mecha advectum habuit, qui multum Opobalſami odorem ſpirabat, qui tamen paucis menſibus ferè om-

ninò exſolutus eſt. Multas virgas recentes habui, quæ apud me adhuc aſſervantur; quas comparatas cum iis, quæ apud Venetos Pharmacopolas ſunt, eaſdem utique eſſe ſine dubio cognoſcitur, quæ ſi recentes conſervarentur, veritas hæc omnibus eſſet manifeſtiſſima, ita validus, ac manifeſtus in iis odor Opobalſami perciperetur, ex quo omne dubium ex ipſorum animis ſpontè excidiſſet. ABDEL. Tibi ſufficiat, hæc de Balſami planta, ſucco, fructibus, virgis, ex nobis audiviſſe, atque didiciſſe, veramque hanc hujus plantæ iconem, nunc, Alpine, ſpectare poteris, atque ex dictis ipſam recognoſcere. Sed abſoluto de iis ſermone, cum jam Sol ſupra Horizontem multum aſcenderit, aëremque inflammare ceperit, ſatiùs erit nos hinc abire, & in urbem redire, priuſquam augeatur caloris æſtus. ALPIN. Rectè ſuades, abeamus, vobiſque, quod tantum hactenus ſuſceperitis laborem, multas gratias refero, meque ut pro veſtra humanitate ametis, quemadmodum facitis, etiam, atque etiam rogo; valete. ABDEL. Atque tu interim vale; mementoque nos tui eſſe ſtudioſiſſimos, teque multum, atque multum obſervare.

## Caput VII.

### *Cur Petri Bellonii obſervationes in Ægypto circa Balſami Plantam factæ hic adnotatæ ſint.*

Cum hiſce diebus librum olim in Ægypto à me de Balſamo conſcriptum in publicum emiſſurus eſſem, Ecce in manus meas perveniunt doctiſſimæ itinerariæ obſervationes à Petro Bellonio Cenomano, viro tùm in aliis, tum in plantarum materia doctiſſimo, ante annos ab hinc quadraginta litteris traditæ, atque hoc tantum anno in lucem editæ. In quibus cum Balſami nonnullarum plantarum olim in Ægypto viventium diligentiſſimam obſervationem ab eo rectiſſimè exaratam, ac deſcriptam legerim, optimum fòre putavi, ſi eam ſub fine hujus

jus libelli adjicerem, Siquidem ſperavi, ex tanti viri in plantarum materia exercitatiſſimi, lectione, ea, quæ dicta ſunt a nobis; ac litteris de Balſami hiſtoria mandata, poſſe haud parùm animos legentium confirmare, quod is omnia ferè complexus ſit, quæ in meo libello leguntur. Hæcque, priuſquàm Balſami obſervationem Bellonii hic adjeciſſem, præfari libuit; ne ex abrupto hic ea inſerta candido lectori viderentur.

## Caput VIII.

### *Ægyptii Balſami obſervatio ex Petro Bellonio in libro II. Itinerariarum Obſervationum, capite XXXIX collecta.*

In quodam pago ſpectatum ivimus hortum Balſami fruticibus conſitum, qui à Cayro longius haud abeſt, quàm Lendit à Lutetia. Quoniam porrò Balſami planta admodum celebris, precioſa, raraque eſt; hic ſcribere libuit quidquid ad ejus hiſtoriam pertinere arbitrati ſumus. Quoſdam eſſe ſcimus, qui Matareæ Balſamum ex Judæa delatum eſſe putent: rem autem haud ita ſe habere, poſtea demonſtrabimus. In magno quodam horto ſunt, ſed anguſto loco muris concluſæ, quos extructos fuiſſe ajunt, poſtquam Turca Ægyptum Sultano ademit: Bacha autem à Turcarum Imperatore huic regioni præfectum, ea arbuſta digna exiſtimaſſe, quæ peculiari loco concluderentur. Cum iſtic eſſemus, novem, aut decem duntaxat frutices ejus aderant, qui nullum liquorem præbebant. Inter notas à veteribus proditas, quibus Balſamum dignoſci poſſit; una eſt, ut perpetuo vireat: illud tamen in Matarea, apud Cayrum, pauca admodum folia Septembri menſe habebat: quod nobis inſolens viſum eſt. Nam reliquæ arbores, quæ hyeme virere ſolent, folia ſolum novo vere abjiciunt, cum videlicet nova germina produxerunt: ſolentque autumno magis virere, quàm novo vere. At reliquæ, quæ folia abjiciunt, id ſub hyemem facere ſolent, ut æſtate nova adquirant. Ideo-

que nobis præter naturam videbatur, Balſamum folia abjicere, ut hyeme nova germina produceret: nobis enim id obſervantibus, quæcumque habuit folia, recens nata erant. Ejus juſtam magnitudinem tradere nequimus; nam quotquot ejus frutices in horto aderant, ſtipitem ſolum habebant pedis longitudine, & pollicari craſſitie, tenuibus ramulis præditum, raris foliis obſitis. Ubicumque autem tandem naſcantur, duorum aut trium cubitorum altitudinem non ſuperant; & pedali altitudine cum ſint, in multos graciles ramulos anſerinæ pennæ caule haud craſſiores finduntur. Balſami frutices Matareæ jam recens putati fuerant, ſic ut ſoli ſtipites ſupereſſent, qui ramulornm rudimenta producebant. Ejuſdem etenim eſt Balſamum cum vite naturæ, quam ſingulis annis putare neceſſe eſt, alioqui degenerat. Nova illa Balſami germina ſubrubente cortice erant tecta, foliaque viridia habebant, lentiſcinorum foliorum modo formata, hoc utrinque in nervo nata, ut in roſarum, vel fraxini, vel juglandis foliis videre eſt, ciceris tamen foliorum magnitudinem non excedebant, ſicque conſtructa erat eorum ſeries, ut poſtremum foliolum extimam alam occupans, imparem numerum efficeret: nam totius alæ foliolis numeratis, terna, quina, aut ſeptena inveniuntur, ſeptenarium certe numerum ſuperare vix ammadvertimus: extremum autem foliolum reliquis majus eſt, facto etenim ab illo progreſſu, reliqua ſenſim minutiora fiunt, ut in rutæ foliis. Plinius in ejus Hiſtoria Theophraſtum per omnia ſequutus eſt, quemadmodum etiam Dioſcorides, ejuſque veſtigiis inſiſtentes, Balſami folia rutæ foliis compararunt: quod veritati conſonum eſſe deprehendimus. Quoniam autem primum in Matarea illud exacte non obſervaveramus, denuo illud ſpectatum ivimus, ejuſque ramulum nacti, ipſum, atque illius folia deguſtavimus, quæ facultatis nonnihil adſtrictoriæ eſſe comperimus, pinguiſque aliquantulum ſaporis, atque aromatici, ramulorum autem cortex his odoratior eſt; gemino cortice præditi ſunt ramuli, extimo foris ſubrubente, qui ut membrana intimum viridem operit. Is guſtatus inter Thus & Terebinthi folium ſapit, ſaturejæ ſilveſtri ſapore ſimili, admodum grato, atque digitis tritus cardamomum olet:

ip-

ipſum lignum candidat, odoriſque & ſaporis expers eſt, non ſecus atque aliud inutile lignum. Ipſius virgæ rectæ ſunt & graciles, rariſque foliorum alis ſparſim & confuſo ordine naſcentibus obſeptæ, quæ (ut diximus) ternis, quinis, aut ſeptenis foliolis conſtant. Variæ ſunt auctorum, qui de Balſamo ſcripſerunt opiniones: & niſi nos ipſi plantam conſpexiſſemus, nihil poſt illos de eo ſcribere auſi fuiſſemus: atque in eam ferè opinionem inclinaremus, illud Hierico planis numquam cultum fuiſſe. Quia autem ipſum fruticem vidimus, diligenterque obſervavimus, de eo, tanquam de re quæ diligenti obſervatione digna, diſſerere libuit. Experientia autem didicimus lignum illud vulgo Xylobalſamum nuncupatum, quod ex Felici Arabia delatum à mercatoribus venditur, cum Ægyptio quod in Matarea colitur, convenire: nam deſiccatum noſtrum Balſami ramum cum eo, quod in officinis venale reperitur, contulimus, atque omnibus notis reſpondere, deprehendimus: eſtque ex duobus alterum neceſſarium, aut Xylobalſamum & Carpobalſamum, quale in officinis venditur, adulterinum eſſe, aut illud Ægyptium, quod colitur in Matareæ horto, legitimumque Balſamum eſſe cenſetur. Nam cum in omnibus conveniant, certique ſimus idem eſſe, aſſerimus, & concludimus id, quod hoc nomine venale reperitur, ſimile ei eſſe, quod ab omni antiquitate in uſu fuit. Balſamum nunc temporis in ſola Ægypto colitur apud Cayrum. Et licet Theophraſtus in ea opinione ſit, id ſilveſtre & ſponte naſci non inveniri: aſſerere tamen audemus, ab omni ævo in Felici Arabia fuiſſe, atque etiam nunc naſci, cujus lignum, & fructus etiam olim ad nos perlata fuerint cum aliis Arabiæ mercibus. Atque demonſtrare volumus ea non minus cognita fuiſſe mercatoribus, quàm reliqua aromata, ut ex medicamentorum, quibus perpetuò injici ſolita ſunt, compoſitionibus apparet. An non Mithridates in ſuum Medicamentum intulit? An non in officinis venalia reperiebantur? Id ex ſola Dioſcoridis auctoritate probari poteſt, qui in ſua ætate Carpobalſamum adulterari conqueritur. Carpobalſamum (inquit) adulteratur ſemine hyperico ſimili, quod à Petra oppido defertur: per Petram

op-

oppidum Mecham intelligimus, atque de Xylobalſamo: e ligni genere, quod Xylobalſamum vocant, probatur recens, ſarmento tenui, fulvum, odoratum, quadantenus Opobalſamum ſpirans. Ex his liquidò apparet vulgaris uſus inter reliqua aromata fuiſſe. Sed & ex Diodori Siculi vetuſtiſſimi Scriptoris Arabiæ Felicis opes enumerantis, verbis, manifeſto liquet. Maritimis enim locis Balſamum producere, ait. Cultum igitur id eſſe non intelligit, ſed ſpontè naſcens. Pauſanias etiam tradit Balſamum Arabiæ fruticem eſſe. Plerique tamen auctores de Balſamo agentes, inter ſe non conveniunt. Nam Strabo prodit in Syria naſci apud lacum Genezareth, inter montem Libanum & Antilibanum. Reliqui volunt ſolam Judæam regionem id producere, ejuſque ramos oſſeo cultro, aut vitro duntaxat vulnerandos eſſe ad liquorem eliciendum, alioqui ſi ferro cædantur, ſtatim emori. Cornelius Tacitus ſcribit, ferro juxta adpoſito, metu exhorreſcere, idcirco aliis quàm ferreis inſtrumentis vulnerandum, ſi liquorem elicere quis cupiat. Percontantes à mercatoribus Cayri de Balſamo, cum noſtrum ramulum conferremus, nobis affirmarunt, quidquid Xylobalſami, vel Carpobalſami unquam vendidiſſent, id omne ex Mecha cum aliis aromatibus accepiſſe; atque meminiſſe ſuo tempore Balſami frutices, qui nunc in Matarea coluntur, ex Arabia Felici delatos eſſe, magnis ſumptibus Sultani. Quoniam verò id nobis tam multi affirmarunt, exiſtimavimus ſine ullo ſcrupulo aut diſſimulatione nobis licere id ſcribere. Laus Deo Opt. Max.

PRO-

# PROSPERI ALPINI
## MAROSTICENSIS,
## PHILOSOPHI, MEDICI,

Et in Gymnaſio Patavino Medicamentorum Simplicium Profeſſoris ordinarii, & Horti Medici Præfecti,

# DE RHAPONTICO

## DISPUTATIO IN GYMNASIO PATAVINO HABITA.

In qua Rhapontici planta, quam hactenus nulli viderunt, medicinæ ſtudioſis nunc ob oculos ponitur, ipſiuſque cognitio accuratius expenditur, atque proponitur,

AD

Perilluſtrem & Excellentiſſimum

## D. D. BENEDICTUM SYLVATICUM,

Patavinum, & in Patrio Gymnaſio Medic. Pract. Profeſſorem.

# PER ILLUSTRI

## *AC DOCTISSIMO VIRO,*

# BENEDICTO SYLVATICO PATAVINO,

## IN PATRIO GYMNASIO MEDICINÆ

Praxim Profitenti,

# PETRUS BERTELLIUS

S. P. D.

*Non te fugit (Benedicte Sylvatice) qui & quantus vir ſit Proſper Alpinus, cum aliis bonis artibus, tum in medicina, & in ſcientia plantarum; & quam curet ſedulo, nullis laboribus aut ſumtibus parcens, ut Horti Medici, quibus præeſt, ſint omni ſtirpium, etiam exoticarum, genere inſtructiſſimi. Ejus igitur diſputationem de RHA-*

*PONTICO, quam ſummis omnes, qui illi interfuerant, laudibus proſequebantur, recens nactus, eo melius mecum actum eſſe duxi, quod ſi eam imprimendam curaſſem, ſtudioſorum, à quibus efflagitabatur, cupiditatem explere potuiſſem. Non fuit difficile aut hoc impetrare ab auctore humaniſſimo, & ſtudiis juvandis nato, aut aliquem reperire, cujus nomine liber commendatior in lucem prodiret. Tibi enim proculdubio debebatur. Te enim unum ex omnibus præcipue colit, atque admiratur, non Alpinus modo, ſed etiam Franciſcus Craſſus, tuus olim auditor aſſiduus, qui hanc plantam noſtro ævo ignotam Italis, ac Transalpinis, ſemel & iterum ex remotiſſimis regionibus huc advehendam curavit, & Alpino dono dedit: ita ut nemo ſit, quem tibi anteponam. Accedit gentis tuæ ſplendor, ſatis ipſe notus per ſe, & feliciore doctorum virorum ſtylo celebratus. Cumulantur hæc omnia animi tui bonis: præcipuè vero humanitate, litteris interioribus, atque ea medicinæ cum docendæ, tum faciendæ peritia, ut inter paucos excellas, pleroſque omnes brevi ſuperaturus. Neque enim eſt quiſquam quin ſibi perſuaſerit, ut parta jam gloria peperit exſpectationem, ita expectatio ſit gloriam multo majorem paritura. Hæc igitur me, ut hunc tibi libellum dicarem, adduxerunt. Tu eum maxima voluntatis erga te meæ acceſſione cumulatum, ut ſpero, & cupio, boni conſules. Vale Patavii. Dei 30. Maji.* 1612.

PRO-

# PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS, DE RHAPONTICO

Duſputatio, in Patavino Gymnaſio habita.

## Caput I.

*De Rhapontici planta, quam proximis annis in Rhodope Thraciæ monte vivere compertum eſt, cur agendum ſit.*

Quod Rheon, ſeu Rhaponticum fuerit perpetuò magni uſus ad medicinam, & ad præclariorem quoque antidotorum compoſitionem magnopere deſideratum, atque longo tempore omnibus medicis, pharmacopæisque ignotum (proximis enim ætatibus, non ſine magno artis medicæ, & dedecore, & mortalium damno, pharmacopæi pro Rhapontico ſubſtitutis utebantur) utile fore exiſtimavimus, ſi de hoc Medicamento præſenti hoc anno, priuſquam legendi finem faciamus, etiam ageremus, vobiſque demonſtraremus nos verum Rhaponticum antiquorum habere. Præſertimque cum ab hinc quadriennium (Divino bene aſpirante numine) factum ſit (quod jam diu multum, multumque deſideravimus) ut Rhei ſive Rhapontici plantam antiquorum legitimam, Rhaguſio, opera perilluſtris, & excellentiſſimi philoſophi, medici, & in ſimplicium medicamentorum ſtudio non parum exercitati, Franci-

ciſci Craſſi Rhaguſini, Patavium convectam, nacti fuerimus: cui profectò viro & nobili, & præliberali, hujus ætatis medici ſtirpiumque cognitionis ſtudioſi plurimum debebunt, utpote qui Rhei plantam in Italia a nullis antea viſam, nulliſque cognitam, præ multa ipſius liberalitate & videre, & cognoſcere potuerint. Hæc (inquam) planta ter ex Thraciæ montibus Rhodopæis vocatis (in quibus ſponte naſci, & vivere eam plantam ab aliquibus fuerat prius animadverſum) in planicie, ad fontem Hebri fluminis poſita, eruta Rhaguſium delata in itinere propè interierat, ſed poſtea denuo ex iiſdem natalibus procurata Rhaguſium vivens deducta eſt, quæ exinde Patavium incolumis convecta, mihique à prædicto Franciſco Craſſo dono data in ſecretiori meo hortulo fuit repoſita. Quæ ibi opportunum ſibi ſolum nacta, ita perbellè multos annos vixit, & mire aucta eſt, ut meritò quadam veluti inſita majeſtate ex ampliſſimis, latiſſimiſque foliis mira arte ita confectis, ex caule, floribuſque multis candicantibus, non injucundè etiam olentibus, à multis hactenus herbariæ cognitionis ſtudioſis, atque ab innumeris ferè aliis viris nobilibus, illuſtriſſimiſque plurimum admirata fuerit, multiſque laudibus concelebrata. Hæc (ut ipſam deſcribamus) folia habet magna, ampla, quadamtenus ad lappæ magnæ figuram accedentia, ſed longe majora tamen, & latiora, ad magna Colocaſſiæ Ægyptiacæ folia itidem multum inclinantia: veruntamen & ab his, atque ab aliis omnibus ipſa formam differentem habent, atque ita, ut nullum folium in aliis plantis animadvertatur, quod iſtiuſce plantæ folia exactè referre, atque æmulari videatur. Id verò proprii habent, ut ipſa in circumferentia quibusdam miris circumvolutionibus agantur, quibus magnas cavitates exprimere videntur. Colore verò viridi in nigrum inclinante ſpectantur: neque terram verſus procumbunt, at ſurſum in aërem ex ſuis pediculis longis, latis, craſſis, intus cavis, extrà convexis, feruntur. Quæ folia cum pediculis ſine odore ſunt, ſapore verò linguam ſubacetoſo haud injucundo afficiunt. Planta verò caulem è medio foliorum producit unicum: ut ſemel in hac planta vidimus, cubitalem, & ampliorem etiam, foliis concolo-

lo-

lorem, ſed quadantenus ad rubrum declinantem, ſtriatum, geniculatum, à cujus geniculis ramuli recti exeunt duo vel tres utrimque, cum unico foliolo circa cacumen in alios multos ſcopæ modo expanſos; diviſi, floſculis albis, floribus ſambuci ſimilibus; racematim undequaque congeſtis, contecti. Porrò flores non injucundè olent, guſtuique ſaporem ſubacidum gratumque inducunt. Ab ipſis ſemina producuntur parva, figura triquetra, nigreſcentia, ſuis parvis folliculis incluſa, Hippolapathi ſeminibus omnino ſimilia. Planta nititur radicibus multis ab uno germine, vel à multis gracilibus, centaurei majoris ſimilibus, ſed minoribus, ſtatim à terra erutis, colore ex toto rufis nigreſcentibus, ſed poſtea radices ſiccatæ exterius nigro colore ſpectantur, interiusque rufæ exiſtunt, germini vero non rectè in terram deorſum, ſed obliquè aguntur, atque protenduntur. Quæ radices etiam ſtatim è terra effoſſæ ſine odore ſunt, ſubſtantiamque raram, laxam, levem, atque rufam habent, quæ commanducata croci colore tingit, & ſi pluſculum in ore agitet, glutinis modo lenteſcit, ſubacremque non expertem alicujus levis amaritudinis ſaporem guſtui infert. Hæc planta, ut deprehenſum eſt, ſingulo triennio abſoluto floret, atque ſemina producit. Quæ in agro Patavino ſata ita facile naſcuntur, ut ſperandum ſit, brevi tempore Rhapontici plantam ubique locorum propagatam iri. Unde medici, & pharmacopæi non amplius opus habeant iſtiuſce plantæ radices peterè ex longinquis regionibus, in quibus naſcuntur, nempe ex Scythiæ, vel Thraciæ locis ipſius natalibus. Hoc noſtro quoque ævo hanc plantam abundantius in Scythiæ campis vivere Joannes Quirinus Cinglerus Germanus, philoſophus, medicus, & in ſimplicium medicamentorum ſtudio apprimè eruditus, ab hinc annos multos, cum Scythiæ loca perluſtraret, obſervavit: inquit enim ſe in ipſius campis hanc plantam lætiùs olim virentem offendiſſe, & obſervaſſe, Medicumque Italum ibi medicinæ cauſa commorantem cognoviſſe, qui agrum habebat Rhaponticis refertiſſimum; quorum profectò radices, lucri cauſa, quotannis ad exteras nationes transmittebat. Ex cujus ſanè viri relatione perſpectum habui

(ubi

(ubi ipſe, qui meam Rhapontici plantam nunquam viderat, neque vidit, Scythicam Rhei plantam diligentiùs mihi delineaſſet) Thracicum Rhaponticum, quod juxta montes Rhodopæos naſcitur, quodque in Patavino horto nunc alitur, idem eſſe cum Scythico ab eo viro conſpectum, atque obſervatum. Itaque iſtiuſce plantæ, quam in horto nunc habemus, occaſione, cum nos Rhapontici cognitionem ſatis manifeſtam conſecuti fuerimus, eandem quoque vobis communicare volentes, de Rhapontico, hoc etiam anno, priuſquam lectionibus hujus anni finem imponamus, publicè in ſcholis verba facere inſtituimus. De quo quidem in præſentia ſermonem habituri, primum quid Rhaponticum antiquorum fuerit cognoſcere operam dabimus. Secundò, an hoc noſtro ævo habeatur, & cognoſcatur: Qualiaque medicamenta fuerint à multis pro legitimo Rheo propoſita. Tertiò, an Rhapontici planta fuerit veteribus cognita, atque an hac ætate alicubi vivat, & cognoſcatur. Quartò, Thracicam Rhapontici plantam Lapathi genere comprehendi demonſtrabimus: & quot ſint ipſius genera conſiderabimus, & ex radicibus Lapathorum, quæ ad Rhaponticum, quibus veteres medici utebantur, accedant, quibusque ſignis à legitimo diſtingui debeant. Atque demum de Rhapontici viribus, atque uſibus medicinæ oportunis loquemur. Hiſque omnibus perſpectis, probeque cognitis, addemus accuratiſſimam & plantæ iſtius, & radicum oſtenſionem.

## CAPUT II.

### *Rhaponticum quibus nominibus variis gentibus innotuerit, quidque ipſum fuiſſe conſtet.*

Rha, & Rheon Græcis primum vocata, fuit radix quondam medicinæ uſui maximè cognita, à Scythiæ flumine Rha nunc Volga dicto (quoniam juxta ipſius ripas, ut Ammianus Marcellinus in libr. XXII. cap. 8. ſuarum Hiſtor. eſt auctor, eam plantam vivere deprehenſum fuerat) appellata. Deinceps verò Rheupon-

ponticum, & Rhaponticum dictum eſt, aut à Ponto ipſius ſolo nativo, ut Marcellus Virgilius voluiſſe viſus eſt, aut quod primo ipſum in Pontum convehi cæperit, ex locis ſcilicet ſupra Boſphorum Thracicum, in quibus familiarius naſcebatur, utpote ex Scythiæ planiciebus juxta ſurpercilia fluvii Rha tunc temporis nominati, qui altera flexione, ut à Geographis traditum eſt, Tanai flumini, quod in Pontum Euxinum labitur, appropinquat. Itaque Rheon, aut Rha, vel quia Ponti radix fuit, vel quod primum in Pontum delata, ad alias exinde nationes dimittebatur, propterea ibi quaſi nomen, cognomenque nacta, Rhaponticum dicta eſt. Quare & Meſuem hanc fortaſſe radicem Rha Turcicum haud injuria appellaſſe aliqui exiſtimarunt, à Turcis nimirum, qui olim ultra Tanaim ſedes habuerunt prope Sarmatas Zygos, nunc Circaſſos dictos, in patentibus illis campis Rhaponticum ad exteras nationes mittebant. Turcæ verò ipſum Rhavend primi appellavere, à quibus poſtea & Arabes eodem nomine uſi fuerunt. Et exinde etiam, quia radix barbarica (vulgo Rhabarbarum dicta), quæ ex Indiæ locis adportari poſtea cæperat (quòd cum Rhavend magnam ſimilitudinem in radice, colore, ſaporeque, & viribus habere viſa fuerit) idcirco Arabes, cum primum ad ipſos ex India delatam hanc vidiſſent, eodem nomine & ipſam dixerunt, ſcilicet perſuaſi Rhaponticum à Barbara radice ſpecie non differre. Horum verò aliqui à natalibus, ex quibus radix deferebatur, Rhavendſeni, à Chinæ regione, in qua naſci eam radicem putabant, nominarunt, aut Sceni, vel Cini à Scenitis Parthorum natione, qui Ariæ, & Margianæ montes habitant, in quibus Rhabarbarum provenit. Námque Arii, Margiani, Arachoſii, & alii populi provinciæ Tangut, Campionenſibusque finitimi, communi vocabulo Cini, & Maucini etiam hac ætate nominantur; & optimum quoque Rhabarbarum Rhavend Succuir à quibuſdam dictum eſt, quod ſcilicet naſcitur in montibus Succuir, civitati poſitæ in provincia Tangut, proximis. Hisque nominibus Rha, ſeu Rheon antiquis innotuit. Quibus præmiſſis, quid Rha, ſeu Rheon, ſeu Rhaponticum, ſeu Rhavend fuerit apud antiquos, nunc ſupereſt cognoſcendum. Cum

R vero

vero ſimplicium medicamentorum cognitionem ex uno præſertim Dioſcoride venari, atque aſſequi teneamur, meritò primùm quæ ipſe de hoc medicamento poſteritati tradiderit, ſunt a nobis animadvertenda. Inquit autem in lib 3. de Mat. Med. c. 2. „ Rha aliqui Rheon, aliqui Rhiam, Latini Rhaponticum „ vocant; provenit in iis, quæ ſupra Boſphorum ſunt, regionibus, „ ex quibus affertur. Radix nigra centaureo magno ſimilis, ſed „ minor, ac intus rubicundior, laxa, ſeu fungoſa, aliquan„ tum levis, ſine odore: optimum habetur quod teredines non „ ſenſit, ſi guſtatum cum remiſſa adſtrictione lenteſcat, man„ ducatumque colorem reddat pallidum, aut quodammodo ad „ crocum inclinantem." Hactenus Dioſcorides de Rhapontico. Ex quibus quidem nobis conſtat Dioſcoridis ætate Rhaponticum radicem fuiſſe centaureo magno ſimilem, minorem tamen, exterius quippe in cortice nigram, interius rufam: quæ cum mandebatur, tingebat pallido colore ad crocum inclinante: cujus ſubſtantia fungoſa, & aliquantum levis erat, ſine odore; quæque guſtata, cum remiſſa adſtrictione in ore lenteſcebat. Serapio ex Dioſcoride in lib. Simpl. c. 206. addidit ſaporem amarum, quem ſaporem nulli codices ex iis, qui nunc extant, habent. Avicenna in libr. 2. tract. 2. c. 585. ait in ipſo eſſe amaram ſubſtantiam. Galenus in 1. de Antid. cap. 14. verò ſcripſit, quod ſi pluſculum mandatur, ſubacrem ſaporem edere. Veritas eſt, Rhaponticum habere ſubacrem ſaporem cum leviſſima amaritudine, vel eſſe cum levi excalfactione ſubamarum. Dioſcorides nullum ejus ſaporem, ut ex Græcis codicibus, qui nunc extant, colligitur, expreſſit, fortaſſe, quia ſapor amarus & calidus ſit admodum obſcurus, qui non niſi (ut Galenus animadverterat) in ore pluſculum radice agitata, ſentitur; vel etiam quia pro ſapore exprimendo ſat fuiſſe crediderit dixiſſe (manifeſtiorem ipſius ſaporem notando) quòd guſtatum in ore cum levi adſtrictione lenteſcat. Cæterum ex Galeno redditur admodum confuſa, atque incerta cognitio de adſtrictione in hac radice obſervata, atque de ipſius ſubſtantia, quando viſus fuerit nobis expreſſiſſe optimum Rhaponticum, ſincerum, non adulteratum eſſe vehementer adſtringens,

gens, & ex toto ipſius ſubſtantiam eſſe compactam, quandoquidem adulteratum (ut inquit) remiſſam habeat adſtrictionem, & ſubſtantiam non compactam, ſed laxam. Antiqui enim Rhaponticum hac ratione (inquit ille) adulterabant: Erutas è terræ radices in aqua ebulliebant, qua ebullitione ſuccùm à radicibus extrahebant, in quo virtus præcipua ac maxima conſiſtit, ſervabantque ad uſum, & radices ita elixatas poſtea ſiccabant, ſiccatasque vendebant, atque hoc erat Rhaponticum adulteratum ex Galeno. Quam rem Galenus nobis ita expreſſit, dicens in lib. 1. De Antid. c. 14. „ In Rheo quoque fraus „ committitur. Nam quibus in locis naſcitur, ſimulatque e„ vulſum eſt, ipſum elixant, quo ſuccum remittat, ac tam „ ſuccum ut ſincerum & aqua impermixtum, quam Rheon „ exſiccatum ut non elixum ad nos poſtea mittunt. Quam„ obrem ſcientia opus eſt verum ab adulterino diſcernendi, „ quam facillimè conſequuntur, qui ſuæ ſpontis Rheum ali„ quando viderint. Nam elixi pars, quæ ſub aſpectum venit, „ denſa per totum & compacta non eſt, ſed rarior, & guſtu „ tentata ſaporem adſtringentem vel nullum vel obſcurum re„ mittit; cum tamen, ſi adulteratum Rheum non ſit, vehe„ menter adſtringat." Hæc Galenus. Quæ ſi vera ſunt, profecto nobis Dioſcoridem pro optimo Rhapontico adulteratum, & non bonum expreſſiſſe liquido conſtabit; ſiquidem dicebat Dioſcorides: „ Optimum habetur, ſi guſtatum cum remiſ„ ſa adſtrictione lenteſcat: „ Affirmabat quoque radicem eſſe fungoſam, & aliquantum levem. Si autem Rhaponticum ſincerum & optimum ex Galeno debeat habere vehementem adſtrictionem, & radicem ex toto denſam, & compactam eſſe oporteat, profecto, dicendum erit perperam Dioſcoridem docuiſſe optimam Rhei radicem fungoſam, & aliquantum levem eſſe oportere, & guſtatam cum levi adſtrictione in ore lenteſcere; quinimo res contra ſe habebit, nimirum, quod optima Rhei radix (ut Galenus voluit) erit denſa undique, compacta, gravis, & guſtata ſaporem vehementer ſtipticum præ ſe ferat. Quid igitur dicemus? quid in hac controverſia ſtatuendum? An non cum Dioſcoride erit ſentiendum? ſcilicet

optimam Rhapontici radicem debere eſſe raram, fungoſam, levem, cum remiſſa adſtrictione? Certè quidem à nobis ita creditum eſt: Neque immeritò ſanè, cum omnes, qui de temperamento, & facultate Rhei radicis ſcripſerunt, affirmaverint Rhaponticum quiddam terreſtre frigidum, quo adſtringat, habere, non multum, quo multum adſtringat; atque miſtam habere aëream ſubſtantiam, qua neceſſe eſt, ipſam radicem non oportere ex toto denſam & compactam eſſe, ſed aliquanto laxam & levem, ut Dioſcorides expreſſit. Quid amplius? an non ipſemet Galenus in libris Simplicium confirmaſſe viſus eſt Dioſcoridis ſententiam, quod nimirum radix Rhapontici ſit laxa, & aliquantum levis, cum levi & non multa adſtrictione. Hoc ſanè ex ipſius verbis apertiſſimè cognoſcitur, cum ita 8. lib. Simpl. de Rhapontico ſcripſerit: „ Reum (quidam id „ Rha nuncupant) mixtam habet tum temperaturam, tum fa„ cultatem: habet enim quiddam terreſtre frigidum, ceu indi„ cio eſt adſtrictio, & adjuncta eſt quædam illi caliditas: ſi„ quidem ſi pluſculum mandatur, ſubacre conſpicitur. Quin„ etiam aëreæ cujuſdam ſubſtantiæ ſubtilis eſt particeps: quod „ indicat tum laxitas, tum levitas." Ex quibus verbis conſtat Rheum aliquid adſtrictionis habere, cum dicat quippiam terreſtre frigidum habere, non multum, in quo multa adſtrictio fundatur: ergo non vehemens adſtrictio optimo Rhapontico ineſſe poterit, cum terrena ſubſtantia, in quo adſtrictio conſiſtit, modica ſit. Quid clarius? Fatetur poſtea ex aëreæ ſubſtantiæ mixtione radicem habere laxitatem, & levitatem. Quæ omnia iis, quæ in primo de Antidotis ſcripſerat, planè videntur contraria. Unde ſuſpicari meritò poſſumus, eum, quo tempore ſcripſerat libros de Antidotis, haud probam Rhapontici cognitionem habuiſſe. Contraria iis, quæ ibi Galenus ſcripſit, Avicennam quoque tradidiſſe conſtat in lib. 2. tract. c. 585. Ita enim ſcribit: „ Quandoque adulteratur hoc mo„ do: Decoquitur, & aſſumitur ejus aquoſitas, & deſiccatur „ ſuccus ejus, deinde exſiccatur ſubſtantia ejus poſt illud, & „ venditur ſicut eſt: & purum eſt vehementius, rarum, & „ minus ſtipticum, & eſt croceæ tincturæ. „ Et poſtea idem affir-

affirmavit dicens: „ Et quod de ipſo purum eſt, eſt minus ſti-„ pticum. „ Itaque ex iis colligimus cum Dioſcoride, radicem Rhapontici, quæ optima eſt, oportere eſſe leviter adſtringentem, raram, & aliquantum levem. Notandum tamen ex iis radicibus illas, quæ annoſiores ſunt, duriores magis, magisque adſtringentes eſſe, minus laxas, minuſque leves, quam ſint juniores, & teneriores; hæ namque laxioris, & levioris ſubſtantiæ exiſtunt, & minus adſtringunt. Quas juniores Galenum pro adulteratis, ſcilicet elixatis, in primo de Antidotis forſitan accepiſſe ſuſpicamur: cum hæ ſint minus probandæ ad uſum medicinæ, quam illæ, quæ adultioris ſunt ætatis, annoſioresque: nam hæ duriores, & compactiores ſunt, & plus junioribus adſtringunt: Unde has fortaſſe credidit Galenus eſſe, quæ ſua ætate non adulteratæ, ſed ſinceræ ab omnibus æſtimabantur. Plinium in lib. 27. Hiſt. Nat. c. 12. quoque ſuum Rheum, quod Rhacoma ab ipſo dictum eſt, notis & ſignis à Dioſcoridis Rhapontico haud diſſimilibus depinxiſſe conſtat: Cum ita de eo ſcripſerit: „ Rhacoma affertur ex iis, quæ ſupra Pontum „ ſunt, regionibus. Radix coſto nigro ſimilis, minor, & ru-„ fior paulo, ſine odore, calfaciens guſtu, & adſtringens: ea-„ dem trita vini colorem reddit, ad crocum inclinantem. In-„ clinat enim hæc radix ad calidum, cum aliquali ſtiptica fa-„ cultate. „ Hæc ſunt, quæ pro cognoſcenda Rhei radice fuerant à nobis præmittenda, atque animadvertenda. De iſtius verò radicis planta neminem veterum ſcriptorum ſcripſiſſe conſtat, uno quodam excepto Heſiodi antiquiſſimo commentatore (quam rem nos poſterius diligentius conſiderabimus) qui dixiſſe viſus eſt, lapathi radicem olim Rheum appellatam fuiſſe.

## Caput III.

### *An hac ætate verum Rhaponticum antiquorum ad nos convehatur, atque cognoſcatur.*

Superiori ætate antiquorum Rhaponticum nobis minimè notum fuiſſe, eo argumento deprehendimus, quod non paucos pro ipſo ſubſtitutis uſos fuiſſe conſtet. Alii namque ex pharmacopæis, & medicis, Rhei loco radice centaurei majoris ad medicinæ uſum uſi fuerunt; cujus quidem plantam incolæ montis Sancti Angeli, in quo copioſius provenit, in Apulia Rheuponticum appellare Andreas Matthiolus eſt auctor. Alii illiuſce plantæ, quam Lobelius Rha capitatum nominavit, radicem pro Rhapontico ſubſtituerunt. Non pauci verò cum Rhabarbarum, tum ipſius Rhabarbari radices graciles, caudatasve Rheum antiquorum eſſe voluerunt: cujus opinionis Ægyptios medicos fuiſſe eo tempore, quo in Ægypto medicinæ exercendæ cauſa olim demorabamur, animadvertimus, ſcilicet quod Rhabarbari radices eas parvas, gracilesque crederent legitimum Rhaponticum antiquorum. De qua re nos paulo poſt accuratius. Harum verò ſtirpium radices pro Rhapontico non eſſe recipiendas, neminem medicorum, qui ſedulo in ipſis Rhei veri notas recognoſcere voluerint, latere putamus, nam quis (quæſo) recipiet pro Rheo centaurii magni radicem? Cum ſit radix centaurei magni à Rhapontico ſpecie diſtincta? neque ſit laxa, & levis, neque guſtata cum remiſſa adſtrictione lenteſcat, neque rufa ſit, ut expreſſit Dioſcorides, qui inquit Rhei radicem centaurei magni radice eſſe rufiorem, ſeu rubicundiorem. Centaurei enim radix dura eſt, denſa, gravis, nigra fere ex toto, licet intus ex rubro nigreſcat. Hæc, inquam, ſuperiori ætate, magno ſanè artis pharmacopeicæ cum dedecore, locum habuit in medicinæ uſu pro Rheo antiquorum. Quid de Rhacapitato Lobelii dicemus? Cujus quidem radicem verum antiquorum Rheum, ſive Rhaponticum eſſe Lobelius nobis tradidit? Profecto hanc radicem mi-

minus etiam, quàm conveniat centaurei magni radix, cum Rheo convenire, ipſamque eſſe magni centaurei ſpeciem affirmare auderemus. At quid de Rhabarbaro, quæ radix pro vero antiquorum Rhapontico perperam à multis recepta eſt, dicemus? An non viri alioquin erudititiſſimi mordicus tenuerunt, Rhaponticum antiquorum, atque Rhabarbarum vulgo vocatum, unum idemque eſſe medicamentum? Hujus opinionis primus auctor fuiſſe viſus eſt Joannes Ruellius, quem & Aloiſius Anguillara, atque alii itidem multi fuerunt ſecuti. Nos olim Ægyptios medicos, & pharmacopæos iſtius opinionis fuiſſe animadvertimus, qui Rhavend nomine nihil aliud, quam Rhabarbarum, ad uſum medicinæ cognoverunt. Quid vero de hoc dicendum? Nos, pace tantorum virorum, non dubitabimus affirmare illos in Rhei cognitione maximè fuiſſe hallucinatos. Quomodo enim (ſi vera fuerunt, quæ Dioſcorides, atque alii ex veteribus ſcriptoribus de Rhapontico ſcripſerunt, ſcilicet, quòd radix fuerit centaureo magno ſimilis, nigra, minor tamen, ſine odore, guſtata cum aliquanta adſtrictione in ore lenteſcens, laxa, aliquantumque levis) radix Rhabarbari cum ſit magna, craſſa, denſa, gravis, Rheum antiquorum eſſe poterit? quomodo, inquam, eſſe poterit, cum ſit odorata, neque commanducata in ore glutinis modo lenteſcat, ſed potius linguam exaſperet, intenſeque amara ſit, & valenter purgatoria? Neque eſt, quod ii reſpondeant, haſce radices, Rheum Ponticum ſcilicet, ac Barbaricam radicem, aliquantum inter ſe differentes reddi primum ex cæli, in quo naſcuntur, & vivunt, varietate, quando Rheum naſcatur in Scythiæ locis vehementer frigidis, & Barbarica radix in Indiæ locis vehementer calidis: deinde ex radicum maturitate, atque immaturitate, ſeu perfectione, & imperfectione. Dicunt enim Rhei radices idcirco, quod naſcantur in cælo admodum frigido, eſſe admodum viribus imperfectas, & ob hanc cauſam non augeri ad eam magnitudinem, qua radix Barbarica cernitur, neque eſſe odoratas, neque habere eam vim valenter purgatoriam, qua barbarica radix prædita eſt: Vel hoc idem evenire etiam quod radix, quæ pro Rheo affertur, ſit ea-

eadem Barbarica radix, ſed quæ junior ſit, minimeque ad congruam magnitudinem aucta: unde cum imperfecta ſit, mirum non eſſe, ſi neque ſit magna, neque odorata, neque purgatoria. Cum ad haſce illorum rationes doctiſſime ab Andrea Matthiolo in doctiſſimis ſuis ad Dioſcoridis libros Commentariis fuerit reſponſum, non eſt opus, ut nos quoque ad ipſas iiſdem reſpondeamus: ſiquidem à Matthioli argumentis ipſos plane victos fuiſſe conſtet. Hoc ſolummodo dicemus, quomodo eſſe queat, quod una eademque planta natalia ferat oppoſiti, contrariique temperamenti? quod tamen fatendum erit, ſi concedatur Rhaponticum, atque Rhabarbarum, unum, idemque eſſe medicamentum. Conſtat ſanè longa experientia comprobatum, & plantas, & animalia habere propria loca natalia, in quibus ſponte naſcuntur, & vivunt: quæ in cælo contrario ſuis natalibus neque ſponte naſcuntur, & ibi ſi naſcantur, aut ad ea loca devehantur, ægerrimè vivunt, neque diu. Quam ob cauſam etiam ex animalibus camelus, pardus, leo, elephas, & alia animalia in calido cælo nata non æquè vivunt in frigido, ut neque urſus, lupus, & alia in frigido ambiente producta, pari diuturnitate ſuperſunt in calido. Ex plantis innumeræ in orientalibus locis velut in patria natæ, ut in ſeptentrione æquè vivant minimè ſunt aptæ ac diſpoſitæ. Neque enim balſamum, neque caſſia cathartica, neque acacia Ægyptiaca, neque tamariſcus, neque paliurus Athenæi in noſtro cælo frigidiore vivunt. Quomodo itaque eſſe poterit ut Rhaponticum, & Rharbarum, quorum diverſa temperamento natalia ſunt, iſtius calida, illius, frigida, ſponte in utroque cælo, & calido, & frigido naſcantur, & vivant? Quod verum utique erit, ſi conceſſerimus illis, ut dictum eſt, Rhaponticum & Rha barbaricum unum, idemque eſſe medicamentum. Fieri profecto poteſt ut Rhabarbarum ex India delatum apud nos, ſi ſedulo cuſtodiatur, atque in Scythia etiam in hypocauſtis calidis ſervatum, aliquantulum vivat; ſicuti Rheum econtrà in Indiæ locis ad ſeptentrionem expoſitis aliquandiu bene itidem cuſtoditum: at alterutrum in utravis plaga ſponte naſci, & copioſius ibi abundare ſi quis credat, vel affirmet,

à ratione plane abhorret. Quare non eſt credendum Rhei plantam à Rhabarbari planta ex natalium diverſitate ſpecie non differre. Huc accedit, radicem Barbaricam figura, & magnitudine diſtingui à Rhapontico; quando hæc longa, & gracilis; atque illa magna, craſſa, & brevis ſpectetur. Quæ varietatis ratio cum illos, qui Rhabarbarum cum Rheo unum idemque fecerunt medicamentum, non parum turbaverit, atque non minus etiam mercatores, qui ad nos Rhabarbarum deferre ſolent; exinde cæptum eſt, ejuſdem radicis magnæ, craſſæque longas, gracilesque fibras, ramos, aut veluti caudas, à Tangut Incolis effodientibus Rhabarbarum in proximis montibus, de craſſa radice, abſciſſas, & ſejunctim ſervatas, mercatoribus pro Rhapontico venditari. Quæ etſi centaureo magno magnitudine, atque figura ſimiles quadantenus videantur, exteriusque nigreſcant, & intus rufiores videantur; tamen fraudem detegit ipſarum intenſa amaritudo, odorque acutus, atque etiam quod guſtatæ in ore non lenteſcant, neque laxæ, & leves, ſed compactæ, & graves exiſtant, & non expertes facultatis purgatoriæ. Quare neque eæ radices Barbaricæ parvæ, graciles, quæ Rheum referre figura, parvitate, atque colore videntur, Rheum utique eſſe poterunt; cum odoratæ, intenſe amaræ, gravesque ſint, nec cum remiſſa adſtrictione guſtatæ in ore lenteſcant: Quæ notæ Rhei legitimi antiquorum fuerunt. Quid igitur dicemus? Hac noſtra ætate verum Rhaponticum deſiderari? Nequaquam: quinimò ab hinc annos multos cæpiſſe ad nos ex Scythiæ, Thraciæque locis adportari, ut viri alioquin doctiſſimi in ſimplicium medicamentorum ſtudio cognoverunt. Manardus ille Ferrarienſis in libr. 6. Epiſt. 2. qui antea crediderat Rheum, & Rhabarbarum idem eſſe ſpecie medicamentum, poſtea mutata ſententia, ad Nicolaum Leonicenum in libr. 5. epiſt. ult. ita ſcripſit, „Rhaponticum pri-
„ mum vidi ego Venetiis in officina ad Medici inſignia è Con-
„ ſtantinopoli allatum, ac deinde aliis pluribus in locis etiam
„ ex Alexandria convectum, quod nullis reclamantibus notis
„ verum antiquorum Rhaponticum refert. „ Quam veritatem & Bartholomæus Maranta, in 2. libr. Meth. Cognos. Simpl. c.7.

& alii permulti cognoverunt. Nunc verò quiſque poteſt in multis officinis ipſum videre, ſimulque & alia nobiliora medicamenta; quorum cognitio ferè ex toto apud medicos, & pharmacopæos proximis ætatibus obſoleverat. Hoc vero Rheum radix eſt ſemidigitum longa, ſive radicis fruſtulum in utroque extremo obliquè diſſectum, ſemidigiti longitudine, at craſſitie majoris digiti, exterius in cortice nigricans in rubrum, & interius rufa, quæ quando manditur, remiſſa cum adſtrictione in ore lenteſcit, obſcuramque acrimoniam aliquatenus amareſcentem guſtui præbet, linguam etiam pallido colore ad crocum inclinante tingit, nullum olfactui odorem exhibens. Quæ radix, nullis reclamantibus notis, verum antiquorum Rhaponticum refert. Sanè hæc radix ſimilis centaureo magno exiſtit, nigra, ſed minor, & rufior intus, & cæteris aliis inſignita notis, quas de Rhapontico Dioſcorides expreſſerat.

## Caput IV.

### *Rhapontici planta an fuerit veteribus cognita & an hac ætate alicubi vivat, & qualis ſit.*

Poſteaquam Rhapontici radix cognita à nobis eſt, ſupereſt ut de ipſius planta nunc agamus, de qua illud in primis erit diſputandum, an antiqui eam cognoverint, atque poſtremò, qualisnam ex ſtirpibus tunc temporis cognitis pro vero antiquorum Rhapontico à medicis recipi poſſit. Pleriſque creditum eſt antiquos Rhei plantæ radicis, quæ medicinæ cauſa ex regionibus ſupra Boſphorum deferebatur, notitiam habuiſſe, nequaquam verò ſtirpis radicem producentis: idque ex eo conſtare, quòd nemo ex præcipuis medicinæ ſcriptoribus Rhapontici plantam docuerit, atque deſcripſerit: Aloiſius vero Anguillara in ſuis Simplicium Medicamentorum Diſcurſibus in diſcurſu De Rumice, quendam Joannem Tzetzem, Heſiodi commentatorem, memorat, qui ſcripſerit lapathi radicem olim Rheum ab antiquis fuiſſe appellatam: Hæc autem ipſius verba fuis-

iſſe Anguillara expreſſit. Ἀλάπαθα γὰρ ἀτλικῶς τὰ κενώματα. Ἔστι δὲ ἡ λάπαθος βοτάνη κενωτικὴ ἢ ἡ ἀλάπαθος λέγεται, ἧς ἡ ῥίζα τὸ λεγόμενον ῥέων. Ex quibus profecto verbis conſtabit rumicis, ſeu lapathi radicem fuiſſe priſcorum uſitatum Rheum, ſive Rhaponticum. Quam veritatem Andreas Cæſalpinus, ſuperiori ævo medicus maxime præcelebris, planè confirmaſſe viſus eſt, cum is in libro quarto De Plantis cap. 29. hæc habeat. „ Ex hoc ge- „ nere videtur eſſe Rheum ab antiquis appellatum, ut teſtatur „ quidam Heſiodi commentator, qui lapathi radicem Rheum „ appellari aſſerit. „ Cui ſanè opinioni & noſtram libenter quoque ſententiam ſubſcribere nunc voluimus, poſteaquam legitimam Rhapontici plantam ex Thraciæ montibus Rhodopæis primò Rhaguſium, & hinc poſtea Patavium convectam nos à perilluſtri & præcellentiſſimo (uti ſuperius meminimus) Franciſco Craſſo dono accepimus, eamque ſedulo inſpeximus, & animadvertimus; quam profecto plantam rumicum, ſeu lapathorum magnorum genere comprehendendam affirmare non dubitamus: de qua re paulo poſt nos clarius. Quod verò hæc planta (cujus deſcriptionem, & notas audiviſtis in iſtiuſce diſcurſus principio) ſit verum Rheum ſive Rhaponticum antiquorum, vel hoc unico argumento cuique noſtrum demonſtrabitur; ſcilicet, quia ipſius radix cum Rheo Dioſcoridis ita convenit, ut ne vel una nota, quod ſit legitimum Rheum, deſideretur. Quæ veritas cuilibet diligenter in ipſa radice notas animadvertenti, facile innoteſcet; primò enim radix (inquit Dioſcorides) eſt nigra, magno centaureo ſimilis; ſed minor, „ & rufior, fungoſa, aliquantum levis, ſine odore: optimum „ habetur, quod teredines non ſenſit, ſi guſtatum cum remiſſa „ adſtrictione lenteſcat, manducatûmque colorem reddat palli- „ dum, aut ad crocum inclinantem. „ Quæ notæ Rhapontici Dioſcoridis cum ſingulæ in noſtri Thracici Rhei radice eluceant, quis, quæſo, dubitabit amplius, radicem noſtri Thracici Rhapontici eſſe verum Rhaponticum, atque ejus radicis plantam itidem Rhaponticum dici oportere? cum præſertim radix ſit centaureo magno ſimilis, ſed minor, exteriuſque nigra, nimirum ſiccata (cum vero ſtatim effoſſa eſt, & recens,

S 2 ru-

rufo colore viſitur, ſiccata autem exterius in cortice nigreſcit) interius centaurei radice rufior, fungoſa, aliquantum levis, ſine odore (vel enim ſtatim à terra eruta, & recens quoque cujuſvis odoris expers videtur) quæ guſtata cum remiſſa adſtrictione in ore lenteſcit, manducataque colorem reddit pallidum ad crocum inclinantem. De ſapore ejus Galenus inquit, ſi pluſculum mandatur, ſubacrem conſpici. Serapio verò amarum eſſe expreſſit. Vere quidem animadvertitur in Rhei radice, ſi pluſculum mandatur, ſentiri ſaporem ſubacrem, & ſenſum obſcuræ caliditatis, atque ſimul leviſſimæ amaritudinis, ex quo ambigatur, an ejus radicis ſapor vel ad acrimoniam, vel ad amaritudinem vergat. Quem ſaporem fortaſſè dedita opera tacuit Dioſcorides, ſatis apertiorem, & magis conſpicuum cum expreſſerit ſaporem, dicens: quod in guſtu (ita vertente Marcello Virgilio ex Oribaſio forſitan ita legente) glutinoſum cum levi adſtrictione lenteſcit. Si itaque verum eſt noſtræ Thraciceæ plantæ radicem omnes haſce notas habere, cur ipſius radicis ſtirpem haud Rhaponticum quoque eſſe dicemus? Atque etiam, cum in Thracia ſponte hæc planta naſcatur Ponto contermina, & non minus in Scythiæ locis, per quæ flumen, olim Rha, nunc Volga dictum, labitur, juxta cujus ripas olim ſponte naſcebatur, ut Ammianus Marcellinus in libr. 12. Hiſt. eſt auctor, exindeque ipſius radix ad noſtras nationes deferebatur. Addo ego (ut ſuperius quoque memini) Joannem Quirinum Cinglerum Germanum, virum profecto in herbarum ſtudio maxime eruditum, mihi aliquando affirmaviſſe, ſe hanc plantam in Moſcoviæ (quam olim Scythiam vocarunt) locis copioſius prodire, ac vivere conſpexiſſe. Sed quid tandem dicemus de iis, qui ſibi ipſis perſuaſerunt Rhapontici plantam eſſe centaureæ majoris ſpeciem? Aloyſius Anguillara plantam magni centaurei in monte ſancti Angeli in Apulia incolas Rheuponticum appellare tradidit, & Carolus Cluſius centaureum magnum folio indiviſo, quod ſupra Olyſſiponem naſci obſervavit, à Luſitanis itidem Rhaponticum vocari ſcriptum reliquit. Unde & Lobelium, virum eruditiſſimum, eam plantam, quam ipſam Rhacapitatum nuncupavit,

vit, Rhaponticum eſſe putaſſe aliqui crediderunt. Quod & alias notavimus. Quid igitur dicendum videtur? an non hæ quoque Rhapontici plantæ dicentur? quadantenus à quadam ſimilitudine, quam habent cum radice magni centaurei, cui Rheum Dioſcorides comparavit, poſſe ita vocari, ne contendamus, non inficiamur: At eſſe Rhaponticum verum antiquorum omnino negamus, cum radices iſtarum plantarum in nullis ferè cum Rhapontico conveniant. Quod cum ſuperius ſatis ſuperque demonſtraverimus, in præſentia idem repetere noluimus. Sed ex his cognitis cuique noſtrum ſatis fuiſſe demonſtratum putamus plantam, quam nos ex Thracia obtinuimus, eſſe verum antiquorum Rhaponticum.

## Caput V.

### *Plantam Rhapontici Thracicam, lapathorum genere comprehendi, & quot ſint ipſius ſpecies.*

Cum plantam, quam ex Thraciæ Rhodopæis montibus accepimus, verum ac legitimum Rheum antiquorum eſſe ſatis ſuperque oſtenderimus, reſtat ut cognoſcamus ſub quo genere plantarum cognitarum hæc planta verè comprehendi queat, qualiſque ſit planta ad cujus genus accedere videatur. Supra in fine ſecundi, & principio quarti capitis diximus, ex Antiquis Joannem Tzetzem, Heſiodi commentatorem, lapathi radicem, quondam Rheum vocatam nobis tradidiſſe. Unde Rhaponticum antiquorum ad lapatha quadantenus accedere nuperrime dictum eſt, cujus opinionis complures viri in Botanica cognitione doctiſſimi fuiſſe viſi ſunt. Hieronimus Tragus ſcripſit Hippolapathum, ſive magnum lapathum, à Monachis Franciſcanis Rhabarbarum vocatum fuiſſe, ex radicis colore mroceo Rhabarbari colori ſimili, atque etiam, quod, ut expecentia ſe didiciſſe affirmat, vi purgatoria valeat, qua drachriæ pondere cum ſcrupulo gingiberis epotum perinde ac Rhabar-

barbarum purget bilem, atque pituitam. Quem fortaſſe Leonardus Fuchſius ſecutus radicem itidem magni lapathi ad Rhabarbarum accedere credidit, atque ita, ut ipſum, Rhabarbari modo, purgare humores ſibi perſuaſum habuerit. Poſt hos herbarum ſcriptores noſtra ætate acceſſit Andreas Cæſalpinus, vir undequaque eruditiſſimus, & qui ipſe Rheum antiquorum ex lapathorum genere eſſe credidit. Hi verò ſcriptores, quod Rheum, & Rhabarbarum, unum idemque medicamentum fuerint, propterea magnum lapathum Rheum antiquorum eſſe facile ſibi ipſis perſuaſerunt. Sed quid nos, qui Thracicam Rhapontici plantam per quadriennium in horto habuimus, eamque aſſiduè obſervavimus, affirmabimus? Profectò magni rumicis, ſeu lapathi ſpeciem ipſam eſſe negare non poſſumus, neque à magnis lapathis ipſam itidem non poſſe ſegregari, cum hæc planta primo folia Hippolapathi ſive magni lapathi habeat, duplo tamen (ſi folia adultæ plantæ ſpectemus) latiora, longioris trianguli in modum (licet rotunditatem quandam habeant) efformata, magnæ lappæ magnis foliis figura quadantenus ſimilia, ſed duplo (ut modo diximus) fere majora, cum debitam magnitudinem ætate nacta fuerint. Caulem deinde hæc planta fert è medio foliorum cubitalem, ſtriatum, geniculatum colore, viridi in rubrum inclinante præditum, magni lapathi cauli planè ſimilem: à cujus geniculis exeunt ramuli in multos alios diviſi, qui primò floſculis albis undique conteguntur floribus hippolapathi proximis; ſed in hoc ab ipſis differentes, quia ſunt coloris albi, ſambuci floribus perſimiles, non inſuaviter olentes; magni verò lapathi flores colore vireſcant. Ab his floribus ſemina parva, nigreſcentia, triquetra figura, lapathi magni ſeminibus omnino ſimilia producuntur. Folia, caulis, et flores ſapore ſubacido haud ingrato guſtum afficiunt. Radices vero iſtiuſce plantæ non rectè deorſum in terram, ſed obliquè aguntur, gracileſque ſunt magni centaurei perſimiles, minores tamen, è terra ſtatim erutæ exterius rufo colore in obſcurum declinantes cernuntur, & ſiccatæ nigreſcunt, interius autem rubicundæ; ſuntque fungoſæ, leves, guſtui cum remiſſa adſtrictione

ne lenteſcentes, ſubacres, cum leviſſima obſcuriſſimaque amaritudine, &, ſi mandantur, tingunt pallido colore ad crocum inclinante. Quæ notæ iſtiuſce plantæ, radicisque præſertim, ferè omnes in magni lapathi radicibus animadvertuntur. Porrò duo hippolapathi, ſeu magni lapathi genera obſervavimus, unum quod latifolium nominavimus, atque iſtud eſt Rheum noſtrum Thracicum; atque alterum longifolium vocatum: quod itidem duplex obſervatur: Primum eſt hippolapathum ſativum à Lobelio nominatum: Quam plantam nos pro Rhapontico ab hinc plures annos accepimus à Joanne Pona Veronenſi pharmacopæo percelebri, & in medicamentorum cognitione adprimè erudito, mihique amicitiæ vinculo conjunctiſſimo. Secundum vero lapathum, ſeu lapathi longifolii genus magnum multis in locis proveniens, eſt id, quod vulgus herbariorum Rhabarbarum monachorum appellat, & Matthiolus Hippolapathum ſativum vocavit. Quod à priori in multis differre deprehenditur, in foliiſque præſertim, & in radicibus, folia enim majora quam in altero animadvertuntur, & in cacumine magis mucronata, neque ſingula ſunt circa pediculum in folii initio perfoliata, qualia prioris magni lapathi conſpiciuntur. In radicibus quoque differentiæ obſervantur, namque hippolapathi prioris longifolii radices minores ſunt, ac graciliores, deorſumque in terram rectè aguntur, & colore, ſapore, ſubſtantiaque, dum virides ſunt, noſtri Thracici Rhapontici radicibus proximæ exiſtunt.

## Caput VI.

*Quæ inter radices hippolapathorum, ad Rhei radices, quibus antiqui ad medicinæ uſum utebantur, proximè accedant, illarumque loco à noſtræ ætatis medicis uſurpari poſſint.*

Quoniam demonſtravimus hippolapathum, ſeu lapathum magnum noſtrum, latifolium, Thracicum, radicem habere, quæ eſt legitimum Rhaponticum antiquorum, & hippolapathorum omnium radices figura, magnitudine, colore, ſubſtantia, atque ſapore ſimiles Thracico quadantenus animadverti; dubitari non injuria poterit, an ſingularum harum plantarum radices ſint Rheum? Porrò ſuperius dictum eſt complures fuiſſe viros, alioquin eruditiſſimos, deque re herbaria plurimum benemeritos illius ſanè opinionis, quòd radix vulgaris hippolapathi ſit Rhaponticum antiquorum, quod & idem cum Rhabarbaro eſſe crediderint, propterea magnum lapathum fuiſſe Rhabarbarum à Monachis Franciſcanis nuncupatum, atque ab aliis deinceps, tum propter radicis craſſitiem (poſt quinquennium enim hæc planta radicem nanciſcitur magnam & craſſam, Indico Rhabarbaro proximam) tum maxime ob colorem, ſubſtantiam, odorem, atque ſaporem, Rhabarbarum itidem fuiſſe appellatum. Addunt fuiſſe experientia cognitum, magni lapathi vulgaris radicem habere facultatem purgatoriam, cujuſmodi ineſt Rhabarbaro, ſed minus tamen efficacem. Verum enim vero fatemur & nos quoque magnorum lapathorum radices plurimum, priuſquam adoleſcant, ſcilicet bimas, vel trimas, ad Rheum proxime accedere. Quæ etſi vera eſſe deprehendantur, nihilominus ſolæ radices hippolapathi Thracici noſtri Rhodopæi & Scythici, Rhei nomine dignæ æſtimari debebunt, cum ipſæ ſolæ notas omnes, quas Dioſcorides Rheo tribuit, habere conſpiciantur, atque etiam ne una quidem

dem ex legitimis notis Rhaponticum ſacientibus, deſideretur, quemadmodum à nobis nuperrime fuit demonſtratum. His proximè accedunt hippolapathi primi longifolii radices ſiccatæ, vix enim & forſitan nullo modo poterunt à Rheo Thracico diſcerni: cum in ipſis ſiccatis omnes notæ eluceant, ut ex illarum oſtenſione cognoſcetis. Vulgaris verò Hippolapathi ſecundi longifolii radices, magis ad Rhabarbarum (dico adultas, & plurium annorum, ſeu poſt quinquennium) accedere quam ad Rheum videntur, cum ipſæ non laxæ, ſed duræ, & compactæ ſint, graves, graviter olentes, atque cum manifeſtiori amaritudine. Atque hæc de convenientia & ſimilitudine, quam habent radices magnorum lapathorum longifoliorum cum vero Rhapontico, id eſt magno lapatho latifolio, á nobis dicta ſufficiunt. Nunc quam breviſſime Rhei Hippolapathique longifolii vires, ac uſus medicos etiam conſideremus.

## CAPUT VII.

### *De Rhapontici, & Hippolapathi longifolii viribus atque utilitatibus in medendo cognitis.*

Dioſcorides in libr. 2. De Mat. Med. c. 2. de Rhei viribus, & commodis ad medicinam ſcribens, ait: „ Vis ejus eſt adſtringens cum aliquanto calore. „ Et Galenus in 8. Simp. inquit: „ Rheum miſtam habet tum temperaturam, tum facul„ tatem: habet enim quiddam terreſtre frigidum, ceu indicio „ eſt adſtrictio, & adjuncta eſt quædam illi caliditas: ſiqui„ dem ſi pluſculum mandatur, ſubacre concipitur. Quin etiam „ aëreæ ejuſdam ſubſtantiæ ſubtilis eſt particeps, quod indicat „ tum laxitas, tum levitas: verum & opera: ob id enim non „ tantum convulſis, ſed & ruptis, & orthopneæ prodeſt. „ Sic quoque liventia & lichenas ſanat illitum cum aceto. „ Porrò quod aſtrictionis opera haud inſtrenua ſunt, hinc „ diſcere licebit, quod ſanguinem exſpuentibus, cæliacis, di„ ſentericis conferat: nec enim reluctatur terreſtri frigido te„ nue aëreum, imo eo, quod deducat, & in altum perducat, „ valentioris effectus cauſa exiſtit. „ Dioſcorides alios quoque uſus addidit, ſcilicet utile eſſe ad magnos dolores inflationesque e-

potum, & ad lienoſos, hepaticos, coxendicosque dolores, ad ſingultus, ad febrium circuitus, atque ad venenatos morſus. Quibusdam viſum eſt Rhapontico ineſſe vim purgatoriam, quod perperam collegiſſe videntur ex Dioſcoride dicente (ut Serapio auctor fuiſſe viſus eſt) Rheum dari in omnibus malis, in quibus datur agaricus, eademque menſura. Præterea id ex eo confirmant, quod per os aſſumptum hepaticis & lienoſis medeatur, quam utilitatem illis viſceribus affectis non niſi humores purgando inducere exiſtimant. Addimus Franciſcum Craſſum prænominatum relatione accepiſſe, quosdam Monachos in Thracia prope montem Rhodopem habitantes, habuiſſe in uſu familiariſſimo, purgationis moliendæ gratia, Thracicum Rhaponticum duplicato pondere ad Rhabarbarum: Imò refert ex nimis frequenti uſu illarum radicum, qui apud eos Monachos atque apud alios invaluit, ita eas plantas Rhei ibi naſcentes fuiſſe conſumptas, ut nunc pauciſſimæ ibi reperiantur: unde etiam illarum ſtirpium, quibus quodam tempore ea loca abundabant, nunc penuria indigenæ eorum locorum laborent. Forſitan ea facultas (ſi tamen aliqua Rheo Thracico ineſt, quod nondum experientia deprehendimus) Dioſcoridi, Galeno atque aliis antiquorum non fuerat animadverſa. Rhapontico Lapathum magnum viribus videtur ita proximum, ut ipſius eſſentia ex duplici ſubſtantia etiam conſtare videatur, partim, ſcilicet, frigida, partim calida: Subſtantia enim terrena, frigida, & craſſa radicis haud inſtrenue adſtringit, adeo, ut linguam deguſtata, non parum exaſperet, atque in hoc à Rheo differre videatur, quoniam guſtata in ore non ita lenteſcit. At verò ſubſtantia non parum calida & tenui, quæ acrimonia aliqua ſe prodit, valenter digerit; craſſa verò ſimul & calida à tenui adjuta ſubſtantia, vi prædita eſt deterſoria, quam nobis indicat ipſius evidens amaritudo non abſque calore percepta. Unde lienoſis, hepaticis, aſthmaticis epota medetur, non minus, quam præſtet ex aceto illita ad ſanandos & detergendos in diſcoloratione & impuritate ſitos cutaneos affectus. Sed de ipſius purgatoria & dejectoria vi ex aliorum opinione cum ſupra quædam complexi fuerimus, ne verbum quidem amplius de hac radice habebimus. Atque hic eſto finis noſtræ tractationis de Rhapontico.

F I N I S.

INDEX

# INDEX
## IN LIB.
# PROSP. ALPINI
## DE BALSAMO ET RHAPONTICO.


### A.

AEgypti locus, qui olim Balſamum aluit. 82
Ægyptum nunquam Balſamo patrium ac nativum fuiſſe. 88
Albedinem Opobalſamo in aquam ſtillato propriam eſſe. 103
Amatum Luſitanum & Nicolaum Manardum affirmare Balſami plantam planè periiſſe. 86
Antiquos Scriptores de Balſamo fuiſſe omnes inter ſe opinione differentes. 96
Antiquis Scriptoribus de Balſamo plane non eſſe fidendum. ibid.
Antiquos Scriptores fuiſſe in cauſa, ut noſtri non credant, Opobalſamo, Carpobalſamo, ex Arabia delatis. ibid.
Antiquorum de Balſamo diverſitatem ſignum eſſe eorum ignorantiæ. 97
Antiquos de Balſamo multa ex auditu litteris tradidiſſe. ibid.
Antiquos fortaſſis non vidiſſe Opobalſamum. 109. 110
Antiquos deceptos, dum crederent, Balſamum olim tantùm Ægypto atque Indiæ fuiſſe conceſſum. 97. 98
Aqua fontis, quâ olim uſa fuit Beatiſſ. Virgo, Balſamum ali ſeu irrigari, atque ejus miræ facultates. 98
Aquæ fontis Matthareæ quæ virtutes ab Ægyptiis tributæ ſint. 98
Arabes lucri cauſâ cœperunt Balſami arbores colore, & quando. 87
Arabiam Felicem innumeras Balſami plantas nunc alere. 87
Arabiam Felicem perpetuò Balſamum habuiſſe. 119
Arabes omnes ad componenda medicamenta, Opobalſamo, Carpobalſamo, Xylobalſamoque vulgari ac venali uti. 93
Arbores Balſami quæ in Ægypto aluntur ad quam magnitudinem creſcant. 96
Arbores Balſami in Arabia viventes quâ magnitudine ſpectentur, ſeu creſcant. 97
Arbores Balſami multas in Arabia vivere. 83
Arborem Balſami fruticoſam eſſe, & ſarmentoſam. 91
Arbores Balſami Ægyptii, & Indi differentiæ. 108
Auctor cur de Balſamo librum ante alios libros imprimi curaverit. 79

### B.

Balſami plantas Felicem Arabiam perpetuò aluiſſe. 93
Balſami plures plantas Bedrunia Arabiæ locus nunc alit. 84
Balſami innumeras plantas Bedrunia locum Arabiæ arenoſum miraculo Mahometis alere Ægyptii, illiſque aſſeclæ, putant. 85
Balſami innumeras plantas ſpontè natas in Arabiæ locis vivere, multorum teſtimonio. 85
Balſami plantæ quando Cayri exaruerint. 85
Balſamum qui negant hoc tempore reperiri. 85
Balſami plantam omnibus in locis periiſſe multi affirmant. 85
Balſami plantis quibus rationibus omnia loca nunc carere ſuadeatur. 87
Balſami plantæ multæ ex Arabia quando in Ægyptum fuerint illatæ. 87

*Balſami ex Conſtantino Africano deſcriptio.* 87
*Balſameta innumera in Arabia ſpectari.* 87
*Balſami arbores in Arabia à Geripſo alicui locari, ut Cayri Caſſias.* 87
*Balſami plantæ icon.* 81
*Balſami plantæ in Judæa quomodo propagatæ fuerint.* 68
*Ballaſſan nomen ab Arabibus Balſami plantæ primò impoſitum fuiſſe.* 90
*Balſamum ex Indiis Occidentalibus delatum.* 86
*Balſami planta quibus in locis tantùm olim vixerit.* ibid.
*Balſami plantæ quomodo diu in Ægypto conſervatæ fuerint.* 88. 89
*Balſamum nunc in Arabia Felici tantum vivere.* ibid.
*Balſami plantas in Ægyptum aliunde advehi.* 82
*Balſami plantæ quo pacto in Ægypto longo tempore ſint propagatæ.* 82
*Balſami plantas è Meccha omnes in Ægyptum veniſſe.* 82. 83
*Balſami plantas Ægyptium ſolum proprium numquam fuiſſe.* ibid.
*Balſamum Judææ atque Ægypti plantam fuiſſe peregrinam quæ ſuadeant.* 88
*Balſamum ſemper tum in Ægypto, tum in Judæa in viridariis vixiſſe, & non alibi.* ibid.
*Balſamum non in Ægyptum ex Judæa, ſed ex Arabia Felici veniſſe.* ibid.
*Balſami plantas naſci in Arabia, qui ex Scriptoribus prodiderint.* 87
*Balſami plantas Arabes ex ſilveſtribus locis in morbida viridaria transferre.* 87
*Balſami plantam quibus plantis varii Scriptores compararint.* 97
*Balſami diverſitas à magnitudine.* 97
*Balſami diverſitas a figura.* 98
*Balſami diverſitas à locis.* 98
*Balſami plantam fruticem eſſe.* 89
*Balſami plantæ deſcriptio.* 89. 93
*Balſami plantam in Ægypto olim viventem pro legitimo Balſamo Arabes atque Ægyptios omnes perpetuò habuiſſe.* 90
*Balſami cognitio à quibus petenda.* ib.
*Balſami arbuſti folia non eſſe alba, ut Dioſcorides voluit.* 93
*Balſami quot frutices Cayri Bellonius olim inſpexerit.* 118
*Balſamum perpetuò vivere.* 118
*Balſami Fruticum Cayri inſpectorum deſcriptio.* 118
*Balſamum ſingulis annis putatur.* 118
*Balſami plantæ virgæ.* 115
*Balſami fructus Terebinthi fructibus ſimiles.* 101
*Bedrunia locus Arabiæ Felicis, qui balſami multas plantas alit.* 84
*Beſſà Meniſſinor plantas balſami in Ægypto renovavit.* 87

C.

*Carpobalſamum verum.* 111
*Carpobalſami duplex genus circumferri.* 111
*Carpobalſami veri deſcriptio.* 112
*Carpobalſami copiam in Italiam ex Ægypto convehi.* 112
*Carpobalſami notæ.* 113
*Carpobalſamum venale verum eſſe.* 115
*Carpobalſami deſcriptio ex Serapione* 113
*Carpobalſami veri notæ è Dioſcoride.* 113
*Carpobalſamum venale, quibus rationibus aliqui demonſtrent verum non eſſe.* 113
*Corpobalſamum venale omnes notas habere, quas legitimo Dioſcorides tribuit.* 114
*Carpobalſamum ex Galeno non poſſe adulterari.* 113
*Carpobalſami loco quid ſubſtituant Veneti Pharmacopolæ.* ibid.
*Conſules Venetos multos vero Opobalſamo non carere.* 111
*Conceptiones Palmarum admirabiles.* 99
*Conſtantinus dixit balſamum naſci in India.*

*dia.* 88
*Cur noſtri in cognitione balſami decepti ſint, & à quibus.* 97

D.

*Dioſcorides cur de balſamo dixerit ipſum panno adhærere.* 108
*Dioſcorides etiam Balſamum alibi quam in Ægypto, & Judæa vivere affirmare videtur.* 87

F.

*Flores Balſami.* 93
*Folia Balſami qualia ſpectentur.* 94
*Foliorum Balſami deſcriptio.* 99
*Franciſcus Priolus Conſul Ægypti.* 92
*Fructus Balſami qui.* 112
*Fructuum Balſami copiam multam ex Ægypto in Italiam aſportari.* ibid.

G.

*Græci B. littera carent.* 90

H.

*Halybei quadraginta Balſami plantas è Mecha Cayrum juſſu Præfecti tulit.* 91
*Hiericum Balſamum olim habuiſſe.* 86
*Horrem Bei dux Caravanæ peregrinorum.* 92
*Horrem Bei è Mecha multum Opobalſami, Xylobalſami, Carpobalſami Cayrum detuliſſe.* 83
*Hortus Balſami fruticibus conſitus ubi.* 117
*Hortus Balſami in Ægypto deſcriptio.* ibid.

I.

*Incolæ Baſiliani montis Libani olim Balſamum ibi vixiſſe affirmant.* 87
*Joſeph, Sabam Arabiæ Reginam Salomoni in Judæa balſami plantam refert dono tuliſſe.* 88
*Juſtinum de balſamo arbore deceptum.* 99
*Juniperi fructus pro Carpobalſamo Venetos pharmacopolas ſubſtituere.* 113

L.

*Lignum Balſami quale.* 115
*Locus Ægypti, ubi Virgo Beatiſſima multos annos vixit, ac menſes.* 91

M.

*Matthariæ locus in quo Beatiſſima Virgo annos cum puero ejus Filio manſit.* 91
*Mattharia eſt locus Cayri Civitatis, in quo erat Balſami planta.* 81
*Matthariæ locum in quo alebatur Balſamum, nunc eo carere.* 82
*Mecham Opobalſamo abundare.* 90
*Medina Arabiæ Felicis civitas.* 92
*Marcatores Cayri Carpobalſami, & Xylobalſami totum quod habent ex Arabia convehere.* 119. 120

N.

*Notæ ſinceri Opobalſami ex Dioſcoride atque aliis traditæ.* 107

O.

*Obſervatio Petri Bellonii de Balſamo.* 116. 117
*Opobalſami copiam multam in Arabia Felici colligi.* 89
*Opobalſami copiam Arabes in multa Orientis loca comportare lucri cauſâ.* 87
*Opobalſamum ex ſeminibus balſami elici.* 110
*Opobalſami notæ.* 87. 88. 101
*Opobalſamum verum nusquam inveniri multi affirmant.* 100. *quamobrem id fiat.* ibidem.
*Opobalſamum quomodo album multi prodiderint ſpectari.* 101
*Opobalſamo quas notas multi tribuant.* 101
*Opobalſami mutationes ex variis ejus ætatibus.* 101
*Opobalſamum quando tenuiſſimum, & clariſſimum.* 101
*Opobalſamum Sereniſſimi Ducis Florentiæ verum eſſe.* 103
*Opobalſamum quomodo ex arbore eliciant, & quando, & quale ſit.* 96
*Opobalſamum ſtatim eductum quale.* 96
*Opobalſami deſcriptio.* ibid.
*Opobalſami varietates ex ætate & aliis* 95. 96
*Opobalſamo quatuor ætates ut animali, convenire.* 95. 96

*Opobalſamum etiam* Galeni *temporibus adulteratum.* 106
*Opobalſamum quibus adulteretur.* 105
*Opobalſami adulterati cognitio.* 105
*Opobalſami oleo vitiato cognitio.* 105
*Opobalſami ſinceri cognitio.* 106
*Opobalſamum omne in aqua ſtillatum, & coagulatum album videri.* 103. 104

P.

*Paulus Marianus Venetus pro Gallorum Rege Conſul.* 92
*Pauſanias Balſamum in Arabia naſci prodidit.* 88
*Petrus Bellonius.* 116
*Petrus Michaël Conſul Ægypti.* 91
*Plantas Balſami in Ægyptum aliunde advehi.* 82
*Plantæ quadraginta balſami è Mecha delata atque Cayri in loco quando inſertæ.* 91
*Plantas Balſami planè non periiſſe.* 85
*Plantæ Balſami in locis ſterilibus viventes quoad Opobalſamum ſteriles.* 92. 100
*Plantæ peregrinæ ſervatæ in viridariis* 88
*Plantas non in viridariis, ſed ubique vivere.* 88. 89
*Plinius de Balſamo.* ibid.
*Plinius in quo de Opobalſamo deceptus.* 111
*Pſeudocarpobalſamum & ejus deſcriptio.* ibid.

R.

*Rhapontici & Rhabarbari deſcriptio, vires, uſus &c.* 125. & ſeqq.

S.

*Scander Bei Medinæ civitatis Prætor ex Zacyntho Inſula à Segurorum familia ortus, Balſami recentes fructus, ac ſuccum Cayrum miſit.* 92
*Semina Balſami copioſiſſimè ex Felici Arabia in Ægyptum deferri.* 92
*Semina Balſami qualia.* 112
*Semina pro carpobalſamo vulgo recepta eſſe verum carpobalſamum.* ibid.
*Semina Balſami cum folliculo eſſe nigra ſubrubeſcentia.* 115
*Serapio de Carpobalſamo.* 112
*Seriphis Mecchæ & Medinæ plurimum veri Opobalſami Regi Turcarum ſingulis annis dono mittere.* 109
*Species vegetabilium eſſe perpetuas.* 85

T.

*Theophraſtus de Balſamo.* 88
*Thephraſtus rectè Carpobalſamum deſcripſit.* 112
*Turcas & Arabes omnes affirmare, innumeras Balſami plantas omnia Arabiæ culta & inculta loca alere.* 92
*Turcarum Rex unde plurimum Opobalſami habeat.* 108

V.

*Virgarum Balſami deſcriptio.* 115

X.

*Xylobalſami cognitio.* 115
*Xylobalſamum citò odorem & ſaporem omnem relinquere, & quamobrem.* 115
*Xylobalſamum ex Bellonio venale idem eſſe cum Ægyptio.* 119

Z.

*Zebet album naſci, & mox turbari.* 94

# JACOBI BONTII
## IN INDIIS ARCHIATRI,
### DE
# MEDICINA INDORUM,
## LIBRI IV.

1. Notæ in Garciam ab Orta.
2. De Diæta Sanorum.
3. Meth. Medendi Indica.
4. Obſervationes è Cadaveribus.

*FRATRI SUO CARISSIMO*

# WILHELMO BONTIO

*Civitatis Leydenſis Prætori Urbano,*

## J. BONTIUS.

*S. P. D.*

*QUAMPRIMUM in Indias haſce Orientales veniſſem, cæpi animum intendere, ut non ſolum herbarum hic in Java naſcentium notitiam nanciſcerer: Sed ut & aromatum, quorum feraciſſima noſtra eſt Java, pleniorem cognitionem haberem. Cui rei magno mihi uſui fore credidi Scriptores aromaterios* Garciam *præcipue* ab Orta *Proregis quondam Goenſis Medicum, ac* Chriſtophorum à Coſta: *cœpi igitur eos diligentius paulo rimari: aſt inveni ipſos plurima ex aliorum relatu hauſiſſe, quæ ego ab* αὐτοψία *edoctus longe aliter ſe habere reperi. Sed certe confiteri libet hos viros, præſertim* Garciam ab Orta, *in iis quæ uſu ac viſu comperta habuere, bona fide egiſſe: ego itaque non ut corrigam eos ſcriptores, has Animadverſiones illis adjeci: Seu, quod malignitatem ſaperet, ut ipſis, me doctioribus, detrectarem: ſed ut oſtendam oculatum teſtem unum plus valere,*

*quam auritos decem, & quod fama ſit tam ficti, pravique tenax, quam nuncia veri.* Nicolaus Monardes *multa quidem ſic ſatis accurate ſcripſit, aliqua oſcitanter quoque tranſiliit. Diligentiſſimus rei herbariæ indagator* Carolus Cluſius, *conatus etiam ſuos laudandos huc attulit: ſed pace doctiſſimi viri, in multis operam perdidit, quod in progreſſu patebit. Ego itaque ne mihi ſoli vivere videar, quæ oculis percepi, ac uſu quotidiano comprobavi in his locis, conterraneis meis ſincere ob oculos ponam; tum etiam ut oſtendam materiæ tam nobilis ſtylum, quamvis tenuem, deeſſe non debere. Itaque hæc qualiacunque tibi, frater Cariſſime, ex merito offero, quod ſciam, te horum auctorum diligentem ſemper lectorem fuiſſe, tum quod meæ fortunæ quaſi fabricatorem te agnoſcam: ut qui mihi auctor inter ceteros fuiſti, ut, relicto patrio ſolo, ac ſterili propter medicaſtrorum ibi frequentiam, proventu, uberrimos Javæ campos peterem, ubi, abſit verbo invidia, virtutis paulo major ratio habetur. Accipe igitur has Animadverſiones in fraterni erga te animi Symbolum, ac expecta anno ſequenti, ſi fors mihi vita ſuperſit, amplam* deſcriptionem Plantarum, ſtirpium, fruticum, ac Arborum adjecta uniuſcujuſque ad vivum delineatione. *Quæ Exotica, ac patriis auribus incognita, forte æquus rerum æſtimator, non parvi faciet. Tandem ſi hæc prælo digna videbuntur, cum ceteris meis Indicis tractatibus,* Methodo *ſcilicet* medendi *in hiſce locis,* ac diæta (*quæ hic cum ſumma cura obſervanda venit*) *mea* Indica, *quam hic ſubjeci, exeant in lucem: ſin minus limata cenſentur, domi apud te, boni erga te ac fraterni mei affectus indicium ſerva.*

Tuus tui obſervantiſſimus frater,

JACOBUS BONTIUS.

ANI-

# ANIMADVERSIONES,

## IN CAPUT III.

*Garciæ ab Orta quod inſcribitur de Altiht, ſeu* Aſſa fœtida. *Javanis ac Malaiis Hin' dicta.*

QUONIAM præcedentia duo Gapita abunde & ſufficienter de ambaro ac aloë egerunt, ego, quod in ea commentarer, non habui: ſed quia auctor hoc cap. negat non ſolum ſe vidiſſe hanc herbam, ſed nil certi de ejus forma adfert; ego quæ de aſſa fœtida planius comperta habeo, hoc vobis adfero.

Itaque planta è cujus radice aſſa exprimitur, magna quantitate creſcit in imperio Perſico inter Laram ac Gamaron civitates, quarum prima non longe diſtat à mari, ac noſtris mercatoribus ac Anglis etiam frequentatur. Eſtque hæc planta duorum generum: prima ſarmentoſa eſt, ferme ut Salix aquatica, ex cujus foliis ac ſtolonibus inciſis aſſa fœtida per torcular exprimitur, quæ, ut reliqui ſucci, Sole indurata in conſiſtentiam evadit, qualis eſt aloës.

Secunda porro aſſæ ſpecies longe fœcundior eſt, eſtque ſuccus expreſſus ex radicibus hujus plantæ, quæ craſſiſſimos raphanos referunt, folia autem Tithymali folia referunt. Hujus generis ego aliquot radices domi habui, à mercatore Armeno mihi amico donatas, qui illas huc è Perſia detulerat, ac etiamſi jam eſſent exſuccæ, tamen tam fortis erant odoris, ut totas ædes fœtore replerent; qui inſuetis vix tolerandus eſſet. Quo Javani, ac Malaji, ac ceteri Indiarum incolæ negabunt, ſe quicquam odoratius naribus unquam percepiſſe: apud hos Hin' hic ſuccus nominatur eſtque in tam frequenti uſu in cibis condiendis, quam author hoc cap. refert, ut propter hanc cauſam

una ſit cum opio ex præcipius mercibus, quæ per Indiam diſtrahuntur: ac ſemper ſocietas Indica magnam quantitatem hujus ſucci in armariis habet, quam incolis Javæ, permutatione aliarum mercium aut pecunia impertiantur.

## In Cap. IV.

### *De opio.* Fol. 21.

S*ecundo paragrapho*, hujus Capitis auctor mentionem facit opii Meſeri dicti, quod putat opium Thebaïcum fuiſſe: nam in Ægypto Thebæ iſtæ Centi-portæ extitere: ac Meſeri ac contracte Miſti Ægyptus hiſce incolis ac reliquis Indis eſt.

*Paragrapho.* 3. inquit eos, qui opio utuntur, dormitabundos videri: tamen nil minus quam ſtultæ ſunt hæ nationes in mercaturis exercendis; armis ac arte belli ab Europæis forte ſuperantur. Certe laudes hujus ſucci è papavere expreſſi ſi vellem referre, viderer Chymicis velle ſuum honorem præripere, hoc ſaltem dico, ſi nobis hic de Opio; ac opiatis non eſſet proſpectum, fruſtra in calidiſſimis his regionibus medicinam faceremus, dyſenteriæ, Choleræ, febribus ardentibus, ac reliquis bilioſis affectibus orgaſmo turgentibus: & ne vobis fucum videar obtrudere, quid in noſtris regionibus confectiones opiatæ tantopere celebratæ, Theriacam, dico, ac Mithrydatium? quid denique Philonium? quæ niſi opio tanquam baſi ſuffultæ eſſent fruſtra ab iis effectus tam manifeſte juvantes quis expectet. Et profecto inſignis eſt oſcitantia iſta, quæ in abuſum medicamenti, ac minus bene præparati dicuntur, in uſum nobiliſſimi inter omnia pharmaci velle referre; ſine fundamento ſæpe, ac in Scholis ſine Experientia.

Pauperes porro Indi, ex foliis, ac ſtolonibus Papaveris opii ſpeciem viliorem excoquunt, quam Soli porro indurandam exponunt: hoc medicamentum Pouſt vocant, quique eo utuntur, contumeliæ ergo Pouſti à ditioribus vocantur, tanquam ſummœnianos, ac proletarios dicas. Pauperiores porro in divites convitium regerunt eos affionii vocantes, tanquam ſi luxuriam,

ac

ac delitias vellent exprobare. Affion enim, ac quibuſdam Amphion, Arabibus ac Indis opium Græcorum eſt: indeque magis adducor, ut credam Græculos, à vetuſtiſſimo populo vocabulum opii derivaſſe, cum ab omni memoria illi eo uſi ſint. Græci vero tantum noxas hujus medicamenti videntur noviſſe, uſum verum, ac virtutes ejus plane divinas non ſatis exploratas habuiſſe. Porro ego hic Extractum utiliſſimum ex opio, & Croco Indico, 1. curcuma ad quod in Extremis tanquam ad ſacram anchoram confugere ſoleo: in jam ferme deſperatis Cholera, dyſenteria, phrenitide, ac ſpaſmo hic admodum frequentibus: ſed hoc melius *è method. med.* Indica noſtra videbitur.

## In Cap. V.

### *De Gummi Benjoin.* Fol. 26.

*Paragrapho* 18. author ait benjoiferam arborem valde eſſe proceram ac vaſtam, &c.

Ego vero benjoiferam arborem hic in Java, ubi optimum Benjoin colligitur longe alia facie vidi, quam qua hic deſcribitur; immo vero videtur planta (ſeu ſi arborem appellare malis) ex pluribus ſarmentis coalita, qualis eſt Smilax aſpera, ſeu ſalſaparilla, niſi quod ſarmenta hic brachii craſſitudinem æquent, vel etiam ſuperent, ita ut in medio ſæpe truncus arboris continuus ſatis craſſus appareat; ſubtus vero, ac ſupra Cœlum per ſarmenta à ſe invicem diſſita liceat contemplari. Sæpe quoque alia virgulta, à benjoifera arbore ſpecie plane diverſitatem foliolitione includuntur: itaque ſi quis ignarus diverſitatem foliorum in hujus arboris farragine videat, miretur ſane: ſed hoc etiam fieri in trunco aloes ſeu calamba poſtea docebimus. Et porro ex hujus ſeu ſtirpis, ſeu arboris cortice inciſo ſæpiſſime odoratiſſimi benjoini gummi fruſta aliquoties collegi.

*Paragrapho hujus Cap.* 20. quia auctor ait gummi hoc propter Tygridum frequentiam minus multum colligi, qnamvis parergoos ac extra ordinem, ego tamen de Tygridis natura hoc adjiciam. Ferociſſima igitur hæc beſtia, proh dolor! nimis

mis frequens eſt in Javæ ſylvis, quod è triſtibus diſcerptorum cadaverum exemplis ſæpe diſcere cogimur: nam tam ingenuos, quam ſervos venatum ſeu lignatum in ſylvas abeuntes, ex inſidiis, nec opinantes hæc fera impetit, ac exſucto prius ſanguine, cujus avidiſſima eſt, devorat. Quod inſidiis hominem impetere dixi, eo hoc evenit, ut oſtendam *Plinii* errorem, ſagaciſſimi alioquin naturæ indagatoris, l. 8. c, 18. qui illic ait Tygridem eſſe animal tremendæ velocitatis: ac neſcio quas fabellas de venatione catulorum ejus affert. Quin hæc fera tardigrada eſt, ac hominem (multo minus aliam feram) vix curſu aſſequeretur: hinc eſt quod apri, tauri ſylveſtres, cervi ſagacius hoc animal odorantes ejus ungues curſu facile eludant: ideoque in cataractis, ac inter virgulta latens circa flumina, quo prædictæ feræ ad potum veniunt, ſaltu obliquo in aliquam earum fertur, non ſecus ac feles in mures ac glires impetum faciunt; ſic etiam ex inſidiis hominem aggreditur, ac ſi (quod ſæpe fit) nimia cupidine prædæ aberraverit in ſaltando, lente ac rugiens recedit: ſi quoque ab homine detectam ſe ſentiat, abibit; ita natura huic truculentiſſimæ beſtiæ aliquem adhuc noſtri metum inculcavit- nam alias, neque in oppidis, neque in civitatibus nobis, tantillarum virium creaturis, hic tuto vivere liceret.

Dum in his deſcribendis occupatus ſum, ſub initium menſis Maji anni 1630. Tygris capta fuit, prope foſſas ipſas civitatis Batavæ, præſente generoſo Domino noſtro Generali Jacob Specx, quum aliquot dies, ac noctes non ſine ingenti metu circumhabitantium, horrendum rugiiſſet. Cetera de robore hujus feræ reſervamus in alium locum.

## Cap. VIII.

### *De Lacca.* Fol. 29.

Authour hic formicarum iſtarum, quæ laccam elaborant, mentionem facit: unicum hoc addo, quod formicæ iſtæ alatæ ſunt ac coloris punicei, ac ſuper flores, frutices, arbores

res ac herbas circumvolitant, ex quibus, non ſecus ac apes, laccæ conficiendæ materiam colligunt ac in communes operas conferunt; non alatæ autem formicæ eam elaborant.

## Cap. XIII.

### *De Tutia.* Fol. 48.

Fallitur vehementer hic noſter Gorcias ab Orta, quod Tutiam è cineribus cnjuſdam arboris oriri dicat: ſed confitetur hoc ſe auditu percepiſſe, itaque deceptus fallit alios.

Nam fit ex terra quadam argillæ inſtar glutinoſa, quam colligentes Indi, ollis in eam rem ex argilla, longe fortiori quam in noſtra patria, confectis indunt, ac aquam addentes eam curioſe baculis circumagitant, dein fornacibus in hunc uſum effictis imponunt, ac per ignem exſiccata omni aqua, dein terra hac calcinata lateribus prædictarum ollarum, demptis ſordibus quæ in fundo hærent, Tutiam lateribus affixam abradunt, quam arcis incluſam venalem ferunt per totam Indiam: ejus enim uſus eſt in depilatoriis apud haſce gentes, præſertim fæminis, dum ſe in balneis, fluviis lavant.

In Perſiæ autem Provincia Kirmon dicta hujus terræ argillaceæ ex qua Tutia coquitur, à Perſis ac Armeniis mercatoribus qui negotiandi cauſa huc advehuntur, magnam copiam reperiri non ſemel audivi, qui etiam ut lucrum ex Tutia, quam Perſica lingua Tutyath vocant uberius faciant, eam diſtribuunt in lapidem Tutyath ac in pulverem ejus magis vilem, quam ſeorſim volentibus tum divendunt.

## Cap. XIV.

### *De Ebore, ubi quædam ſcitu non injucunda de Rhinocerote.* Fol. 49.

*Paragrapho* 10. Auctor fatetur ſe Rhinocerotem nunquam vidiſſe aſt ego eum non tantum centies caveæ incluſum vi-

vidi; ſed & in ſylvis vagantem. Cute è nigra eſt cinericea, inſtar Elephantinæ, rugoſa admodum cum profundis plicaturis circa latera ac in dorſo: craſſam admodum habet pellem, ut quæ ictui Japonicæ, machæræ facile reſiſtat. Neque enim hæc beſtia (ut apud nos pingitur) ſcutis munita eſt; ſed hæ plicaturæ hos clypeos mentiuntur, neque una pars durior eſt altera. Roſtro eſt porcino; ſed ante acutiore neque tam obtuſo, in cujus extremitate cornu iſtud extat; unde nomen ſortita eſt bellua, aliud altero majus pro ætate Rhinocerotis. Colore etiam cornu variat, modo nigrum, modo cinericeum, modo album eſt. Magnitudine autem corporis mediocris ſtaturæ, Elephantem proxime accedit mediocrem, niſi quod pedibus ſit longe humilioribus; & propterea tam conſpicuum etiam non eſt animal. Ceterum innoxium eſt, niſi laceſſitum neque crudivorum eſt ut Tygris; ſed herbis veſcitur ac virgultis, iiſque perquam ſpinoſis, nam linguam (ut infra dicetur) habet aſperrimam: ſed ſi irritetur hominem ſimul, ac equum tanquam pulicem proſternit, quam dein lambendo necat, dum aſperitate linguæ cute ac carne uſque ad oſſa hominem denudat. Carnibus ejus Mauri veſcuntur: ſed nervoſa plane eſt, ac ferratos *Plauti* dentes poſtulat. Ut porro ferocitatis hujus exemplum habeatis, attendite. Vir mihi notiſſimus ac familiaris retulit, ſe duobus aliis comitatum in ſylvas exſpatiantem equitem iviſſe, ac reperiſſe Rhinocerotem femellam cum catulo ſuo in luto ſe volutantem; nam hoc animal æque, ac ſues & apri, cœno mirifice gaudet: bellua ipſis viſis aſſurgit ac lento paſſu recedens pullum ſuum præ ſe roſtro trudens agebat. Unde unus ex tribus temerarie ſatis feram inſequitur, ac exerta quam ferebat machæra Japonica belluæ nates ac tergum ferit, nullo ſequente ſanguinis fluxu, veruntamen diſſecta aliqua ex parte cute, ſtriæ latæ ac albæ apparebant, quod patienter beſtia ferebat, donec ſylvæ appropinquans, catulum ſuum inter vepres & ſalicta occultaviſſet, tum vero retro converſa ac horrendum grunniens, equitem noſtrum invadit: ſed bonis avibus equus perterritus retro ſaliit, ſed Rhinoceros tamen femoralia equitis mordicus apprehendit, & quia è ſerico materia leviſſima confecta erant, diſ-

diſcerpſit, ac noſter ſe in fugam, quantum poteſt, dat inſequente eum acriter Rhinocerote: ipſo perveniente ad derelictos ſocios, qui impetum belluæ declinantes, poſt duas ingentes arbores vix duos pedes latos à ſe invicem diſtantes, ſe ſtiterant: ſed beſtia furore correpta, priore equite relicto quos pedites impetit, nam equos ligatis pedibus paſtum dimiſerant: ſed ſeu ingenito ipſi ſtupore, ſeu furore impedita viam inter duas iſtas arbores omni vi quærebat, quas quidem horribiliter tremere faciebat: ſed vim ejus craſſities ipſarum inſignis impediebat tantiſper, donec ipſis daretur tempus ſclopeta ſua expediendi ac ſeſe colligendi è metu, tum belluam iteratis ictibus in fronte feriunt per cerebrum, quam collapſam mox Mauri ſervi, qui lignatum in ſylvas abierant ac ab equite periculi admoniti erant, ſecuribus ac dolonibus & lanceis interfecere, ſociis non parum maledictis in equitem ſe invehentibus, non ſine reliquiis ingentis terroris, ac ſic fortiſſimæ belluæ ferociam evaſere, nam hoc animal ſi ſclopeto læſum, aliquando per ſylvas fugit, quicquid obvium eſt cum ſummo fragore, ac horrore audientium, proſternit etiam ſatis craſſas arbores: ſed hæc de Rhinocerote ſufficiant. Quicquid porro de Elephantis docilitate dicitur verum eſt: ac deſino, ſi prius *Plinii*, ac *Æliani* errores detexero, qui inflexibiles pedes, & crura ſine flexuris Elephantos habere ſcribunt, quod adeo falſum eſt, nam præterquam quod hominibus tantum circa crura, ac femora articulationes ſunt, Elephantibus præterea, flexuræ in medio tibiarum ſunt. Proboſcide porro (ut bene *Plautus*) tanquam manu utitur in cibo capiendo, ac ea tanquam manu in os ingerit.

## In Cap. XVI.

### *De Agallocho ſeu ligno Aloës, Calambac Indis dicto.* Fol. 64.

Lignum aloës præterquam quod in Inſula Sumatra, directo in conſpectu Javæ ſita, naſcatur: etiam frequens oritur, ac optimum in Champac vicina Chinæ regno regione, & in

 Co-

Cochinchina. Ac quod cortice nudatum hinc in patriam feratur, non ideo evenit, quod ſine cortice creſcat: ſed quod ſæpe quaſi uno trunco etiam diverſæ ſpecies virgultorum ac ſtirpium temporis diuturnitate coaleſcant, haud ſecus quam in benjoifera arbore fieri diximus, nam hoc mirum nobis videri non debet, cum ſciamus per artificium etiam diverſæ ſpeciei arbores alienæ ſpeciei inſeri. Ceterum hoc modo incolæ lignum aloës, ab aliis virgultis ac ligno ſeparant. Truncos aloës cæſos deponunt in ripis fluviorum in cœno ac luto, ut diverſi generis lignum carie conſumptum ſe à ligno calamba ſeu aloës ſeparet: unde cortice calamba conſumpto, ,qui tam oleoſus non eſt, quam ipſum lignum, quod præterea minus teredinibus ac putredini obnoxium eſt, tale quale in officinis in patria, ad nos quoque defertur. Lignum hoc porro Aloës guſtu plane aromaticum eſt ac ſubamarum, unde forſan aloës nomen mutuatum eſt. Pulvis ejus ad ſcrup. I. pondus ſumptus choleræ medetur, quam mordexi incolæ vocant, ac omnibus inteſtinorum affectibus frigidis ac ventriculi medetur egregie. Tum tineas, ac aſcarides puerorum efficaciter necat. Chinenſibus porro ac omnibus mauris ethnicis, *in ſacrificiis pro ſuffumigio eſt.*

## In Cap. XVII.

### *De Santalo* Fol. 68.

P*arographo tertio*, auctor noſter refert, pallidum ac flavum ſantalum plurimum in Tymor inſula naſci, de quo hoc porro memorabile hic certo accepi, è mercatoribus noſtris advehendi ſantalini ligni gratia eo commeantibus. In hac inſula naſci febris continuæ ac ardentis quandam ſpeciem, quæ ſit è ſynochi putridæ genere, cum delirio ac mentis alienatione mira; durante namque exacerbatione, quæ plerumque quatuor eſt horarum (nam hoc obiter ſciendum eſt, quamuis ad apurexiam hæc febris non perveniat: tamen exaſperationes ſuas habere, non ſecus ac tertianas continuas) ridiculas admodum actiones ægri edunt, id opificii, vel muneris imitantes, quo ſani

ſani functi ſunt (ut latius in *Method. metendi* mea Indica) ac aſtantibus riſum excutiunt. Tenentur quoque bulymo, ac fame canina inſatiabili, ut quicquid iis obtuleris etiam fœdum (ut mos ex nauticis noſtris ſociis eo genere ſcurrilitatis delectari) avidiſſime devorent, extra exaſperationem eam, cetera ſani ac mentis integræ. Hunc porro affectum ortum ſuum trahere ex recens cæſarum arborum ſantali cortice viridi, incolæ certo certius affirmant: nam cortex tum viroſi neſcio quid expirat, ac cerebro inimici, tum cito in corporibus cacochymis, ac pejoris diætæ, ut ſunt nauticorum noſtrorum, tales effectus edit. Sed latius in præd. *meâ meth.*

Antequam cædantur arbores ſantali, cortice inciſo exploratur ab expertis odor, num maturæ ſint ac tempeſtivæ ad ſecandum. *Auctor* porro ſantali fructus ait eſſe cераſi magnitudine: baccas lauri non male referunt, nam exſiccatas habui, ac maſticati purpureo ac morino colore inficiunt. Fructus hi avide comeduntur à turdorum quadam ſpecie, ut baccæ orni in patria, quos denuo per alvum excernentes, arva ac montes novis arboribus conſerunt, ita ut quamvis tanto tempore tot millia arborum cæſa ſint à Luſitanis ac noſtris, tamen Sylvæ nunquam deficiant.

Porro cum *Auctor* mentionem hic faciat unguenti ex ſantali pulvere: ego hujus compoſitionis uſum, in gratiam tyronum medicinæ hic ſubjiciam, ac primum hoc modo paratur. ℞. ſantal. tenuiſſime moliti florum Champac. florum mogori an. m. I. his parum contuſ. adde rad. curcum unc. ij. camphor. q. s. ad gratum odorem: hæc omnia in plano marmoreo lapide piſtillo ſubigunt, addendo ſub finem olei nucis Indicæ recentis q. s. ung. formant in pultis conſiſt. Hoc inungunt tam viri, quam mulieris Malaïcæ totum corpus, & quamvis propter flavum colorem, quem è curcuma contraxit, primo aſpectu fœdum ſit; tamen ſuaviſſimo ac ſaluberrimo odore nares ferit. Prodeſt vexatis á Solis, vel etiam à febrili æſtu, rigorem quoque in febribus tollit, ac nimias vigilias arcet; impoſitum quoque regioni ventriculi choleram ſiſtit & corroborat. Quæ latius in præd. *Meth.*

## In Cap. XVIII.

### *De Betele pynang*, *Sirii Poa*, *&c.* Fol. 71.

P*Aragrapho tertio*, priorem ſuccum exſpuunt) quod priorem ſuccum exſpuant prudenter me judice faciunt, nam alias calx admixta, gingivas ac palatum excoriaret. Hoc quoque obiter notandum eſt. Quod ſi betele, ac arecca ſine calce maſticetur, ſuccus inde maſticatione elicitus viridis eſt, addito vero calcis modico ſuccum eumdem magis rubicundum, quam ſanguinem conſpicies. Quod me in principio vehementer fefellit, quod crederem eos excreatores ſputo ſanguinis laborare. Quid porro de uſu hujuſcemodi herbarum credam, paucis ac plane aperiam: ego maſticatorium hoc longe antefero fumigio tabaci, veruntamen ipſius longus, ac continuus uſus (ut hominibus hic mos eſt) non ſolum dentes, ob admixtam calcem erodit: ſed etiam excidere facit: immo non ſemel vidi aliquos, qui nondum juventutis terminos egreſſi omnibus dentibus carebant ob uſum Syrii pynang. ſeu betele ac arecca cum calce, quam Malaji caput vocant. Hinc etiam videas Javanos, ac ceteros Indos rariores oſtendere dentium ordines, in quorum vacuos loculos ditiores aureos reponunt dentes. Præterea ubi nux fauſel ſeu fructus pynang nondum maturuit, quod Javani Pynang Mouda vocant, quaſi juvenem dicas, repentinam vertiginem capiti inducit, quæ quamvis comeſo pauco ſale, vel hauſtu aquæ gelidæ cito evaneſcat; tamen hinc conjicere licet, id medicamentum quod tam repente arcem divinam mentis afficit, non admodum cerebro, ac nervis amicum eſſe. Ergo ut concludam moderatum ejus uſum pro dentifricio, ac ad commendationem halitus oris laudo, ceterum abuſum, non minus ac Tabaci vitupero: nam mea quidem ſententia dementia ſumma eſt, ea pro alimento velle habere, quæ medicamenti tantum vim obtinent.

Cap.

## In Cap. XX.

### *De Maci.* Fol. 79.

Feruntur è Banda Moluccarum inſula grandia vaſa fictilia, huc perque reliquos aliquando (cum permiſſione ſuperiorum) inſularum circumjacentium tractus, plena Nucibus myriſticis, aceto ac muria condita: nam ſine permiſſu nullo modo efferre licet, quod inſulæ Bandenſes noſtris armis ſubactæ provincia Batavorum factæ ſint. Nuces has maceratas per diem, unum, aut alterum, dein leviter excoctas ſaccharo condimus hic.

Ceterum de Cortice nucis hujus condito hoc dictum ſit, ac de nuce quoque ipſa, iis parcius in his locis eſſe utendum, quoniam oleoſi, ac pingues vapores ex eſu ejus in cerebrum, elati, obſtructionem ventriculis cerebri afferunt, ac inde ſomnolentiam, immo ſtuporem quendam univerſis ſubjectis membris inferunt. Et quod majus eſt, ex nimio hujus Nucis uſu aliquot periclitari vidi, qui amplius, quam per diem naturalem ſine ſenſu, ac motu jacuere, tanquam caro correpti, certiſſimo indicio cerebrum, ac univerſum nervorum genus non leviter correptum fuiſſe. Præterea incolæ in Banda, ac jam etiam noſtrates, ex viridi cortice nucis myriſticæ pultem excoquunt non inſuavem, quæ ferme ſapore refert iſtud ferculum, quod in patria conficitur ex pomis acidis coctis: ſed qui ea pulte uſi ſunt ex fide mihi retulere, ſtuporis ac ſomnificos jam dictos effectus edere.

## In Cap. XXII.

### *De Pipere.* Fol. 86.

Non tantum Piper provenit in Malabar ut *Auctor* 10. *paragrapho*, ait: ſed maxima etiam quantitate naſcitur in Regno Java, præſertim in Bantamenſi provincia: Præterea creſcit abunde in Jambienſi Sumatræ tractu, qui peculiarem regem obtinet non ſubjectum imperio regis Achinenſis, qui po-

tentiſſimus hujus inſulæ Tyrannus. Ex hac provincia ab amico rege, noſtræ naves quotannis bis terve petunt:

Quod porro *Auctor parag.* 11. fol. 89. inquit, aceto ac muria condiri piperis racemos virides, verum eſt. Ac quia aliquoties repetendum erit, id conditurae genus Indi generali vocabulo Achar vocant. Ac tali modo condiuntur etiam Zinziber viride, radices galangæ, caryophyllorum racemi. Hoc modo etiam ſaliunt cucumeres juvenculos, quos agurcas Luſitani vocant; præterea mangas, addito cæpe, allio, ac porro. Et certe in his locis, ad orexin excitandam ac ciborum concoctionem, nihil ſanius reperiri poteſt. Cum propter aëris in hoc clymate calorem ſimul ac humiditatem ſubjectæ capiti partes, ut ſunt Pulmones præcipue, ac ventriculus aſſiduis Catharris infeſtentur: ad hunc uſum geniſta quoque hic creſcens ac cappares è Perſia, ac ſuratæ adferuntur huc.

*Auctor* porro hujus Capitis *paragrap.* 12. refert ridiculam Indorum de piperis qualitate opinionem. Quam etiam hic Javani confirmant, nimirum quod frigidum ſit piper, credo forte ea ratione, qua quondam quidam perverſi Sophiſtæ, argumentabantur ignem frigidum, ac Nivem ſeu glaciem calidam eſſe, vel ut Hyperbolice *Poëta*, ait, *Penetrabile frigus adurit*: Contra quos tamen bene monent *Ariſtoteles* non eſſe diſputandum, niſi ſola experientia; niſi forte vellent nimio uſu, calorem nativum diſſipari, ac debilem inde reddi: aſt illi (credo) tam alte non philoſophantur.

## In Cap. XXIV.

### *De Cardammomo.* Fol. 94.

Inſigniter hoc Capite *paragr.* 6. hallucinantur *Garcias ab Orta*, quod dicat piſorum inſtar ſeri, ac ſimili modo ſiliquas dependere è ſarmentis, quippe ego qui millies creſcere cardamomum vidi magna copia inſtar arundinetorum; nam & Caulem habet arundinis omnio ſimilem, internodiis quoque diſtinctum, ſed intus ſpongioſum, non concavum; folia quoque ariundinis fo-

foliis perquam ſimilia ſunt, niſi quod non tam faſtigiata, neque in pyramidis acumen deſinunt, verum Coni inſtar, teretia magis ſunt: Siliquæ autem hoc modo creſcunt, exit circa radicem ſpica primum viridis, qualis eſt ſpica Nardi, quæ ſeſe aperiens emittit in faſtigio floſculos inſtar anagallidos, niſi quod albi ſint luteo colore diſtincti, odoris aromatici plane ac ſuaviſſimi; matureſcens porro ſpica cerealem tritici colorem induit, & hac continentur ſiliquæ iſtæ, quæ ſemen continent, quod vireſcens colore eſt albo, purpureis maculis pulchre intermixto; areſcens porro, ac ubi ſicca evadit, puniceum iſtum colorem induit, quem apud nos in officinis oſtendit: ſed alibi *in Exoticis meis Indiæ plantis* hiſtoriam cum pictura ad vivum expreſſa, vobis oſtendam, quod nullum ante me feciſſe, eſt quod glorier.

Cardamoni porro ſemen palatum grato calore afficit, ac blando: Ac ego arbitror nullum inter aromata eſſe, quod ſanius pectori, ac ventriculo ſit, nam nullum Empyreuma (ut reliqua omnia aromata) in ore, nec viſceribus relinquit.

## In Cap. XXVI.

### *De Nuce Indica, Coquo, Luſitanis dicta.* Fol. 120.

C*arolus Cluſius* in annotationibus ad hoc Cap. fol. 119. refert, ſolere Indos foliis hujus palmæ inſcribere literas ſuas; immo, quod vero proprius, literas hiſce foliis oblongis inſculpunt ſtylo ferreo, atque id adeo artificioſe faciunt, ut vel elegantiſſimum ſcriptorem è noſtris longo intervallo poſt ſe relinquant, & tam emendate characteres ſuos Indi (Arabicis autem utuntur) hiſce foliis imprimunt, ut ſubiraſci mihi aliquoties contingat noſtris Europæis & præſertim noſtræ nationi; quæ ferme nil niſi ſua admirantur, ac has nationes barbaras vocitant, cum multo ſignificantius paucis characteribus, more Laconum animi ſui ſenſum exprimere queant, quam noſtri longis periodis, ac verborum farragine inutili. Præterea quamvis regnum in Java videatur Tyrannicum imperium: tamen id ita

ita pro conditione gentis ſuæ politice gerunt, ut aliquis, cui non cornea fibra eſt, neque de genere eſt Arcadici pecoris, hic ſatis cito addiſcere queat, compendioſam hic politices viam eſſe regibus bene imperare, ac ſubditis melius obedire.

## In Cap. XXVII.

### *De Myrobalanis.* Fol. 111.

Myrobalanos Emblicos ac Bellericos officinis Europæis vocatos, ſæpe hic naſci in Java vidi: ac præter ſolitas myrobalanorum ſpecies hic naſci vidi hactenus noſtris incognitas, figura plane rotunda, ac quæ ſine ſtriis, ac inciſuris ſint, leves plane ac æquales: ceterum trunco, foliis, ac ſapore reliquis myrobalanis ſimiles ſunt, niſi quod de purgativa ceterorum myrobalanorum virtute non participent, ac inde conſtat non temere palato aſtringentem magis reliquis guſtum addere. Hi myrobalani conditi nobis quotidiano uſu ſunt pro decumbentibus in noſocomio è dyſenteria, Cholera: ac bilioſis febrium caliditatibus, quod caput rei, putredini egregie reſiſtunt.

## In Cap. XXVIII.

### *De Thamarindis.* Fol. 115.

Q*uod paragrapho* 4. hic Garcias ab Orta dicat folia Thamarindorum eſſe minutim inciſa, verum eſt, ac vere referunt formam, ac virorem ciceris aërietini: ut & quod eodem parag. dicit folia Thamarindorum ad eryſipelata valere, cum ſint adſtringentia, ac ſumme ſiccantia, tum frigida. Saporem quoque plane referunt acetoſæ, ſeu oxalidis, hinc ad dyſenteriam, ac Choleram ſumme utilia ſunt. Ut porro potus nobis quotidianus ex infuſione Thamarindorum, ac ſacchari conficiatur, admixtis malis citreis, dixi alias in *method.* mea *medendi* Indica, Thamarindorum porro arboris figuram in Exoticis meis videre licebit.

## In Cap. XXIX.

### *De Caſſia Solutiva.* Fol. 117.

Quod huic Capiti addam, vix quicquam habeo, niſi quod *Auctor parag.* 4. ubi facit mentionem locorum, in quibus Caſſia creſcit, Javam præteriit, in cujus tamen ſylvis copioſe provenit, hujus pulpæ uſus frequens eſt apud Malayos in renum, ac veſicæ morbis, ac omnibus nephriticis morbis, in gonorrhæa quoque ex impura Venere contracta, ſi miſceatur ei pulvis therebinthinæ coctus. Non auſim tamen in dyſenteria vera hic frequentiſſima, ac Cholera niſi cum cautione exhibere, quia ut & manna facile in bilem convertitur, ac morbum hoc modo per ſe periculoſum longe magis lethalem faceret.

Porro hoc Cap. *par.* 9. fol. 119. ridicula refertur quorundam opinio, nempe boves hic aſſiduo alvi fluxu laborare ex paſtu foliorum arboris Caſſiæ, &c. Cauſa autem vera hujus fluoris mea quidem opinione eſt, quod regiones ſub vel circa æquatorem ſitæ, aërem ſortiantur calidum, ac humidum, ut alia latius explicavimus, qui viſceribus, jecori, ventriculo, lieni, ac inteſtinis putredinem inurit, ac fluxus inteſtinorum, ac Hepatis inducit.

## In Cap. XXII.

### *De Calamo Aromatico.* Fol. 125.

Præter uſus excellentes, quos præſtat in medicina Calamus aromaticus hoc Cap. deſcriptus, etiam Malaïcis mulieribus in culina inſervit, in condiendis piſcibus, ac carnibus elixis, cum radicibus Zinziberis recentis, radice Curcumæ, ac Galangæ ac reliquis aromatis, ac ſic cibis odorem, ac saporem ſuavem conciliat, ac concoctioni ventriculum, ac inteſtina apta efficit. Ceterum ut hoc parergoos dicam, hæ nationes, quantum noſtris barbaræ vocatæ, Polonos, ac Germanos in con-

diendis piſcibus ſuperant, qui tamen hic palmam ſibi vindicare non erubeſcunt.

Ceterum *Auctor* ait Calamum aromaticum, nec Galangam, nec Acorum eſſe; bene quidem cum Acorus, ac Galanga, quantum ad folia potius ad Gladioli ſpecies debeant referri; ac Calamus aromaticus ſit Gladioli ſpecies.

## In Cap. XXXIII.

### *De Nardo.* Fol. 128.

Nardus Indica in Java magna quantitate creſcit, ejuſdem in culina apud Javanos uſus eſt, qui Calami aromatici, ac Junci odorati; nimirum in condiendis juſculis piſcium, ac carnium elixarum. Plantam Nardi viridem hactenus non vidi, quod in montibus circiter 14. leucas ab urbe Batavia creſcat, & nos eo propter prædones Javanos, & tygrides excurrere non audemus. Nos hic, non ſecus ac Calendulæ flores exſiccatos in patria, Nardum infundimus in aceto, ac dein Syrupum quoque inde conficimus adverſus frigidos viſcerum affectus, hepatis, nimirum, lienis, ac menſenterii obſtructiones, quæ poſtremæ hic adeo frequentes ſunt, ut hinc miſere multi extabeſcant ac maraſmo moriantur, ſine dolore tamen, ac pauco ſenſu, de quo latius in *method. med.* mea. Acetum porro, ac ſyrupum hunc nardinum (certo mihi conſtat) ad morſus venenatorum, ut ſerpentium, Scolopendrarum, Scorpionum, & ſimilium valere impoſita, vel intus ſumpta: quod experimento comperi præcipue in uno, qui morſus erat à ſerpente quodam, quem Luſitani hic Cobra de Capello vocant: atque hujus morſus hic adeo venenatus, ut certe Luſitani hunc regulum. ſeu Baſiliſcum eſſe putent: ſed de eo aliquid inferius dicemus

Sequentibus de *Junico odorato* nihil addo, quam quod auctor fallatur, qui dicat Junici odorati nullum alium eſſe uſum apud Indos, quam ſubſternendis equorum cubilibus, cum etiam eo in culina ad condiendos cibos ut Calamo aromatico Indi utantur:

tur: quapropter etiam, quamvis in ſylvis copioſe creſcat, ſtudioſe à mulieribus Malaïcis in hortis colitur, tum quoque ad lavacra, fomenta, inſeſſiones, utiliſſimus eſt; ut & ad omnes muliebres affectus; & cum ſit graminis ſpecies, ac ſimplicis, vulgaris graminis uſus, in multis tantopere commendetur, quis neget gramen hoc plane aromaticum vires longe excellentiores poſſidere?

## In Cap. XXV.

### *De Coſto.* Fol. 137.

A*uctor* hoc capite tantum unicum genus Coſti eſſe aſſerit, quod & ego affirmo: nam vetuſtiores Medici, ſua tria Coſti genera diſtinxere magis à carie, & vetuſtate corrupta Coſto. Coſti porro radices huc è Cambodia plenis ſaccis adferuntur, cum plurimus ejus uſus ſit in medicamentis apud omnes Indos, ac Chinenſes præcipue. Ceterum Coſtus vulgato vocabulo inter mercatores Indos Pucho, Chinenſibus Potſiock vocantur. Notas omnes hæc coſtus habet, cum ea, quæ hoc Cap. deſcribitur. Cum ego primum radicem Coſti viderem, putavi eſſe Hellebori albi radicem, & niſi me odor monuiſſet, in ea opinione adhuc hæſiſſem, quia Coſti radice per medium ſecta tot initia fibrarum, quot in Hellebori radice reperies: Adulterari porro radicem hanc, ut *Auctor* ait, non credo: nam vidi ego integrum Picol, quod pondus centum ac viginti lib. in auctione decem realibus diſtribui.

Auctor ſequenti cap. xxviii. de Radice Chinæ, multas, ac veras laudes refert. Quibus ego hoc tantum addo: quod hæc radix non tantum ad affectus Venereos utilis ſit: ſed & ad omnes Chronicos morbos, qui communiter graſſantur, ut ſunt Cachexia, Leucoplegmatia, Hydrops, denique paralyſeos ea ſpecies, quam beriberii in meth. mea Indica medendi vocari dixi, ad quam curioſum remitto, quod in me ipſo dum moleſtiſſimo hoc malo per quatuor menſes decumberem expertus ſum, cum ante ejus uſum neque pedes, neque brachia commodo movere poſſem, quod & in plurimis aliis experientia didici.

## Cap. XXIX.

### *De Croco Indico, ſeu Curcuma.* Fol. 153.

Crocus Indicus, quem author hic deſcribit, nil aliud eſt, quam radix Curcumæ officinis patriis dictæ, hic in ſylvis tam copioſe creſcit, ut inde vel integras naves onerare poſſis: verum ſeritur etiam in hortis. Folia habet oblonga longe latiora, quam folia Cardamomi, quibus alias non ſunt abſimilia, caule variat, qui in Cardamomo eſt internodiis tanquam arundo, diſtinctus: aſt in Curcuma lævis, ac æqualis. Miror ego *Garciam ab Orta*, hanc nobiliſſimam plantam tam leviter tranſiiſſe, cum apud omnes Indos, nulla planta ſit in frequentiori uſu, quam Curcuma. Nomen Croci ſortita eſt, non quod ullam habeat ſimilitudinem cum Croco Anglico, qui optimus jam eſt in toto terrarum orbe: ſed quod radix ejus, non ſecus ac Crocus verus colore flavo tingat.

Unde etiam Luſitanis ſaffran da tierra vocatur, quaſi Crocum ſubterreſtrem dicas; Malaii communiſſimo vocabulo borbory indigitant, cujus uſum infra docebimus. Unde & tota nobiliſſimi paulo ſupra deſcripti unguenti compoſitio nomen ſuum ſortitur. Flore eſt pulchre purpureo, qui in ſummitate plantæ emergit, ſimilitudine referens flores gladioli cujuſdam, qui in Hollandia menſe Junio aut circiter, egregie purpureos flores profert. Quod noſter *auctor. dicat*, *parag.* 5. ſub finem hujus capitis, ſe exiſtimare ſine noxa hanc radicem poſſe ſumi, audacter quamvis meo periculo dicito, neque ullum frequentius condimentum apud noſtros Indos eſt, in coctis piſcibus, ac carnibus elixis. Præterea nobiliſſimus ejus eſt uſus in medicamentis, tam topicis, quam intro exhibendis in omnibus obſtructionibus viſcerum, ac meſenterii hic frequentiſſimis: tum in mulierum morbis nullum æque celebrant Malaïcæ mulieres, quam hoc borbory, tam divinis laudibus efferunt in facilitando partu, ac urinæ difficultatibus, ac Renum affectibus. Tum in utero remedium eſt ſpecificum. Ac certe ut verum

verum fatear, nihil in his affectibus præſtantius in quotidiano uſu reperi, quam præſtantiſſimum hoc inter omnia medicamentum: ſed de hac radice latius, in *in meth. medendi.*

## In Cap. XL.

### *De Galanga.* Fol. 153.

Cum author hoc capite de Galanga ſatis ſuperque dixerit, nil habeo quod huic addam, niſi in acetariis eundem hujus radicis uſum eſſe, qui virentis Zinziberis radicis, ac loco capparum ad orexin excitandam ea Indos cum aſſis piſcibus ac carnibus uti, hanc condituram, cum muria, ac aceto jam aliquoties achar incolis vocari diximus.

## In Cap. XLIV.

### *De Ligno Colubrino.* Fol. 145.

Ait *hoc capite author* lignum colubrinum valere adverſus circuitus febrium intermittentium; hoc verum eſſe non ſemel experientia didici, præcipue in Tymorenſibus febribus cum delirio, ac ſæpe phrenitide conjunctis, de quibus & de earum cura alibi. Lignum colubrinum hoc vehementer denſum eſt, ac ſi quando Indi velint eo uti, fricant fortiter cum aqua in marmoreo lapide, & friabile cum ſit, teritur facile, ac ſic cum aqua aut alio liquore ægro exhibent, guſtu eſt longe amariore, quam lignum aloës: valet quoque ad tineas, lumbricos ac aſcarides, ac potenter ictibus venatorum animalium reſiſtit.

*Paragrapho porro tertio*, mentio fit Serpentis cujuſdam quem Luſitani Cobra de capello vocant: hi ſerpentes cum irritati ſunt, duas bullas in cervice erigunt flavo colore, quales ranæ iſtæ paluſtres coaxantes in temporibus attolunt, ac hæ bullæ forſan coronæ ſpeciem authori fecere. Ceterum ſerpens hic, non multo craſſior eſt digito minimo articulari humano, in tergo colore eſt nigro, in ventre fœde flavo.

Quod *ſeq. paragr.* dicitur de pugna viverræ cum hoc ſerpente,

te, non adeo diſſonum eſt, cum ego ſæpius à felibus occiſos viderim, ſed nunquam de carnibus eorum guſtant, cum reliquos ſerpentes, præſertim aquaticos avide devorent. Signo inter cetera evidenti quam viroſum ſit hoc inſectum. Vidi enim Maurum quoddam arundineti genus cædens, quod tottang Indi vocant, ac eo omnia ligant, ut apud nos hoc funibus fit, quorum hic vicem ſupplet, & dum inprudens unum ex ſerpentibus his lædit, ab eo morſu in muſculo pollicis eſt petitus veſtigio vix exſtante, & cum, ne venenum altius ſerperet, brachium ipſi arctiſſime ligaretur, ac ille præ dolore vinculum laxari obnixe oraret, quo facto ſtatim miſer experiavit, corpore in fædum in modum intumeſcente, tanta erat vis veneni ad cor momento penetrantis.

## In Cap. XLV.

### *De Lapide Bezahar.* Fol. 165.

### Perſis Pa-zahar.

P*aragr. ſecundo* hujus cap. author ait lapides Bezahar paleam vel quid tale intus habere, quod nunquam fallit niſi in adulterinis, & ſi ſuperficiali tunica abraſa, non ſuccedat alter orbis cæparum modo, donec ad paleam iſtam deventum ſit, fictitius eſt lapis proculdubio: ſed ſequenti modo ejus adulterium melius percipitur. Si lapidem frices pauca calce, & ſi in loco fricato puniceus color appareat, conſtat verum eſſe, ac genuinum: ſecundo ſi ponderatum accurate lapidem conjicias in pelvim aqua repletam, & poſt duas aut tres horas eundem eximas ac rurſus ponderes, ac ſi nihil de priori pondere aut perdiderit, aut eo gravior factus fuerit, verus eſt lapis Bezahar: verum ſi calce fricatus rimam ducat, aut ſi aqua exemptus, de pondere amiſerit, vel eo auctus fuerit, falſum ac adulterinum eſſe audacter dicito.

*Paragr.* 6. Garcias inquit lapidem hunc non ſolum generari in Perſia, ſed etiam in aliis commemoratis locis: ſed quoniam nullus quod ſciam ante me verum etymon hujus lapidis edidit,

nec

nec quomodo, aut ex quo generetur, paucis auſcultate rem. Perſæ igitur hunc lapidem vocant Pa-zahar compoſito vocabulo ex Pa, & Zahar, quorum prius ſignificat contra, ac ſecundum venenum nominatur, ac ſi græco vocabulo antidoton dixeris: hic perſpicitur quam fallax ſit iſta etymologia, qui a Pazar vel Bazar lapidem hunc dictum volunt, cum nullus unquam hunc lapidem venalem in foro viderit. Naſcitur hoc porro modo lapis Bezar in Perſia, ut ab Armenis, ac Perſis mercatoribus fide dignis certo accepi. Eſt locus in Perſia Stabanon dictus, trium dierum itinere ſupra Laram civitatem celebre in Perſia Emporium, in cujus campis naſcitur herba quædam croco, ac hermodactylis admodum ſimilis, in cujus campis caprorum copia paſcitur, in quorum ventriculis ex eſu hujus herbulæ hi lapides in ventriculis caprarum concreſcunt, qui apud Reges Perſiæ in tanto pretio ſunt ſupra reliquos, qui in aliis locis gignuntur ut magnus Xa Abas Imperatorum Perſarum ultimus mortuus anno 1628. inibi vigiles locaverit, ut omnes iſtos lapides Bazahar, qui certum pondus excederent, ſibi vendicarent: Itaque quod cauſa materialis hujus lapidis ſit cauſa ſupra dicta, non ſolum Armeni, ac Perſæ mercatores mihi retulere: ſed idem ferme affirmat *P. Texeira* Luſitanus in tractatu ſuo eleganti, quem Hiſpanica lingua conſcripſit de rebus geſtis Regum Perſiæ, qui, inquit, Inſulam quandam eſſe inter Ceylon inſulam, ac terram continentem Chormandel, quæ à Luſitanis Iſla de vacas vocata (quod inſulam vaccarum ſonat) noſtris naucleris etiam optime nota, in qua etiam naſcitur copia prædictorum lapidum, quam ob cauſam etiam ibi multæ capræ paſcuntur. Atque idem author ait quod anno 1585. hanc inſulam maxima ac horribilis inundatio invaſiſſet ac etiam totam continentem terram Chormandel, ita ut hæc inſula tota ſubmerſa fuerit, quæque ſervari inde capræ poterant alio tranſlatæ deſierunt gignere iſtos lapides, quod prædicta herba ibi non creſceret: ſed elapſis paucis annis, cum inſula ſalſugine maris liberata rurſus hanc herbam produceret, capræ ejuſmodi iterum eo tranſlatæ lapides hos ut ante produxere. Hæc mihi vobis communicare viſum eſt, quoniam & mercatores noſtri,

ac

ac Angli idem certo confirmant. Ceterum quantum ad hyperbolicas hujus lapidis virtutes, ac facultates portentoſas, non tantas in eo mille experientiis edoctus inveni, alioqui etiam natura non pronus ſuperſtitioſas medicamentorum facultates facile admittere, niſi experientia id verum invenerim. Quoque, id magis credatis, lapides hi miſeris hircis, ac capris tam moleſti ſunt, quam hominibus lapides veſicæ, ac renum. Capræ iſtæ non abſimiles valde ſunt capris Europæis, niſi quod habeant erecta, ac longiora cornua, ac quædam ex iis verſicolore ſunt pelle ut tygrides pulchro aſpectu, quales duas hic in arce Batavia noſtra quotidie videmus, itaque hæ capræ prout magnum lapidem, aut parvum gerunt, unumque, aut plures, eo moleſtius, vel citius incedunt, quod aſtutiſſimis Armenis, ac Perſis perbene notum eſt. Porro vidi & lapides Pa-zahar natos in ventriculis ſimiorum, qui Teretes ſunt, ac longitudinem digiti aliquando excedunt, qui hic præſtantiſſimi omnium cenſentur.

## In Cap. XLVI.

### *De Lapide Porcino.* Fol. 168.

Lapis iſte Malacenſis, cujus author hic tranſitorie meminit, in memoriam mihi revocat alterum lapidem quendam genitum in felle porcorum, aut etiam ventriculis hiſtricum oblongis pinnis præditorum, quem Luſitani propterea Piedra de Puerco vocant: mollis, ac pinguis eſt attactu, ac ſi ſaponem Hiſpanicum tractes: ego duos domi habeo, unum parvulum ex hiſtrice, alterum ex apro exciſum. Infunditur hic lapis in vino adverſus choleram, quam mordexi hic inſulani vocant, ac hic tantopore timetur, quam peſtis in Hollandia, utpote quæ hominem aliquando ſoleat occidere pauciſſimis horis: Prægnantibus tamen hic lapis non bene datur: nam abortum provocare adeo certum eſt, ut fœminæ Malaicæ mihi retulerint, ut ſi quando manſtrua earum purgatio non bene procedat, ſi ſaltem hunc lapidem manu geſtent, juvamentum ſe inde ſentire. Sed profecto mihi conſideranti judicium humanum de omnibus hiſce

hiſce concretis lapidibus in ventribus, ac cavitatibus animalium rationis expertium, ridiculum mihi videtur lapidem concretum in veſica humana, ac ſæpe è renibus elapſum, ac per penem redditum in nullo pretio haberi, cum homo non tantum ſit animal longe nobiliſſimum, ac qui delicatiſſimis cibis veſcatur: ac certe quod dixi, de ciriculis iſtis inſtar cæparum in lapide Pa-zabar repertis, ſimiles circuitus ac orbes in lapide humano videre eſt. Et ut propius ad externam ſuperficiem pervenias, ut lapis Bazahar, friabilior, ac mollior eſt, donec ad parvum nucleum circulis his incluſum pervenias, qui rubro ſuo colore non obſcure lapidis originem è renibus eſſe oſtendit. Nil porro de his lapidibus addo, ne videar lapides bazaarticos elevare, & lithotomos monere, ut vel cum periculo plures mortales ſecent. Hoc certe compertum habeo lapidem in veſica hominis repertum urinam ac ſudores probe ciere, quod tempore ingentis illius peſtis, quæ anno 1624. & 25. Leydam patriam meam ac reliquas Hollandiæ civitates miſerandum in modum vaſtabat, in penuria lapidis bazaartici nos exhibuiſſe memini, & ſudorificum (auſim dicere) melius, ac excellentius inveniſſe, cum admixta theriaca, aut mithridatio, cum olei ſuccini, aut Juniperi guttis aliquot.

---

## IN LIBRO II.

### *Garciæ ab Orta, de Plantis quibuſdam Indicis Jacobi Bontii Animadverſiones.*

### In Cap. I.

### *De Arbore triſti dicta Pariz.*

Quod hæc arbuſcula noctu flores expandat, inde eam Luſitani, Arvore da Notte vocant, copioſe in Java floſculos ſuos profert, quos ſervi venales in urbem ferunt,

faciendis corollis, ac intertexendis capillis mulierum Malaicarum.

*Paragr.* 6. *Auctor.* mentionem facit florum fula Mogori dictorum: hi flores in arbuſtis creſcunt non inepti texendis ſepibus, humanam altitudinem vix hoc arbuſtum excedit, flores quoque albos fert odore gratiſſimo, ac aſpectu longe pulcherrimo. Stillatitius porro liquor ex floribus arboris triſtis, ac hac arbuſcula igne elicitur, qui cordialis admodum eſt, quo circa ad lypothymias, quæ in febribus continuis, Cholera, ac dyſenteria crebro accidere ſolent, ſummum adjumentum præſtant.

*Paragr.* 7. Author mentionem facit hic florum ſibi Champe dictorum, Javani, autem cum arbore eos Champacca vocant. Arbor eſt mali Perſici folio, ſed craſſiori paulo; flores porro colore inter ſeſe variant: nam alii ſunt è colore viridi dilutiori, ut potius primo aſpectu ab arbore avulſi; faſciculum foliorum mentiantur: ſed pediculi intus in calice, quales ferme in roſis, flores eſſe declarant. Sunt & hujus arboris flores alii colore aureo ſubflavo (quem colorem noſtri *Oranje* vocant) uterque flos æque eſt odoratus admodum, verum caput gravat, non ſecus ac camphoræ odor inſuetis gravis eſt. Indos quoque author ait bonis odoribus eſſe deditos. Ut & reliqui, qui Mahumetis ſectam ſequuntur, omnes, ita ut nunquam ferme mulierem Indicam in publicum prodire videas, quam cum hiſce floribus capiti vel capillo (ut dixi) impoſitis ut gratiores maritis, vel ſæpe amatoribus ſuis occurrant.

## In Cap. III. l. 2.

### *De Negundo & Lagondi, ſeu Liguſtro Indico.*

Hanc arbuſculam melius deſcribit *Proſper Alpinus* lib. de plantis Ægypti, cap. 13. ſub nomine liguſtri Ægyptii, & Alcannæ, & certe liguſtro omnino ſimilis eſt quantum ad folia: ſed ramos latius effert, non ſecus ac ſalix aquatica apud nos, tum baccæ, quæ floribus ſuccedunt, rariores quidem ſunt,

ſunt, quam baccæ liguſtri ſeu vaccinia: ſed nigro quoque, ubi maturuerint ſunt colore, ſed floribus variant: cum liguſtrum hoc Indicum habeat flores coloris ex pallido cyanei, cum liguſtrum patrium gerat flores nive candidiores, unde *Virgilius; Alba liguſtra cadunt: Vaccinia nigra leguntur.* Vaccinia enim ſunt baccæ Liguſtri. Odoratior quoque eſt hæc arbuſcula, quam liguſtrum, unde merito inter aromaticos frutices venit, numeranda. Quod *Proſper Alpinus* liguſtrum hoc confundat cum alcanna, poteſt id quidem fieri, quod alcanna, atque hic frutex in Ægypto indiſcretim habeantur, nam liguſtro alcannæ frutex omnino ſimilis eſt quoad folia: ſed ea ſunt paulo minutiora, præterea alcannæ folia pulchre rubro colore tingunt, ſi ſuper marmoream tabulam, cum pauca calce terantur, ac per noctem in aqua macerentur. Hoc pigmento Javani utriuſque ſexus tingunt ungues, ac labia; tum Perſæ, ac Turcæ caudas equorum ſuorum hoc rubro colore eleganter inficiunt. Creſcit uterque frutex in Java, ac ſtudioſe in hortis colitur, & tanto ſunt apud has gentes in honore, ut in omnibus ferme morbis hinc balnea, fotus, cataplaſmata quoque concinnent, immo divinam hanc herbam ferme putant, & certe nobis hic egregie defectum ſupplet meliloti, ac chamomæli. Præterea nihil ad diſcutiendum melius reperiri poſſe confido, quam hæc folia, præterea in omnibus doloribus, etiam inveteratis ſummum anodynum eſt. Mulieribus in fotu menſtrua ciet, partum facilitat, affectibus omnibus denique vulvæ medetur, intus ſumptum hoc medicamentum, urinas movet, renum ac veſicæ malis ſuccurrit, colicos porro dolores compeſcit, & ut verbo finiam, veterum Panacea nihil ad noſtram hanc. Negundo, & Niergundo hunc fruticem nominat auctor, Javani porro paulo aliter inflexo vocabulo Lagondi indigitant.

## In Cap. IV. l. 2.

### *De Jaaca Fructu.*

Præter bene deſcriptam hic Jaacæ ſpeciem creſcit & altera hic in Java in magna, præalta ac vaſta arbore, folia lata Platani folia plane referunt: ſed multo viridiora ſunt, nec lanuginoſa, fert fructus longe minores hac Jaaca nec ejuſdem, ſed delicatioris aliquantum ſaporis: quique non è trunco, ſed ex ramis dependet, nauſeabundus eſt hic fructus, & ut author ait, inſalubris.

## In Cap. V.

### *De Jangomas*, l. 2.

Jangomas ſunt prunorum ſylveſtrium ſpecies, quales apud nos ſunt, quas Belgice *Sleen* vocamus; ubi maturuerint colore. ſunt flavo, cum noſtrates ſint è nigro purpuraſcentis coloris. Jangomas ſunt porro ſapore admodum aſtringenti, arbor in Ceraſi altitudinem aſſurgit. Spinoſa eſt plane: unde etiam *Proſper Alpinus* eam Paliurum indigitavit: ut *Virgil. Carduus & Spinis ſurgit paliurus acutis.*

Ceterum qualitate hi fructus ſunt frigida & ſicca, ideo cholericis morbis medentur, choleræ ſcilicet, dyſenteriæ, febribus ardentibus, cujus calorem temperant ac bilis orgaſmum ſiſtunt: unde hinc etiam Syrupum hic conficimus non minus utilem quam ſuccus eſt acaciæ, tantopere veteribus decantatus.

## In Cap. XV.

### *De Caramabola.* l. 2.

Miror Garciam ab Orta hujus arboris deſcriptionem tam levi pede tranſiliiſſe, cum inter ſaluberrimos Indiæ fructus merito cenſeri debeat. Folia hujus arboris, pruni folia non male

male referunt, ac ſubtus, ut populea folia albeſcunt: flores admodum grato colore è pallido puniceo fert, eoſque faſciculatim magnitudine anagallidis floribus reſpondentes. Quibus decidentibus ſuccedunt ſiliquæ oblongæ quadrangulares, ac ſæpe pentagonæ interſtitio intercedente ſingula membra, non ſecus ac in ſiliquis coronæ imperialis *Cluſii* ſemen continentibus. Saporis ſunt ſubacidi ac aſtringentis. Immaturi quoque muria ac aceto condiuntur, ut de aliis fructibus diximus. Præterea Syrupus ejus, non ſecus ac Syrupus è billinbing dictis fructibus, conducit choleræ, dyſenteriæ, febribus ardentibus, ac ſaccharo in eundem uſum à Chinenſibus conditur: maturus fructus flaveſcit, & tum è dulci vinoſi eſt ſaporis.

# JACOBI BONTII

## In Indiis Orientalibus in Inſula Java civitati, Bataviæ novæ, ac arcis Medici ordinarii de conſervanda valetudine, ſeu de diæta ſanorum in Indiis hiſce obſervanda.

## DIALOGI.

### DIALOGUS PRIMUS.

*De aëris qualitatibus, anni temporibus, dierum intervallis, ac ventis in Indiis hiſce familiariter ſpirantibus.*

JACOBUS BONTIUS.

ANDREAS DURÆUS.

MI Bonti, quoniam matutinis ægrorum viſitationibus jam tempeſtive admodum defuncti ſumus, ſi libet eamus extra pomœria civitatis aliquanto longius deambulatum, ut dum nondum ſol calore ſuo aërem prorſus excalfecerit, inter nos conferamus, quali diæta in hiſce locis præcipue ſit utendum. Bontius. Bene mones, mi Duree, præſertim cum quotidie videamus, in

in Noſocomio noſtro hoc Batavico, non ſolum pleroſque ægros, jam à morbis convaleſcentes redicivas pati, propter malam diætam ac inopportunam, ſe ipſos in mortem certiſſimam præcipitare: verum etiam bene ſanos ob eandem cauſam periculoſos morbos incurrere: Hinc enim obſtructiones hic frequentes viſcerum, hydrops, ac denique maraſmi inſanabiles; ſed cum diæta conſiſtat apud *Veteres* in VI. rebus non naturalibus dictis, eorum veſtigiis nos quoque, inſiſtentes, ne hæretici in Medicina videamur, Colloquium noſtrum finiemus. Duræus Quas tu vocas res naturales Bontius. Quæ corporis hmmani fabricam non conſtituunt, neque intus in nobis ſunt: ſed quæ externe accerſenda ſunt, ut uſui humano inſerviant. Tales ſunt aër, cibus ac potus, ſomnus ac vigiliæ, motus ac quies, excernenda ac retinenda. Affectus denique animi; de iis igitur ſingulatim nobis hic agendum eſt. Ac primum, ut ordine cuncta percurramus, *de aëris conſtitutione* hic dicendum erit, quum eo vel invitis mortalibus ſit utendum, dum reſpiratione ac inſenſili tranſpiratione, carere non poſſumus. Dur. Optime, ſed quoniam aëris calor hic vehemens toto anni tractu, clyma hoc quoque ſiccum valde exiſtimarim. Bont. Mimine vero, immo aër hic in circumjacentibus inſulis, ac in continentibus regionibus, hic humidus valde eſt. Cujus rei, quam plurima argumenta poſſim adferre ſatis valida, vulgaribus omiſſis hoc unum dicam, quod vel ſicciſſima in his locis anni tempeſtate, ferrum, chalybs, æs, argentum denique hic citius rubiginem ac æruginem contrahunt, quam in Europa pluvioſo, ac autumnali anni tempore. Dur. Verum dicis, cum & veſtimenta arcis bene incluſa ſitum breviſſimo momento contrahant, & niſi ventis interdiu ſpirantibus ac ſoli exponantur, facillime putredine corripiantur. Sed ſi placet explica, qualem hic circa Bataviam aërem experiamur. Bontius. Aër in circumvicina regione hic non admodum ſalubris exiſtit, tum quod calor ac humiditas putredinis effectrices ac genitrices Phyſicis dicantur, tum propter ſtagna ac loca paludoſa hic frequentia, dum igitur venti è montibus ſpirantes, fœtidos ac craſſos, ne dicam propter multitudinem inſectorum, venenatos vapores ſupra urbem noſtram adigunt ac ita aërem inficiunt. Itaque ventus hic è

è continenti oriundus ſerio nobis cavendus eſt, atque is præcipue, qui poſt gallicinium è montibus ſpirat ob primarum vigiliarum tepidum calorem, ac aperta inde in homine ſudaria, ſeu corporis poros, vehementius propter ſubtilem ac penetrantem qualitatem corpus afficiunt, quam vel frigidiſſimus Boreas media hyeme in patria: Hinc gravedines hic longiores ac Catharri difficiliores oriuntur, quam in patria. Penetrabilis præterea hujus aëris natura, miſerabilem illam paralyſeos ſpeciem producit, quæ berebirii in method. mea med. Indica nominatur, quo lectorem remitto. Dur, Montanorum quidem ventorum nobis naturam explicaſti: velim ut ſententiam feras, de auris è mari ſpirantibus. Bont. Eas ego autumo longe ſalubriores terreſtribus eſſe: Cauſa in promptu eſt, quod illæ fætidos illos ac paludoſos vapores longe à nobis rejiciant ac aërem vertant ac expurgent, inde Spiritus alacriores, ac vegetiores ad functiones peragendas reddunt, humoreſque, qui in nobis ſunt, à putredine conſervant. Dur. Hæc, quæ dicis, in memoriam mihi revocant, quæ de ventis in Gallia Narbonenſi, ac vicinis in Hiſpanicæ locis, ac in Italia in Romæ ac Neapolis territorio, è montibus ſpirantibus, incolis Serenæ vocantur, qui blandiente frigore homines incautos, advenas præſertim pervadunt potius, quam invadunt, inde crebræ in iis locis Hæmoptoſes, Phtiſes, ac Aſtmata, ceteraque, Pulmonum vitia, ſæpe incurabilia. Bont. Ita eſt ut dicis: hinc non inconcinne *Horatium* ceciniſſe memini.

*Matutina parum cautos jam frigora mordent.* Dur. Quum porro iu omnibus terræ locis, quotannis inſignes in aëre mutationes in Elementorum primis qualitatibus ſentiantur, ac pro iis anni tempora Phyſicis diſtinguantur, velim ut mihi etiam viciſſitudines illas tempeſtatum in Java noſtra demonſtres. Bont. Lubens fecero, itaque cum per totum anni decurſum, hic tantum in ſiccitate, ac humiditate, mutationes inſigniores oriantur in hiſce locis, tantum duo anni Tempora hic novimus. Nam quoad mutationem caloris ac frigoris: calor plerumque hic ſemper eſt æqualis, cum Sol hic à linea æquinoctiali non longe recedat: itaque anni tempora in ſiccum ac pluvioſum dividemus, quæ nobis hic æſtatis, ac hyemis vicem ſupplent.

Dur.

Dur. Quando hic igitur æſtatem incipere exiſtimas? Bont. ubi perpetuæ pluviæ cadere incipiunt: nam tum Sol propior Æquatori è directo nos feriens, ac è mari, paludibus ac ſtagnis nubes in altum cogit, ac incipit hæc Tempeſtas, à Novembr. initio, ac uſque ad initium Maii excurrit, cælo tum temporis tam irriguo, ac tam pluvioſo, tum cadentibus continuis pluviis, ut inſolitis merito ſecundum Deucalionis diluvium metuatur. E contra à Maii initio, uſque ad Octobris exitum, ſiccus plane ac ſerenus eſt aër, vix pluvia tota ſex menſium intervallo decidente, contrario plane modo, quam in Patria noſtra, ubi recedente ſole pluvioſus fit aër, appropinquante vero ſole ſiccior evadit. Sed terra tamen his non obſtantibus hic longe feraciſſima eſt, tum ob roris noctu cadentis copiam, tum propter temperatam hic matutini ac veſpertini temporis naturam, quæ veris hic qualitates æmulatur: ſed de eo infra. Dur. utrum tempus anni exiſtimas ſalubrius eſſe? Bont. ex dictis prudenti conſtare debet, Tempus pluvioſum ſeu æſtivum maxime inſalubre hic cenſeri, quod nimirum aëris calor ac humiditas naturalibus Philoſophis putredinis effectrices merito putantur eſſe: Nam niſi tum temporis venti ſucceſſivi matutini, ac veſpertini, tum aëris craſſities ac nebuloſa conſtitutio æſtum arcerent, terra hic propter calorem non ferendum inhabitabilis eſſet: ſed de his docte ac ampliter philoſophatur *Joſephus à Coſta* ex propoſito I. Naturalis Indiarum Hiſtor. quem lector curioſus adeat. Tempeſtate porro anni ſicca ac ſereno aëre. ut convenit corpora hic ſunt bene ſana, ac tum venti etiam aliquanto frigidius ſpirantes aërem melius ventilant ac expurgant. Dur. Ut ex dictis intelligo, dum æſtatem ac hyemem vicinitate, ac abſentia ſolis metiris, hic in Indiarum hoc tractu patimur hyemem, cum in Hollandia ver ac æſtas florent, & è contra hic æſtas eſt, cum in patria hyems ac boreas ſæviunt. Bont. Ita ſane eſt. Dur. ſed quid de dierum intervallis, ac eorum temperamentis ſentis? Bont, Diei tempora hic commode diviſerim in Matutinum, Antemeridianum, Poſtmeridianum, ac Veſpertinum, ſub quo quoque noctem comprehendemus. Quoad qualitates ſingulorum, Matutinum ac Verpertinum diei tempus

ſalubrius reliquis, ac actionibus accomodatius peragendis eſt. Quod tum temporis, venti, è mari ac montibus ſpirantes aërem ventilant ac refrigerant: Ut autem à mututino tempore incipiamus: Ego illud definio, quod ab hora quinta uſque nonam ſe extendit, hic tum auræ molles blande aërem temperant, ac ſi in Hollandia Maiales ventos ſentires. Antemeridianum à nona porro ad duodecimam ſe extendit, quo tempore ſole altum ſcandente, maximus æſtus ſævit, qui temperari paulatim poſt duodecimam uſque ad quartum pomeridianam incipit ob auras è mari ſurgentes. Veſperam autem terminabimus à quarta pomeridiana ad ſextam, aut paulo ultra veſpertinam, qua Sol ſe condit. Itaque ſi quid negotii gerendum ſit interdiu, id fiat veſperi ac mane - antemeridianis jam commemoratis horis progreſſus in publicum plane vitandus, ob fervoris violentiam, quod tam manifeſte quiſque ſentiat, ſe tum temporis magis quadrantis horæ ſpatio defatigari, quam ſpatio duarum horarum alio tempore. A duodecima porro ad quartam pomeridianam, etiam ſuadeam à negotiis publicis abſtineri, ſed tamen hæ horæ tam inſalubres non ſunt, quam antemeridianæ nominatæ.

## DIALOGUS II.

### *De cibo ac potu: ubi de Carnibus, Piſcibus, fructibus, Herbis, Oleribus, Potu, Pane, ac Oryſæ qualitatibus.*

EXpoſitis aëris Indici in his oris qualitatibus, tum anni temporibus, horis diei ac ventorum temperamentis, vellem, ut mihi tuam ſententiam diceres de cibum ſumendi tempore.

Bontius. Lubens faxo, itaque hoc in genere accipe jentandum hic largiter, prandendum mediocriter, cœnandum parum: non quod meæ opinioni alios ita ſtricte alligare velim, ſed ego mei judicii rationem reddere conabor. Dur. Rationem itaque velim mihi dari. Bont. Ea in promptu eſt, quod tempore matutino, ob nocturnum frigus ventriculi hic melius ad digeſtionem

nem ſunt diſpoſiti. Prandendum porro hic mediocriter ſuadeo, ne dum meridiamur hic plerumque ob ſummum calorem aliquantulum ſtomachus à nimietate cibi gravatus, cruditates, ac inde morbos hic ſolitos oriri gignat; nam plurimi morbi hic à frigida cauſa gignuntur. Dur. Hoc adeo durum mihi videtur, in calidis regionibus frigidos morbos prædominari. Bont. Aſt ubi cauſam inſpexeris, fortaſſis minus mirabere, quod nempe propter aſſiduas ſpirituum per ſudores ac cutis ſpiracula evaporationes membra naturalia concoctioni ciborum inſervientia calore deſtituantur; inde frigidiores ventriculi ac inteſtina ob concoctricis facultatis labefactionem, cibos omniuo mutare non valentes crudos ac incoctos humores, ad meſenterium, dein ad Hepar, tandem per venas ac arterias in univerſum corporis habitum tranſmittunt. Hinc quoque non mirum eſt populos ad ſeptentrionem ſitos vivaciores longe eſſe hiſce meridianis gentibus, nam ambiens frigus, per antiperiſtaſin calorem ad interna cogit, hinc eſt quod *Hippocrates*, etiam dicat, *ventres Hyeme eſſe calidiores*, ac alibi, *propterea hyeme largius eſſe cibandum* affirmat. Dur. Satisfeciſti huic ſcrupulo, veniamus ſi placet ad genera ciborum hic utilia vel reſpuenda. Bont. Age ut hoc fiat, imaginarium tibi opponam prandium, quia nemo quod ſciam nos hodie vocavit. Dur. Dummodo ne Chamæleontes è nobis facias, qui vento vivere dicuntur, ſed falſo. Bont. Bona verba quæſo, aſt ejus loco aures tuas lepidis ſermonibus opplebo. Itaque cibos primum per claſſes diſtribuamus; ac primo loco carnes in conſiderationem veniant, earum itaque ſaluberrimæ ſunt gallinarum, quibus hæc Inſula abundat. Aves montanæ ac ſylveſtres, quales ſunt turtures, columbæ, coturnices & minutiores, ut ſunt, paſſeres, fringuillæ, tum ſicedulæ ſeu ſclopaces, turdi, quas omnes volatilium ſpecies nobis abunde campi ac ſylvæ ſuppeditant. Dein Anates & anſeres, & ceteræ aves aquatiles hic carnium bonitate præſtant. Dur. Miror te hæc aquatilia inter ſalubres reponere cibos, cum in Patria inter inſalubria alimenta numerentur, quod nimirum in ſtagnis ac paludibus verſantia, limo ac alga ſe ingurgitent. Bont. fateor & recte: ſed hic longe eſt

alia ratio, tales enim aves non hic in ſtagnis, nec paludibus verſantur: ſed in profluentibus fluviis, unde carnes ipſis longe meliores, præterea licet domi ipſas alere oryſa ac panis fruſtulis, ac tum carnis tam delicatæ evadunt, ut cum gallinarum ac caponum carnibus contendere poſſint. Sunt præterea hic grues, ac ardeæ, quas quoque contemnere non licet: Dur. quas carnes porro in ſecundo bonitatis gradu locas? Bont. Caprillas: nam ab ovibus, propter penuriam hic abſtinendum eſt. Dein vitulinas ac bovinas, & illis quidem præſtantiores habemus hic feras, ſylveſtres. Bubulinæ carnes non ſunt omnino contemnendæ: ſed has juvenculas intellige: nam vetuſtæ propter inſignem nervoſitatem fortiſſimi animalis vix ferratos *Plautini* paraſiti dentes admitterent: Dur. Sed quid de ferinis carnibus ſentis? Bont. Haud male mones, inter has itaque præſtantiſſimas eſſe puto aprinas, cum & porci domeſtici hi optimi ſint, ac facilis concoctionis, ſecus quam in patria: nam & ægris hic ſuilla caro bene præſcribitur. Cervos denique (ut ſcis) hic quam plurimos habemus, & has omnes ferinas carnes milites, & cives ſclopetis à ſe occiſas huc in urbem quotidie venales adferunt. Dur. ita eſt: ſed omiſſis carnibus tranſeamus ad piſces. Bont. ut hoc commodius fiat, diſtribuemus piſces in marinos, ac fluviatiles. Inter marinos (meo quidem judicio) præſtat iſte piſcis, quem Incolæ cacap vocant, qui è cyprinorum ſaxatilium eſt genere, quem noſtri Hollandi *ſteen-braaſſems* vocant (quique tam grandis aliquando capitur, ut & aſellum callarium æquet.) Dur. Habemuſne hic aſellos majores iſtos, quos *Cabeljau* Belgæ indigitant? Bont. Capitur hic quidem ſpecies aliqua eorum, quam nautici ſocii noſtri *Jacob Evertſen* vocant, ob nigros in flava cute ſparſos nævos ac maculas, quales habuiſſe, quendam ejus nominis nautam dicunt. Eſt præterea hic magna quantitas petroſorum cyprinorum, figura varia, lata, rotunda, oblonga; inter quos excellunt ii, qui rubri ſunt coloris. Scaros quoque delicatiſſimos habemus, quos *Belonius* in obſervationibus ſuis l. 2. deſcribit, qui nobis hic percarum loco ſunt, Capitur præterea ſalmonis quoddam genus, quod Jean-Banda Malai vocant, quod Bandenſem piſcem

cem ſignificat, quod in litoribus ejus inſulæ frequentius capiatur. Certe præter colorem à ſalmone non differt, qui in hoc piſce albus eſt, in ſalmone caro rubra eſt: ſed noſtri ſiccioris ſunt carnis, ac proinde ſalubriores, ſi *Plinio* credamus, qui omnem piſcium pinguedinem profitetur malam eſſe, præter Anguillarum, quæ ſit peſſima. Dur. quid de Auratis, Corcavadis, Bonitis, & id genus piſcibus ſentis? Bont. Omnes hos piſces eſſe è thynnorum ac delphinorum ſpecie, tum propter natationis ſummam velocitatem, qua expanſis velis navigantem navem tranatant, ac etiam è mari exiliunt ad duos quatuorve cubitos in altum, ut venentur hirudines aquaticos, ſeu piſces volaticos dictos, qui etiam ſunt boni ſaporis, ac demtis alis, Halecem non male referunt & forma, & ſapore. Ceterum inter delphinos iſtos palmam fert Aurata ab aureo colore Dorado Luſitanis dicta, ceteri ſunt carnis durioris ac proin concoctu difficilioris. Sanis tamen ventriculis bene conveniunt, quum ſanis, ut, inquit, Latinus Hippocrates *Cornelius Celſus*, non opus ſit exquiſita diæta. Dur. quid de planis piſcibus marinis? an illos omnino oblivioni tràdemus? Bont. immo vero ego in hoc eram ut ipſos hoc ultimo loco reſervarem: nam extra controverſiam è ſaluberrimorum piſcium ſunt genere. Tales inter præcipuos ſunt, Rhomboides, Lingulacæ ac Rhombi, quorum Rhomboides optimi inter piſces ſunt nutrimenti; dein lingulaca, ac ultimo Rhombi, qui adeo conſuevere in delitiis apud Romanos eſſe, ut inde materiam cæperit ingenioſus *Juvenalis* Satyr. ſalſiſſima in crudelia & nugacia Domitiani tempora eiaculandi. Rayas habemus præterea clavatas ac læves, quæ quo juniores, eo meliores concoctu; à vetuſtioribus enim jubeo abſtinendum, ut de lamiis, ac laris piſcibus *Hayen*, qui acutiſſimis ſuis dentibus raſtratim ſtipatis tam multis ſociis navalibus temere natantibus exitium intulere. Paſtinaca marina ipſis Chinenſibus piſcatoribus confitentibus venenoſum è tranſverſa cauda enaſcens telum gerit, quo abſciſſo edulis eſt, ſed carnis inſalubris, ac faſtidioſæ, ideo ego Chinenſibus, ac Mauris, qui iis avide veſcuntur ſuas delitias reliquerim, contentus ſupra commemoratis Neptuni pecoribus, ut eos *Plautus* vocat. Dur. Marinis piſcibus vi-

deor jam affatim ſatiatus: velim mihi fluviatiles etiam apponas. Bont. in me non eſt mora. Igitur primo loco mihi occurrit carpio, ſeu cyprinus rotundus, quem ego carne, ac guſtu meliorem eſſe judico patriis, utpote qui hic in fluviis, non in ſtagnis ac paludibus ut apud nos plerumque capitur, & ut quod diximus anates hic præſtantiores ſunt, ſic & hi piſces ob prædictam cauſam laudabiliores hic capiuntur, nec enim tam limoſum ſapiunt. Hi porro tam inſigni mole aliquando capiuntur, cute candida, ac carne delicata, ut iis nil ulterius addi poſſe confidam. Sunt præter hos lupi piſces in alveis fluviorum, quos propterea num inter marinos, aut fluviatiles numerare debeam, dubius hæreo: ſed certe magis in mari capiuntur magna mole, pelle alba, guſtu ſive aſſi, ſive elixi ſuaviſſimo. Mugiles porro *harders*, ac ea piſcium ſpecies, quam ob eminentiam naſi naſutos appellant accolæ Moſæ in Hollandia, ac vernaculo vocabulo *Houtinck* indigitant hic affatim capiuntur, ita ut pauperioribus etiam in cibum cedant. Hæ duæ piſcium ſpecies ſtatutis temporibus, ab Octobre nimirum menſe, ad Aprilem uſque propter pluvias quæ ſalſam aquam edulcorant (nam hi piſces etiam in alveis fluminum capiuntur) pingues ac ſuaviſſimi ſunt Sicciori vero tempeſtate carne ſunt durioris ac ſpinoſæ. Alburni *voornen* præterea hic noſtratibus ſimiles hic in fluviis capiuntur boni ſane ſaporis, ac nutrimenti. Congri *Congerael* quoque inſignes aliquando in fluviorum ore ſæpius in mari capiuntur, unde eos potius inter piſces marinos locaverim. Inſalubriores jam porro piſces enumerare libet, quales ſunt anguillæ, quæ cute ſunt ſuperne nigerrima, ſubtus fœde flava, tum etiam cum hydris coire certiſſimum eſt, & quamvis & plurimi eis ſuaviter utantur, eas ego tamen ob prædictas cauſas ac propter nauſeabundam illorum pinguedinem facile contempſerim. Eſt præterea piſcis quidam duriſſimis ſquammis obſitus quem Ican Caboſch Malai vocant, ego à figura, & capitis, ac reliqui corporis Mugilem fluviatilem dixerim, qui in limoſo hæret fundo, ac originem ſuam non obſcure ſapit: Habemus hic porro Tencarum *Seelt* quoddam genus ſine ſquammis pelle lævi, teretes cum duabus pinnis ut anguillæ, ac capiuntur hic in magna

gna copia iſti piſces (quos noſtrates à capite bufonis *Puytael* vocant) ſed ego, ut muræenas fluviatiles omne id genus cupientibus non invideam; Poſſem ego jam alias piſcium ſpecies enumerare quæ plurimæ reſtant, ſed quia non hiſtoriam, ſed tractatum de diæta Indica ſcribere geſtio, ideo his cancros tantum ac aſtacos, oſtrea quoque, ſquillas ingentes tibi jam apponam, quæ omnia præter reliqua oſtracoderma, hic delicatiſſima ſunt. Tum teſtudines amphibias addo, cum ovis ſuis ac carne ſuaviſſima, ut ajunt ii qui de iis millies ſe guſtaſſe glorianttur: ſed credo ego ipſos famem ſecum, optimum condimentum attuliſſe, ego teſtudinum carnes inter medicamenta iſta collocaverim, ſeu mavis alimenta medicamentoſa, quæ phtiſicis, Empyematiciſque conveniunt; quia glutinoſæ cum ſint, pulmonibus conſolidandis conveniunt.

## DIALOGUS. III.

### *De oryza, oc Pane in Iudiis. De potu, Vino, Arac. De potu ex aqua, ſaccharo, Thamarindis concinnato, de naturalibus liquoribus potulentis ex arboribus depromptis.*

Duræus Quoniam in his locis oryza cocta plerumque pro pane utimur, velim ut mihi narres, quid de hoc nutrimento ſentias, præſertim cum cibus ſit ſolidior, & quæ tanquam baſis ſuſtinere debet reliqua alimenta, ne in fnndo ventriculi fluctuent? Bont. Certe, ſi id, quod res eſt fatear. Si tritici (ut ſolet) copia nobis è Japonia & Zuratte advehatur, oryza libenter carere velim, cum è farina tritici panes hic confecti patriis bonitate non cedant, & melioris (meo quidem judicio) quam oryza ſint nutrimenti: ſed ſi tritici adſit inopia, tum oryza iſta eligenda eſt, quæ colore ſit candidiſſima: & quæ manu contenta bene ponderet, & colore quaſi perſpicua cernatur: ſed cum excocta eſt, antequam ea utare, expectes oportet, donec refrixerit: nam experientia conſtat calidam ory-

oryzam non ſolum noxiam eſſe ventriculo, verum cerebro, ac univerſo uervorum generi: hinc quoque fit à vaporibus craſſis & ſiccis ex hoc cibo in cerebrum elevatis nervos opticos ſæpe in tantum obſtrui, ut cæcitas inde oriatur, de qua, & de ejus cura latius in *methodo* mea *medendi* Indica ex profeſſo egimus: hinc etiam non facile videas Javanos, ac Malayos edere calidam oryzam, quia Indi (ſi quæ gens alia) ſanitatis conſervandæ ſuæ ſunt apprime curioſi, inde ſobrii exiſtentes ſumme exactam diætam obſervant. Dur. ſed heus tu! nimium ſiccum in pictura convivium apponis, & interea. *Nos miſeri aremus, nec quod potemus habemus*: velim potum nobis præbeas. Bont. haud male mones, nam & mihi loquendo fauces ſolito ſicciores ſunt, verum de fluente licet nobis accipere, quoniam alterius liquoris hic nobis non eſt copia, ac primum de aqua puriſſima, ac ſimpliciſſima ſecundum elementum ſuum nativum agamus, namque hæc potio etiam nobis cum reliquis animalibus eſt communis. Dur. Quid igitur de fluvio hoc Bataviam noſtram interfluente cenſes? Bont. aquam eam qualitate quidem non eſſe malam, ſi altius è flumine petatur: nam in ore fluvii propter affluxum maris ſalſedine imbitur: & hæc eſt illa cauſa, quod cum anno 1628. à Javanis Matarranenſibus arcte obſeſſi eſſemus, & propterea ex fluvio altius aquam petere non auderemus, multi è potu ſalſo in dyſenteriam inciderent, addito etiam inſuper hoc, quod cadavera Javanorum a nobis quotidie excurſionibus occiſorum in ſummo natarent ac aquam non ſolum tabo deſcendente flumine; ſed & aërem, putredo halitu inficerent: Dur. Sed licet nobis hic potum factitium bibere, quid tu de eo ſentis? Bont. Quoniam cerviſia nobis deeſt, non quod coqui hic non poſſit: ſed quod propter calorem aëris, citiſſime aceſceret, alioqui non minus bona, quam in patria parari poſſet: nam (ut dixi) triticum, è Suratte nobis abunde ſubvehitur, tum quoque ex oryza, non decorticata iſtud frumenti genus commode confici poteſt, quod *Mout* in patria vocamus. Cujus rei exemplum vidimus apud Mareſchallum mercatorem bene cognitum, qui in hac urbe ex prædicta materia cerviſiam coquebat, nulla ratione Hollandicæ cedentem, quæ non ſecus ac patria

tria quoque cerebrum tentabat, ac guſtu non deterior erat: ſed durabilis non erat propter ſummum in his locis calorem, ac cito aceſcebat: ſed hunc potum ſalubrem minime hic eſſe certum eſt: ſed ſalubris iſte eſt potus, qui modo ſequenti paratur. Sume vaſculum ferreis vinculis bene cinctum, triginta, aut amplius (pro familiæ magnitudine) amphorarum, quod imple aqua fluviatili pura, cui ſacchari Javanici nigri infunde lib. II. Thamarindorum unc. IV. Citreorum malorum diſſectorum N°. III. bene obturata hæc reponantur loco frigidiore à ſolis radiis libero, hæc fermententur ſimul per 24. horas, & quod miror, hæc ſine ſubjecto igne ebulliunt, ut eminus aſtantibus exaudiri poſſit ſonus, non ſecus quam valido igne coquitur cerviſia noſtra patria, tum fæces in altum ejicit, quas aperto operculo abjicimus. Hic potus noſter eſt quotidianus guſtui jucundiſſimus, ac viſceribus minime ut præcedens gravis. Et certe illi, qui noviter huc è patria pervenere, à me ridendi gratia decepti diſceſſere putantes, me iis Anglicam vel Martiam cerviſiam propinaſſe, cujus ſaporem magis æmulabitur, ſi manipulum cariophyllorum in vas conjicias. Dur. Sed quid de potu iſto exiſtimas, qui hic ex aquæ partibus ſex, & vini duabus eodem modo fermentando in cantaris Hollandicis lapideis anguſtioribus conficitur? Bont. limpidus fateor ac frigidus hic eſt potus: ideoque etiam tempore cibi ſumendi utiliorum eſſe puto: ſed altero utendum cenſerem interdiu, quod hic pectori paulo ſit infeſtior neſcio quid acidi penetrantis ſapiens. Dur ſed utrum vinum hic ſalubrius eſſe exiſtimas, Gallicumne an Hiſpanicum? Bont. ſunt qui Gallicum præſtare putent: ſed meo quidem judicio hallucinantur, ſanius enim credo in his locis vinum Hiſpanicum eſſe vel Creticum; Duræus. attamen hoc rationi plane contrarium videtur, quod ſub climate calidiſſimo, calida vina, ac polygophora exhiberi velis. Bontius. ubi rationem audieris, mirari deſines: nam cum calor hic interdiu, præſertim à decima matutina uſque ad pomeridianam tertiam horam, admodum ſit vehemens, neceſſe eſt homines multo ſudore, diffluere, unde quoque calor nobis ingenitus debilitatur, proin partes naturales coctioni ciborum inſervientes,

ac chyli debito frigidiores remanent, ſecus quam in partibus ſeptentrionalibus accidit, ubi ex Hippocratis decreto ventres hyeme ſunt calidiores, ratio eſt quod per antiperiſtaſin externus aër internum calorem augeat. Huic quoque argumento fidem addit experientia mercatorum per deſerta Arabiæ in Perſiam, aut Turciam iter facientium, qui in ſummis caloribus ſitim optime ſedant hauſto ſpiritu vini, vel fortiſſimi vini Perſici, vel Hiſpanici: nam ſi ob inexplebilem ſitim aſſiduo aquam ingererent, in cachexiam proculdubio, ac in ventris inſignem tumorum, ac ipſum denique hydropem inciderent. Adde quod vinum Gallicum, quod huc è patria adfertur, œnopolæ apud Hollandos liberalius iſto ſuffumigio imbuunt, quod *lucht* vocant, quod cum arſenico ſulphure, & colophonia conſtet, vino perniciosſam ac cauſticam qualitatem inurit, quamvis efficiat ut ſapor diutius illi incorruptus conſervetur. Unde ego hic aliquos vidi ex ſolo Gallici vini potu largiore in lethalem dyſenteriam incidiſſe. Dur. Ex prædictis apparet te etiam à vino aduſto, nec Arac Chinenſe abhorrere; Bont. uſum commendo, abuſum abominor; ſi quis igitur mane, aut veſperi ventriculi roborandi gratia unc. ij. aut unc. iij. iſtius liquoris ſumat, haud male, me judice, fecerit: ſed ſi id vinum diſtillatum haberi poteſt, quod è Gallia venit, non eſt quod Arac hic confectum deſideremus: ſed ſi ejus copia hic non detur, quod hic conficitur è liquore nuce Indica contento, ac ex ipſa arbore diſtillato cum oryza eligendum eſt: at cane pejus & angue vitandum eſt, quod Chinenſes avariſſimi ſimul, ac aſtutiſſimi bipedum mixtis holothuriis in mari fluctuantibus parant, quæ excrementa maris Belgæ *quallem* vocant, eaque tam exurentis ſunt caloris, ut ſolo attactu veſicas in cute excitent, atque hinc exulcerationes pulmonum, ſanguinis ſputa, tabes ac mors ipſa adveniant, atque hoc eſt quod ut *Plautus* ait, homines hic tam brevem vitam colunt, cum inſtar ſtrigilum inteſtina abradant, ac exedant.

DIA-

# DIALOGUS IV.

## *De Potionibus naturalibus ex arboribus depromtis in India Toruvat, ac Saguër dictis, tum de liquore nuce indica contento.*

Dur. In omnibus his mihi abunde ſatisfeciſti, jam ſententiam tuam explices velim de liquoribus iſtis potulentis, qui vel ex fructibus arborum vel ex ipſis arboribus depromuntur. Bont. Sciendum itaque eſt, tres hujus potus eſſe ſpecies; primam, quæ continetur in nucis Indicæ cavitate; ſecundam, quæ è floribus ejuſdem arboris elicitur, tertia, frequens eſt in Banda ac reliquis inſulis Moluccis, quæ diſtillat ex arbore non abſimili palmæ Indicæ, iſque potus indigenis Snaguër vocatur, hæ tres potus naturalis ſpecies per totam Indiam admodum familiares ſunt. Ac hoc in genere de iis dictum ſit, ipſos frigida qualitate excellere, ac proinde nervis eſſe infeſtos, ſi quis nimia quantitate iis abutatur, præſertim corpore per exercitium aut ſolis ardorem excalefacto: non ſecus ac vidimus ſæpe in patria noſtra, ſi quis æſtate, vel oriente canicula, curſu defatigatus ac ſudore perfluens, intempeſtive nimis avide frigidum, vel lactis preſſivum hauriat, ipſum in momentaneam mortem incidiſſe, vel ſummum vitæ periculum. Itaque potu ex his arboribus parcius eſt utendum: nam conſtat frequenti illorum uſu præſertim liquoris Saguër dicti, non ſolum diarrhæas diuturnas ortas: ſed & paralyſin beriberii dictam hinc natam eſſe. Hinc eſt, quod in Banda, ceteriſque Moluccis inſulis, præſertim quæ noſtro ſubſunt imperio, plerique homines cachectici ſint, ac fœdo colore ad luteum vergente, & vix unus, aut alter è noſtris Batavis paralyſin prædictam effugit, quod & norunt Luſitani, qui non ſolum in hoc potu: ſed in reliqua omni diæta temperatiores ſunt, quam noſtrates.

# DIALOGUS V.

*De Aromatis, ac de uſu illorum, ubi quædam à Garcia ab Orta, ac ceteris aromatariis ſcriptoribus non ſatis liquido tractata explicantur.*

Duræus. Cibum jam ac potum nobis affatim in pictura appoſuiſti: ſed ſimplicem, ac nullis condimentis imbutum, cum tamen nullibi copioſius aromata proveniant, quam in Java. Bont. quam tu delicatus es! an neſcis naturam ſimplici victu eſſe contentam: veruntatem, ne videamur earum rerum per negligentiam curam non gerere, in hoc te non deſeram. Ac de aromatis dicam, non quod auditu percepi, ſed quod ſenſu proprio ac viſu verum eſſe didici. Ac piper primum attingamus, cujus qualitates cum per totum orbem notiſſimæ ſint, non eſt quod pluribus de eo hic agamus. Certe convolvuli eſt ſpecies ſi modum creſcendi reſpiciamus, nam arbores ac bacillos eodem modo, quo convolvulus ſcandit, condiuntur hujus viridis racemi (nam ut uvæ Corinthiacæ, creſcit) muria ac aceto ad orexin excitandam, ac cum carnibus aſſis aut elixis hic apponuntur: eodem modo hic incolæ condiunt radices recentes Zinziberis, Galangæ, cum fructibus manga, carambola, billingbing, curcuma, tum cucumeribus primum adoleſcentibus, melonibus inſuper ac peponibus, quæ nobis hic capparum vicem ſupplent ac olearum, quamquam & hæ delitiæ nobis non deficiant, cum quotannis eas deſiderantibus ſatis copioſe huc è Perſia, & Suratte advehantur: ridiculum porro eſt, quod *Garcias ab Orta* peculiari cap. de pipere refert, de opinione Javanorum ac Indorum dè piperis qualitate, ipſum nimirum eſſe frigidum. Credo ea ratione, qua quidam ſophiſtæ olim ignem frigidum, ac glaciem, ac nivem calidam eſſe affirmare auſi ſunt: quibus ego cum Ariſtotele reſponſum velim, ſola experientia contra hos ineptos aſſertores eſſe diſputandum: niſi forte velint calorem nativum, nimio ejus uſu foras pelli, ac intus debilitari, ac hoc modo corporis temperiem verſus frigidam mu-

mutari. Sed Indi credo tam alte non philoſophantur. Idem quoque Indi de Cariophyllis eodem modo conditis ſentiunt. Dur. quid de maci & nuce myriſtica condita ſentis? Bont. iis ego dico parcius in his regionibus eſſe utendum: nam ventriculum ſua oleoſitate ac pinguedine gravant, tum vaporibus ad cerebrum elatis ſomnolentiam ac ſtupiditatem inducunt, immo ego vidi ex nucis myriſticæ nimio uſu, aliquot non parum periclitatos eſſe, qui per diem unum atque alterum, non ſecus ac caro correpti immobiles, ac muti jacuere, certiſſimo indicio cerebrum ac nervos non parum male affectos eſſe. Porro è corticibus viridibus nucis myriſticæ in Banda inſula coquunt pultem, ac ſaccharo condiunt, ac tum ſaporem referunt acidorum pomorum ſic coctorum in patria. Sed & nos hic in Java in corticibus ſalitis ejuſdem nucis, primum aqua maceratis, non inſuaviter ſimile condimentum conficimus: ſed experientia quoque conſtat ſomnum accerſere, ideoque cautius eo utendum cenſeo. Dur. itaque ut audio nimium in cibis aromatum uſum non laudas. Bont. ita eſt. Cardamomo excepto, quod blando ſuo calore, ac naturæ noſtræ familiari, maſticatum nullum empyreuma viſceribus inurit. Creſcit copioſe hæc planta in Java, ac mulieribus Malaicis frequenti in uſu eſt, condiendis piſcibus, ac carnibus elixis. Duræus. calamum aromaticum qui hic tam familiariter creſcit, nonne in uſu hic in culina eſſe autumas? Bontius. & quidem commodiſſime, quamvis *Garcias ab Orta* illius ut & junci odorati, nullum eorum in India uſum agnoſcit, quam ſubſternendis equorum cubilibus, verum ſi tam diligens fuiſſet in rimandis aromatum qualitatibus, quam perſpicax fuit in legendis Medicis Arabicis, non debuiſſet commoditates earum plantarum ignoraſſe, nam per totam Indiam vix piſces coquuntur, aut carnes, quin faſciculus calami aromatici, aut junci odorati iis injiciatur, ad gratum ſaporem, ac ventriculi non levem corroborationem: idem de nardo, quæ hic in montibus creſcit, eſto judicium. Hæc quoque aceto infuſa per aliquot dies, ut flores calendulæ exſiccatæ apud nos, putredini ac corruptioni humorum egregie reſiſtit: ego viridem nardum hactenus non vidi: quia montes hic

inacceſſi nobis ſunt propter Tygridum inibi frequentiam, ac prædones Javanos. Dur. dixeras antea etiam curcumæ radicem incoqui cibis. Bont. & recte quidem & hanc radicem *Garcias ab Orta* vocat crocum Indicum, non quod Croci Britannici filamentis ſimilis ſit: ſed quod flavo colore tingat. Eaſdem radices quoque creſcentes quia Garcias non vidit, putare ſe ait ſine noxa intra corpus ſumi poſſe, ejus rei audacter ſponſorem me ei do, nam ego qui plantam millies vidi, & alibi largius deſcripſi, non ſolum cibis utiliter incoqui affirmo, ſed egregios etiam ejus uſus in medicina alio volumine oſtendi: atque hæc de aromatis dicta hic ſufficiant. Dur. perſæpe ego miratus ſum Malayos, ac Javanos, tum Chinenſes quoque Mandragoræ iſtius fructu, quam Luſitano Pomo d'oro vocant, tam avide veſci, cum in ſummo gradu ſunt frigida? Bont. Bona verba quæſo, an neſcis eos addere fructum ricini Americani, quod lada Chili Malaii vocant, quaſi dicas Piper è Chile Braſiliæ conterminæ regione, ita alterius ſummam frigidatem, alterius exceſſivo calore temperant, ac aceto, ac oleo ſuperinfuſo non male cum carnibus, aut piſcibus aſſis comedunt: ſunt qui maſticationi iſtius ricini ita aſſueverunt, non ſecus ac fumigatores iſti nicotianæ: quantum ad me, eo tamen ego libenter caream, nam dum animi gratia idem tentare aggreſſus eſſem, totum mihi palatum ac linguam excoriavi, à cauſtica iſtius Ricini vi: hinc videre eſt quantum faciat conſuetudo.

## DIALOGUS VI.

### *De Fructibus, ac omnigenis oleribus, ac acetariis herbis in Java.*

Duræus. Quoniam convivium noſtrum jam ad finem tendere videtur, ſine bellariis credo hoc non dimettes? Bont. Nullo modo, itaque á fructibus incipiamus, quorum non parvus eſt habendus hic delectus, optimi enim inter eos ſunt, qui guſtu ſunt aſtringentis, pejores, qui ſaporem dulcedine fallunt: ſed ut de ſingulis aliquem ſermonem guſtemus. Primi nobis oc-

occurrunt Manga dicti fructus, qui in altiſſimis ac expanſis arboribus creſcunt, quæ forma quercum noſtratem non male æmulantur, qui dum immaturi ſunt, acidiſſimi ſunt ſaporis, unde nobis hic demptis corticibus & nucleis ex medio puls coquitur ſapore acido poma acida, aut uvas criſpas coctas referens, ut quis vel exquiſitiſſimi guſtus, ſaporis differentiam vix agnoſcere ſe fateretur, atqui fructus Manga hoc modo præparati ventriculo ac inteſtinis corroborandis conveniunt, maturi non tam ſunt ſalubres, ſed tamen ſi quis iis parcius utatur, nullam noxam inferent. Dur. de Durionibus, Jaacis, ac ceteris echinatis fructibus quid ſentis? Bont. Duriones ob fœtorem allium referentes, primum guſtantibus fateor faſtidioſi ſunt ac nauſeabundi, tamen inter fructus ſaluberrimos Indicos eos merito repono; nam diuretici ſunt, ac ſudores eliciunt, tum flatus diſcutiunt, tamen ſi nimia quantitate eos quis ſumpſerit propter calidam ac ſiccam, qua præditi ſunt qualitatem, inflammant ſanguinem ac hepar, ac puſtulas in facie exitant, itaque eos reponamus inter medicamenta alimentoſa, de quibus in *method.* Indica mea *medendi.* Dur. haud difficulter mihi perſuades: ſed quo gradu locas Ananas fructus ſapidiſſimos ac odoratiſſimos? Bont. Si qualitate ceteræ ſupra dictis à te reſponderent, nobiliorem fructum in toto orbe terrarum non naſci contenderem: ſed tam erodentis porro ſunt qualitatis, ut ſuccus eorum chalybem, ac ferrum erodat, unde niſi vino, aut aqua per aliquot tempus macerentur, palatum, ac linguam excoriant, ac horribilem, choleram, ac lethalem ſæpe dyſenteriam creant. Dur. Jaacas puto ſapor dulcis commendabit? Bont. immo ego illas maxime inſalubres eſſe puto, cum carnis ſint tenacis ac duræ, & quæ incoctæ ac crudæ, ut ore aſſumuntur fere per alvum dejiciantur: unde etiam cruditates in ventriculo, ac inteſtinis gignunt, quæ moleſtas ac diuturnas diarrhæas creant, dein teneſmum, cui ſæpe ſuccedit mortifera dyſenteria. Dur. qui fructus ſunt ergo, quos mox ob aſtrictiorem ſaporem commendabas? Bont. ii ſunt primum Jambos fructus vocati pulcherrimo ex albo ad purpureum vergentes colore, ſapore ſunt ferme, ut capreæ vitis, ut bene monet *Chriſtoph. à Caſta*, aſtrin-

ſtringunt vehementer, ac proinde dyſenteriis ac choleris accommodatum eſt remedium, de quo alias. Adfertur ad nos præterea fructus quidam Lances vocatus, qui racematim ut uvæ creſcit, rotunda plane figura, magnitudine pruni, intus nucleum habet, qui veſtitur carne alba, ac ſaporis vinoſi, qualis fere eſt in uvis urſinis in patria. Huic conſimilis guſtu eſt fructus Javanis Boa Rampout vocatus, quod crinem ſignificat, quod cortex externe fructum ambiens multis capillamentis ſit præditus, nucleus plane ſimilis eſt prædicto Lancium, ac qualitate frigida conveniunt; cortex Lancium tamen ſuccum lacteum emittit, qui amarus valde ac corroſivus eſt. Eſt hic præterea fructus Billinbing indigenis dictus, forma adoleſcentis primum parvi cucumeris, adeo acido ſapore, ut acorem ipſum dicas, in quo illud miri obſervatur, quod ſi ab aliis acidis fructibus cuipiam obſtupeſcant dentes, iſto fructu comeſo ſtatim acor abſceſſerit, credo ea ratione, qua in affectibus præter naturam major dolor minorem obſcurat. Dur. Quid tibi de ficubus noſtris Indicis videtur? Bont. hos fructus *Proſper Alpinus* Muſam vocavit, Malaii Banana indigitant, Javani Pyſang. ſapore quidem grato ſunt ac pyro noſtro æmulantes, quæ ob dulcorem Batavi *Suyker peren* vocant, hi fructus ſi crudi comedantur, flatuoſi admodum ſunt, & nauſeabundi, unde inſolitis ſtomachum ſubvertunt: ſed melius comeduntur cum pane ac oryza cocta, juncto caſeo, alias quis facile in dyſenteriam, ac ipſi congenerem choleram inciderit. Non ſecus ac ſi in Gallia, aut Hiſpania quis, qui recens iſtuc advenerit, uvis ſine pane ſe affatim ingurgitet, næ ille certo certius in fluxum dyſentericum incidit. Hi fructus cum ovis fricti in ſartagine multo ſalubriores ſunt, & tum phtiſicis, aſthmaticis ac ceteris malis pectoris admodum utiles ſunt, tum extus impoſiti inflammatorios tumores quoſcunque ad maturitatem perducunt. Dur. Aſt ubi relinquis Mangoſtan, Jambos, ac Cydonia bengalenſia? Bont: Ego ea pro bellariis reſervabam, ut ſimul cum Chinenſium potu The vocato, & Tchia Japonibus dicta convivium finiremus, & quod hic moris eſt ut Syrii pynang: vobis apponeremus. Jambo igitur primum arbor eſt magnitudine

dine pruni, & niſi quod paulo acutioribus ſit foliis, ipſi plane reſponderet, flore eſt rubro, fructu pulcherrimo & candido purpuraſcentis coloris, guſtu ſunt aſtringenti, ac ſapore ferme vitium capreolas referunt, ſapore itaque minus præſtant, quam colore promittunt, frigidæ ſunt naturæ, ideo æſtuantibus utiles ſive ab exercitio, ſive à calore febrili, Cydonia Bengalenſia deſcribit *Garcias ab Orta*, lib. 2. cap. 14. Itaque de iis hoc tantum addemus, quod his pyris ſeu malis cotoneis eximant nucleos, oc totos ſaccharo, vel muria, & aceto condiant, quæ ad nos ex interceptis Luſitanorum navibus, quæ Malaccam verſus navigant, à Suratte, ac ora Chormandel. Nam nulla gens in mundo ita aſſuevit condituris ejuſmodi, quam Luſitani, ita ut per totam Indiam in proverbio ſit; Indos odoribus, Luſitanos condituris rem diſperdere. Sapore æmulantur pyra iſta, autumnalia grandia noſtratia, quæ vulgus *winter peren* vocat, fructus porro Mangoſtan dicti tam excellentis ſunt ſaporis, ut mea quidem ſententia omnes ceteros in his regionibus fructus anteeant, cortex plane mali granati cortici ſimilis eſt, niſi quod in ſuperiori parte coronam habeat ut papaver, cujus quot ſunt radii, tot nucleos intus habebis, veſtitos carne nive candidiori, ſapore ex dulci vinoſo, ſuperante fragra, ac Ananas in India. Dur.: memineras de Chinenſium Thee vocato Potu, quid tu de eo ſentis? Bont.: herbula unde hoc The conficitur, bellidis ſeu conſolidæ minoris folia refert, cum parvis in ambitu inciſuris, hujus foliorum exſiccatorum manipulum in ferventem lebetem ad hoc paratum conjiciunt ad ſufficiens tempus ebullire ſinunt, ac hunc liquorem, qui ſapore ſubamarus eſt, calidum ſorbent. Hunc porro potum tanquam ſacrum Chinæ obſervant, & hoc venientes, hoc abeuntes hoſpites excipiunt, & non creduntur jus hoſpitalitatis impleviſſe, niſi tibi hunc potum propinaverint, non ſecus ac Mahometani ſuum Caveah exiſtimant. Exſiccantis eſt qualitatis, ac ſomnum prohibet, dum vapores è ventriculo in cerebrum aſcendentes abſumit, præterea aſthmaticis, ac ſuſpirioſis prodeſt. Quid jam poſtremo tibi memorem mala aurea, citrea, granata, & ceteros ſimiles fructus, quorum hic ſumma eſt copia, cum iſta in noſtra Eu-

ropa notiſſima ſint, & nos hinc Syrupos conficiamus, quique ſitientibus aqua mixti julapii locum in ſanis, ac ægris obtinent? Vites taceo, quæ ſi diligentem putatorem, ac cultorem nanciſcantur, quater in anno maturos ſuos fructus proferunt, itaque ſi diurnus calor hic non adſit, propter perpetuum virorem ſemper hic ver, ac veri heſperidum horti.

## DIALOGUS VII.

### *De oleribus, ac leguminibus in Indiis ac radicibus quibuſdam edulibus.*

Duræus. Finito jam imaginario tuo convivio, domum remeantes ſaltem aliquid olerum in veſpertinam cœnam colligamus. Bont. Dic modo quid primum expediri velis. Dur. Radices eas narres mihi velim, quas Batatas hic vocamus. Bont. Pleni quidem eas nutrimenti eſſe, attamen ſuccum melancholicum producere, non ſecus ac caſtaneæ in Europa, quarum ſaporem hæ radices ſub cineribus toſtæ, vel etiam elixæ cum carnibus plane referunt, niſi quod ſint humidiores, ac molliores paululum: ſed ſi ſale, oleo, pipere, ac aceto perfundantur, betæ rubræ coctæ nobis loco ſunt in acetaris. Dur. Raphanos hic plurimos ſativos habemus, quid tu de iis ſentis? Bont. Horum ut ſcis habemus hic duo genera, primum breve, ac rotundum, vel cylindri ſaltem formam referens: hi cocti loco raparum nobis in familiari ſunt cibo; ſecundum eſt oblongum, ac teres ut Hollandicus raphanus, quod cum pane, butyro, ac ſale crudum more patrio comeditur. Ceterum longe præſtant hic raphani patriis, quod non ſint tam lignoſi, nec à teredine ita perforentur, ſed hic eſculentiores, ac ſapidiores ſint. Dur. Quid Inde de oleribus ſentiunt. Bont. Illi iſta, & omnes herbas edules in magno pretio habent; nam qui à Suratte, ac ora Chormandel huc adveniunt plerique ferme ſolis vegetativis veſcuntur, ſequuti *Pythagoram.*

*Cunctis animalibus abſtinuit. qui*
*Tanquam homini, ac ventri indulſit non omne legumen.*

[*Juvenalis*, Satyr. 16.]

Ita

Ita hi homines etiamnum abſtinent fabis rubris, ac quicquid inter herbas rubrum colorem obtinet. Hinc etiam fit quod homines in ceteris rebus idiotæ tam exactam herbarum, ac ſtirpium nanſciſcantur ſcientiam, ut ſi vel doctiſſimus *Pauwius* noſtri ævi Botanicorum princeps è mortuis reſurgens huc veniret, miraretur ſe ab his hominibus barbaris doceri poſſe. Ceterum olera omnia, ac manſiles herbas Malaii generali vocabulo Seir vocant, contra herbas medicamentoſas, ac venena quoque Oubat indigitant. Ut rem in pauca contraham, & ne tractatus modum excedam, enumerabo reliqua olera hic in nutrimentum hominum naſcentium; habemus hic utramque betam rubram ac albam; petroſelinum quoque hic luxuriat. Lactucarum omnes ſpecies. Anethum quoque habemus, ac fœniculum, tum aſparagos quoque non infeliciter hic ſerere incepimus. Tum fructus terreſtres quoque hic proveniunt, ut ſunt melones aquatici, pepones, cucumeres, citrulli; ſed cum hæc omnia in patria abundent, de iis ad faſtidium nolo dicere, ac ſemina horum fructum eundem uſum hic in medicina præſtant, quem apud Batavos antiquos. Legumina hic non ſolum in ſarmentis, ſed in præaltis arboribus, ut alibi diximus, naſcuntur; ſapore bono & nutrimenti ejuſdem ut apud nos flatulenti, &c. Habemus præterea fructum quendam, quem ſocqui Malaii indigitant cubitali ſæpe magnitudine, brachium humanum craſſitie ſæpe æquans ac teres. Hic eodem modo quo cynara coctus cum vino ac pipere & butyro ei ſapore non cedit: figuram in *Exoticis* meis Indicis videre eſt ac deſcriptionem, quæ proximo anno faxo habeatis. Sed hæc de oleribus ſufficiant, tranſeamus ad exercitia, ac animi pathemata, ut tandem optatum portum attingamus.

# DIALOGUS. VIII.

## *De Exercitiis, ſomno, ac vigilia, ſanguinis miſſione, purgatione, ac de animi affectibus.*

Dur. Quid de reliqua diætæ parte cenſes, quæ in exercitiis ſeu motu ac quiete conſiſtit? Bont. Ut hæc obiter percurramus, Exercitia hic extra controverſiam moderata eſſe debent: nam propter humidam ac calidam aëris temperiem corpora hic fluxa eſſe extra controverſiam eſt. Et hæc quidem matutino vel veſpertino tempore inſtitui debent, cum ſol non ita fervidus eſt, itaque commoda deambulatio, iis temporibus ſanitati conducit, tum equitatio modeſta, ut hic ditioribus mos eſt, vectatio per fluvium cum navicula, ut amœniſſimas ſylvas, ac fluminum oras tranſvehamur, quæ floribus ac herbis conſitæ perpetuo virent. Dur. Quid de ſomno; ac eum capiendi tempore autumas? Bont. De ſomno nil habeo, quod addam, niſi iſtud antiquum ut moderatus ſit. Sed vereor, ne hic Apocryphus ſim, ſi ſomnum meridianum hic ſanitati conducere dicam: ſed ut res caſura eſt, ego ab iſta opinione non recedam, niſi melius edoctus: & certe ſi in memoriam revocare velis, quæ ante dicta ſunt, quod mane propterea quod poſt nocturnum frigus concoctioni ventriculi hic magis apti ſint, quapropter etiam largius jentandum præcepi. Meridianus ſomnus hic non ſolum utilis, ſed & neceſſarius ferme cenſebitur. Præſertim cum hoc tempore tantus calor aërem occupet, ut vel leviſſimus motus te defatiget, ac ſudore diffluere faciat, quid obſtat, quominus lectione jucunda, ſeu levi ſomno curas diluas? Nam & illi qui Hiſpanias, Italiam, ac Gallias frequentavere, hoc in iis locis ſolitum eſſe affirmabunt, cum tamen nullo modo calor ibi tantus ſit, ut in his locis. Secus habet in locis Septentrionem verſus ſitis, ubi ſemper largius prandemus, & digeſtioni ciborum motus levior, vel deambulatio conducit, ſed hic parce prandendum cum ſit, ſomnus concoctioni ciborum nullo modo officit: ſed eam magis promovet. Dur. Quid cen-

cenſes de retentione ac vacuatione humorum? Bon. Non eſt quod hoc à me expectes, purgationem, aut venæ ſectionem eam, quæ in morbis adhiberi ſolet; ſed eam, quæ ſervandæ valetudinis gratia contra affectus non naturales inſtituitur. Ergo ſi alvus ſolito aſtrictior fuerit, eam commode ſolvemus præſtantiſſimis hic naſcentibus laxativis, thamarindis nimirum, ac medulla Caſſiæ fiſtulæ: vel ſi paulo validius medicamentum deſideres, addatur his Rhabarbari extractum vel Syrupus ejus. Si porro ſanguis mittendus, ratio hic etiam talis eſt habenda, qualis in patria, plenitudinis nimirum vocatæ ad vaſa, ac ad vires, prior ſi adſit plethora, ſecundum *Hippocratem* libro primo Aphoriſ. large aliquando ſanguis mittendus, altera ad vires, ſi adſit ventilandis viſceribus præſertim hepati ac cordi, ſecundum judicium ſanguis mittendus vel ſemel, vel iterato. Si porro alvus ſit ſolutior, ac inde dyſenteria & diarrhæa metuatur, Syrupus ſumatur è ſucco granatorum, vel decoct. è corticibus eorum. Sed quia hæc magis ad morborum curam attinent, illa in aliud commodius tempus rejiciamus. Dur. Reſtat parvus ſcrupulus de animi affectibus ac perturbationibus intempeſtivis. Bont. De iis Medici multa ac varia ſcripſere, quomodo domari vel temperari debeant. Verum cum motus animi vix ſint in poteſtate noſtra: Ego illis illud *Horatii* objicio: quod animus, *qui niſi ſervit*

*Imperat; hunc frænis, hunc tu compeſce catenis.*

Quod uni facile, alteri difficile factu eſſe pro diverſo temperamento quis non fatebitur? ideoque de affectibus ac pathematis animi certam regulam velle ferre, nugatoris magis puto eſſe quam Philoſophi naturalis: ac etiam hoc cogitandum nobis, ut jejunium noſtrum ſolvamus, ne nobis Plautinum iſtud eveniat, dum de frænandis animi paſſionibus diſputamus, fames & mora bilem in naſum conciat: itaque ſuadeam, dum ſol nondum radios in verticem noſtrum dimittat jentatum eamus. Dur. Opportune mones, nam & gula me monet ventrem famelicum carere auribus. Ergo, ſi placet, in urbem nos recipiamus. Bont. me lubente fiet.

*Dedit Deus his quoque finem*, 1631. *Januarii* 18. *Batav. Jacatr.*

F I N I S.

# JACOBI BONTII

## Medici Methodus Medendi, qua in Indiis Orientalibus oportet uti, in cura morborum illic vulgo ac populariter graſſantium. Additæ quoque ad finem ſunt Obſervationes aliquot nobiles, præcipue ex ἀυτοψία ac cadaveribus diſſectis.

*Ampliſſimis, Magnificis, ac Prudentiſſimis Viris,*

NEGOTIORUM IN INDIIS ORIENTALIBUS

PRÆFECTIS MAJORIBUS;

*Dominis meis mihi ſumma obſervantia colendis.*

S. P. D.

ANNI *jam fere tres elapſi ſunt (Viri Ampliſſimi) quod operam in re medica meam, V. A· addixi: quam, cum primum in Indias veſtras veni, non ſterilem jacere paſſus ſum: ſed ſtrenue in actum traducere cœpi. Ut eo oſtenderem, me non velle, ut ſumptus à vobis in me collati, fru-*

*fruſtranei eſſent: Itaque, quod interdiu in praxi medica notatu dignum menti reponebam, nocte à curis aliquantum vacuus chartæ còncredidi, quod jam in lucem protrudere libet. Ut ſaltem ex parte debitæ meæ, erga V. A. obſervantiæ ſatisfacerem: nam in ſolidum ſolvendo imparem me eſſe reperio. Ex iis igitur, quæ præcipue obſervari debere putavi, Methodum Medendi hanc concinnavi. Eoſque morbos deſcripſi, quos Endemios eſſe, ac populariter hic graſſari animadverti. Neque in cura quicquam addidi, quod non ſolida prius experientia comprobatum eſſe vobis affirmare auſim. Scribant alii, quibus iſta mens eſt, miracula ex auditu: Ego, quod hiſce oculis, & qualicumque meo judicio percepi, vobis ſpectandum propono. Quod cum nemò ex noſtris Batavis (ut credo) aſſequutus ſit: immo, ne tentaverit quidem ante me; ideoque cum ego, qui primus in hanc arenam deſcendò, non ſine cauſa, malevolorum tela metuam, patrocinium mihi V. A. quærendum erat, quo adverſus eorum ictus, velut, clypeo hæc contegerentur. Quos autem æquiores patronos me invenire poſſe conſiderem, quam vos (Viri Ampliſſimi) qui me hactenus favore veſtro proſequuti eſtis, quem ſi ſenſero erga me continuari, animum mihi, ac vigorem addetis, hiſce majora, & auribus veſtris digniora tentandi? Et ſi vitæ ſpatium mihi ſuperſit, oſtendam me non indignum, cui hæc ſacra medica concredita ſint. Interea (Viri Ampliſſimi) chartaceum hoc munuſculum, quo ſolus valeo, eo animo accipere dignemini, quo ego V. A, inſcripſi, & quo adhuc me ipſum, & quicquid in me eſt ſincere vobis offero. Quod V. A notius reddam, ubi quæ de ſtirpibus, arboribus, ac herbis, in Java creſcentibus, commentari*

*ri*

*ri cœpi abſolvero, & demonſtravero alios, quorum nomen tamen celebre inter doctos eſt, hoc negotium nimis levi pede tranſcurriſſe. Valete, Viri Ampliſſimi: ego interim D. O. M. ſupplex veneror, ut, ad creſcentis veſtræ Bataviæ, & rerum porro Indicarum augmentum, vos nobis diu incolumes conſervet. Datum Coloniæ Bataviæ Novæ, in regno Jacatrenſi Anno* 1629. *Novembris* 19.

V. A. addictiſſimus Cliens,
JACOBUS BONTIUS M. D.

---

## AURELIUS CORNELIUS CELSUS

*De Re medica: l.* 5. *Cap.* 26. *Conſilium Practicum: hoc nobile medicis relinquit.*

EST prudentis hominis; Primum, eum, qui ſervari non poteſt, non attingere; nec ſubire ſuſpicionem ejus, ut occiſi, quem ſors ſua peremit. Dein ubi gravis metus, ſine certa tamen deſperatione, indicare neceſſariis periclitantis in difficili rem eſſe, ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur: Sed, ut hæc prudenti viro conveniunt, ſic rurſus hiſtrionis eſt: parvam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur: obligarique æquius eſt, confeſſione promptæ rei, quo curioſius etiam circumſpiciat, ne, quod per ſe exiguum eſt, malum majus curantis negligentia fiat.

*Invide quid tentas abrodere mordicus ungues,*
*Vel mea ne carpas ſcripta, vel ede Tua.*

*De*

## Caput. I.

### *De Paralyſeos quadam ſpecie, quam Indigenæ Beriberii vocant.*

AFFECTUS quidam admodum moleſtus, hic homines infeſtat, qui ab incolis Beriberii (quod ovem ſonat) vocatur. Credo quia, quos malum iſtud invaſit, nictando genibus, ac elevando crura, tanquam oves ingrediantur. Eſtque ſpecies Paralyſeos, ſeu potius Tremoris: Nam motum, ſenſumque manuum, ac pedum, immo vero aliquando totius corporis depravat, ac tremere facit. Cauſa hujus morbi præcipua eſt craſſus, ac lentus humor pituitoſus, qui nocturnis temporibus, præſertim pluvio cœlo (pluviæ autem aſſiduæ cadunt ab initio Novembris uſque ad Maii initium) nervos corripit, dum nimirum homines diurnis caloribus defatigati, noctu omne tegmen ac lodices à ſe rejiciunt, unde facillime, jam in cerebro præcipue genitus, nervos iſte humor phlegmaticus invadit. Nam noctes, in his locis, comparatione caloris diurni, frigidæ appellari poſſunt. In hoc caſu artus prolongantur, non contrahuntur, inſinuante ſe inter juncturas phlegmate, ita ut nervi ac ligamenta inde laxentur. Quamvis autem hoc malum plerumque per gradus, ac pedetentim homines invadat, tamen aliquando valde ſubitum eſt, dum nimirum homines æſtu defatigati, potum ex Palma Indica copioſe ac confeſtim ingerunt; non ſecus ac in patria, diebus canicularibus aliquando vidimus fieri, cum quis curſu, aut aliquo alio vehementi motu calefactus, potum cerviſiæ, aut lactis preſſi, nimis avide haurit, ita ut inde ſæpe ſummum vitæ diſcrimen, immo ipſam mortem incurrat. Porro ſigna hujus mali aſpectu obvia ſunt. Adeſt enim ſpontanea univerſi corporis laſſitudo; motus ac ſenſus, præcipue manuum ac pedum depravatur, ac hebeſcit; ac in iis ſentitur plerumque titillatio talis quædam, qualis in patria frigida, ac

hyemali tempeſtate mannum, ac pedum digitos corripit, niſi, quod hic tantus dolor non adſit. Tum etiam vox aliquando ita impeditur, ut æger vix articulate loqui poſſit: quod mihi ipſi accidit, dum hoc morbo laboranti vocis ſonus, per integrum menſem tam exilis eſſet, ut me vel proxime aſſidentes vix intelligerent. Adſunt, præter hæc, aliquando multo plura ſigna, ac Symptomata, quæ tamen omnia tenacem, ac frigidum humorem ſapiunt: ſed præcipua enarraſſe ſufficiat. Accingamur ad curationem itaque, quæ plerumque hic in longum trahitur; dum nempe humor iſte lentus, ac frigidus ægre diſcutitur: per ſe tamen (ut plurimum) lethalis non eſt: niſi muſculos pectoris, ac thoracis invaſerit, &, hoc modo, ſpiritus, ad vocis viam intercludat. Sed hoc imprimis curandum eſt, ne (ſi ullo modo fieri poſſit) te lecto affigas decumbendo: Sed vel ambulando, vel equitando, vel ſimili aliquo motu validiore omni conatu te exerceas: currere quidem impoſſibile eſt. Frictiones quoque fortes, ac dolorificæ hic ſumme neceſſariæ ſunt, quas commode hic ſervi Bengalenſes, ac mulieres malaycæ adhibent. Nam noſtra gens tali exercitio non aſſuevit, ut nec balneis, quæ hic frequentia ſunt. Fomenta, ac Inſeſſiones hic conficiunt ex herba nobili Lagondi dicta, quæ folio quidem Perſicariam refert, eſtque odoris ſuavis, ac aromatici. Certe nobis non tantum uſum Chamomeli, ac Meliloti præbet, ſed diſcutiendi, ac reſolvendi viribus iis, meo quidem judicio, præſtat; pedes, ac manus præterea inungendi ſunt oleis Cariophyllorum, ac Macis: ſed mixtis ol. roſaceo, nam ſola adhibita nimis cauſtica ſunt, & cutem facillime eroderent. Habemus præter hæc nobilem Naphtæ ſpeciem, allatam ex Sumatra, Javæ regno è regione in conſpectu ſita. Quam Minjac Tannah Indi vocant, quod oleum terræ ſignificat, quod, non ſecus, ac nobis cognita Naphta, quod oleum petræ vocamus, è terra erumpat; vel ex rupibus, in ſubjecta flumina præcipitetur. Hoc oleum à Barbaris in tanto pretio habetur, ut rex Achinenſis, qui potentiſſimus iſtius inſulæ eſt Tyrannus, ſub capitali pæna iſtud evehi inde prohibeat: ita ut incolæ, nocte intempeſta, ſi quæ noſtra, aut Anglorum na-

navis eorum litoribus adpellat, ad nos iſtud furtim deferant. Hoc oleum, partibus affectis illitum, miraculi inſtar ægros conſolatur. Odore eſt porro gravi: ſed tamen non faſtidioſo.

Sed cum hic morbus ſit chronicus, ac longi temporis, nihil æque prodeſt, quam decocta ex radicibus Chinæ, Salſæ parillæ, ac Ligno Guajaco; quæ blando, ac amico noſtro corpori calore, frigidos iſtos, ac craſſos humores per ſudores, ac urinas egregie diſcutiunt, ac evacuant. Interpoſitis tamen ſubinde commodis per alvum evacuationibus, inter quas principem locum obtinet Extractum, quod hic conficimus ex aloë, & gutta Cambodia dicta vulgo (corrupte apud nos gutta gamba) cujus deſcriptionem inferius videbitis.

Sanguinem hic mittere nefas: non enim plethora, ſed cacochymia in vitio eſt: & quis ſanguinem fontem caloris, ac theſaurum vitæ non eſſe intelligit?

Hujus affectus reliquiæ porro commode diſcutiuntur Theriaca, Mithridatio, &c. ſudorem, ac urinam moventibus, ac nervos roborantibus medicamentis. Reliquas hujus mali moleſtias opportuna exercitatio, ac valida Naturæ vis ſanabunt.

## Cap. II.

### *De Spaſmo*

Qui apud nos in Hollandia rarus eſt ſpaſmus, hic in Indiis tam familiaris eſt affectus, ut merito inter Endemios, ec populares morbos numeretur.

Tam repentinus, ac ſubitus eſt aliquando ejus impetus, ut, dicto citius, homines rigidi non ſecus ac ſtatuæ permaneant; dum vel in anteriorem, vel poſteriorem corporis partem, muſculi, involuntario motu, verſus principium ſuum trahuntur: Crudele (me Hercules) malum, quod ſanis partibus vitalibus, ac naturalibus cum ſummo cruciatu miſeros mortales, intra breviſſimum temporis ſpatium, è vivis ad mortem rapit: dum nihil, nec eſculenti, nec potulenti per œſophagum in ventriculum deducere queunt. Sunt & alii particulares, crurum, ac

 ſu-

ſurarum ſpaſmi: Sed de his, quia leviores ſunt, & per ſe tranſeunt, hic non agimus.

Porro hoc malo affecti truculente admodum aſtantes intuentur, præſertim (quod ſæpe fit) interveniente ſpaſmo Cynico, ſeu convulſione canina cum utraque maxilla aures verſus trahitur. Ruber ac viridis color ex oculis, & facie oritur; dentibus ſtrident, ac murmur inconditum, vice vocis humanæ, edunt, tanquam ii, qui à cella ſubterranea loquuntur: ita ut imperitis vere dæmoniaci appareant.

Cura in hoc affectu è copioſa ſanguinis miſſione inchoanda eſt. Tum frictiones, ac ligaturæ validæ adhibendæ. Inunctiones quoque fiant oleis Macis Cariophyllorum, permixtis oleo Anethi, aut Roſarum. Tum ol. Therebinthinæ ac Spicæ Indicæ, quam Java copioſe fert, Cucurbitæ quoque vitreæ, ac amplæ, cum multa flamma, ſine ſcarificatione affigendæ cervici, lumbis, humeris, ac mammillis; ita enim, ſeroſus iſte, ac bilioſus humor, commode à nervis, & muſculis revelletur.

Si remediis iſtis paroxiſmus paulo mitior evaſerit, ac æger aliquo modo jam deglutire incipiat, Antidota adverſus hanc peſtem, in forma liquida, exhibenda ſunt, quæ venenoſam hanc, ut plurimum, materiam, impugnando, per ſudores, ac urinas celeriter ejiciant. Talia ſunt Lapis Bezoar, raſura cornu Rhinocerotis, cum Theriaca, ac Mithridatio mixta, &c. quæ in progreſſu videbitis. Tum vomitoria ex Infuſione guttæ Cambodia, ac Hepate Antimonii ſeu Croco Metallorum, deglutienda ſunt: In hoc porro affectu nil procraſtinandum; cum ſit morbus acutiſſimus, qui, ſi quis alius vehementer, cito, & cum periculo movetur. Si autem malum invaluerit, & æger deglutire non valeat per acerrimos clyſteres alvus eluenda eſt. Quorum hoc ſit exemplar.

℞. Herbæ Lagondi dictæ, Abutali Avicennæ, Biſmalvæ, quæ omnia hic creſcunt an. m. j. ſem Anis. Fœnicul. Cumini Anethi an. dra. ij. Coq. in. S. Q. aq. Fluvii; Colatur. lib. j. add. pulver. Colocynthid. hic creſcentis, drach. ſem. Salis Armoniaci, vel Salis Nitri dra. j. Electuarii fratris mei R. Bontii, cujus deſcriptionem mox dabo unc. I. ſem. ol. Anethi unc. iij. M. F. Enema.

Dein

Dein æger à capite ad calcem inungatur oleis ſupradictis, ac Naphta Sumatrenſi ſeu Minjac Tannah. Balnea quoque ac fotus fiant ex Herbo Lagondi, & foliis fruticis cujuſdam Davullontas incolis dicti, qui frutex in humanam altitudinem aſſurgit, folio ad marginem diſſecto, Balſaminæ, cujus odorem etiam proxime refert. Specifica quadam vi hæc folia crudeliſſimum hoc malum impugnant, & ſunt anodyna doloremque ſedant, qui in hoc malo, ex contractione nervorum, violentiſſimus eſt. Lapis, ac ſal prunellæ per os ſumptum peculiare hic eſt remedium, ac materiam bilioſam per urinas copioſe excernit, &, ſi febris adſit, cor ac arterias refrigerat benigne. Imprimis vero habenda eſt ratio, ſæviſſimi ſymptomatis doloris nimirum, cui omiſſa tantiſper cauſa principali, ſæpe cogimur occurrere. Quod commode fiet Laudano Quercetani, Philonio ſive Euphorbio, ſed præcipue Extracto Croci, quod infra deſcribemus. Fortaſſis ſciolus quiſpiam, negabit his remediis, propter vim ſtupefactivam, ac narcoticam, nerviſque inimicam, eſſe utendum: Specioſa hæc quidem prima fronte videntur, ſed tamen vana ſunt: nam præterquam, quod calidiſſima hujus clymatis temperies hoc requirit, certiſſimum eſt, in tali neceſſitate, ſine his ægrum evadere non poſſe. Adde quod nos tam rite Opium hic præparamus, ut vel infanti innoxie detur: & ſane (ut verbo abſolvam) ſi opiata hic nobis deeſſent, in morbis calidis, hic graſſantibus, fruſtra remedia adhiberemus, quod, etſi imperitis durum, ex progreſſu tamen me nihil temere dixiſſe patebit. Circa victus rationem hic non admodum curioſi ſumus: quia vehementia, celeritaſque mali, ac atrocitas, nobis hic longiorem deliberationem eripiunt; inclinante tamen morbo gallinis, ac hædina, & vitulina carne utendum, cujus juſculis incoctum ſit Cardamomum, ac Thamarindi, quæ duo ſimplicia Java copioſe fert, ut medicamenti ſimul ac alimenti vicem ſuppleant.

## Cap. III.

### *De Alvi profluviis ac primum de Dyſenteria Vera.*

Quoniam profluviorum alvi, hic (ut & apud nos) variæ ſunt ſpecies, de ſingulis hic agemus, parteſque affectas demonſtrabimus, tum cauſas inveſtigabimus, & ſymptomata denique obſervando, curam his annectemus. Et primum de Dyſenteria vera loquemur, horribili iſto, ac conſuetiſſimo his regionibus malo, quod plures hic homines necat, quam affectus quiſpiam alius præter naturam. Dyſenteria igitur vera eſt Exulceratio inteſtinorum cum aſſidua dejectione, mucoſa primum, cruenta dein, ac ultimo purulenta cum ramentis, ac ipſorum inteſtinorum ſubſtantia, cum dolore intolerabili, ac torminibus ventris: Hoc vitium partim contrahitur ex aëre calido, ac humido: Falluntur enim (ut hoc obiter quoque dicam) qui, propter lineæ æquinoctialis proximitatem, aëris temperiem hic ſiccam, ac calidam eſſe putant. Cujus rei invictiſſimum, inter alia, argumentum eſt, quod chalybs, ac ferrum, tum æs quoque, ac ex his confecta inſtrumenta, rubiginem citius, ac æruginem contrahant, etiam ſicciſſima anni tempeſtate, cum nullæ pluviæ hic cadunt, quam, in patria antumnali tempore pluvioſiſſimo. Præterea fructus hic naſcentes maximum huic malo fomentum præbent, quibus, ſi quis cum ſumma cautione non veſcatur, & cum oryza, vel pane & pauco ſalis, vix unquam hoc malum effugiet, non ſecus quam in Gallia, ac Hiſpania, qui uvas avidius ſine pane vorant, ſtatim diarrhæam, vel Dyſenteriam incurrunt. Tales hic ſunt fructus Indici: Ficus nempe Indicæ; quas Bananas, ac Piſang incolæ vocant; *Garcias ab Orta.* & *Proſper Alpinus* Muſam appellant. Duriones deinde, Jacas, Ananas, Adde his Cucumeres & Melones aquaticos, &c. Quorum deſcriptionem apud eundem *Garciam*, & *Joannem à Linſchoten* videte. Hi fructus præterquam quod horarii ſint, etiam humiditate ſua, ac calore, temperamento noſtro infeſti ſunt. Melones, ac Cucumeres

res excipio, qui præter frigus, de humiditate non parum participant. Præcipua vero hujus mali cauſa eſt, potus vini aduſti, quod Arac vocatur, & quod Chinenſes ex Oryza, admixtis holothuriis, in mari fluctuantibus, conficiunt, quæ nos Belgice *quabben* & *quallem* ſolemus vocare. Hæc holothuria tam acris ſunt caloris, ut attactu cutem exulcerent, ac veſicas inducant, & utinam noſtri navales ſocii hoc potus genus non tam avide biberent, non tot funeribus extuberaret hic humus: Quantum ad curam, commune remedium eſt infuſio Rhabarbari in decocto Thamarindorum, ad minuendum (ut ajunt) ac temperandum acrem hunc ſuccum: Sed bene notandum hic eſt, hoc remedium ſæpe non prodeſſe: ſed aliquando ægros in certam perniciem conjicere, dum nimirum bilis acerrima turget, ac orgaſmo fertur: ac metus eſt, ne ex leviſſimo laxativo, irritetur, ac majore cum impetu, ad partem affectam feratur, cum incredibili ægri cruciatu, & certa ſæpe pernicie. Adde ſummam plerumque in hoc caſu virium imbecillitatem, quæ reſtaurativi potius aliquid, quam purgativi requirat. Itaque caute medico circumſpiciendum hic eſt, quid agat. Ego, quod experientia longa verum eſſe didici, ad ægrorum ſalutem libere in medium profero. Potus quotidianus itaque ſit decoctum Oryzæ, quod Caudgie Indi vocant; cum Endivia, ac Cichoreo, quod ex ſemine allato ex patria, hic in hortis luxuriat. His addatur Lingua cervina, ſeu Phyllitis, quæ hic circa fluentia copioſe creſcit, ac aſtrictiora ſua vi, Hepar, ac Inteſtina roborat, tum acrimoniam iſtius furentis humoris infringit.

Si vero propter ſævitiam ſymptomatum, doloris præſertim acerbiſſimi, temporis anguſtia, tam longam in cura moram non patiatur, ſtatim ad Extractum Croci deveniendem eſt, quo remedio (auſim dicere) nullum humana cura exquiſiti us excogitare potuit; putoque veriſſimum hujus morbi, ſæpe etiam venenati, Antidoton eſſe. Speciatim porro hic omnia remedia ad hunc affectum referre mei inſtituti non eſt, & ego tantum ea requiro, quæ non primis modo qualitatibus, ſed proprietate etiam ſubſtantiæ, huic morbo ſæviſſimo adverſentur,

tur. Et in hoc ſolo, maxime naſcuntur. Fructus etiam illi, quos Mangas vocamus, qui conditi, propter aſtringentiam, ac aciditatem, hic ſumme utiles ſunt. Immaturi quoque coquuntur cum ovis, ut apud nos uvæ criſpæ: neque facile quis, etiamſi exquiſitiſſimi guſtus, ſaporis differentiam cognoſcet. Conficitur etiam ex iiſdem fructibus conditum ſeu miva, non ſecus ac caro cotoniata in patria ex cydoniis malis, cujus vicem hic ſupplet; neſcio an & ſuperet. Ad ulteriorem porro viſcerum corroborationem egregie confert ſyrupus è Granatorum ſucco, recens ex arbore decerptorum; tum flores ipſorum conditi excellens in hoc malo remedium ſunt.

## Cap. IV.

### *De Fluxu Alvi Hepatico.*

Fluxus alvi hepaticus, etiamſi non minus quam Dyſenteria periculoſus, non tamen tam ſævis ſymptomatis concomitatus eſt. Adeſt enim multo minor ac ſæpe nulla inteſtinorum excoriatio: nam in hoc caſu plerumque purus ſanguis dejicitur, vel propter debilitatam jecoris vim retentricem, vel propter acrimoniam ſanguinis oſcula venarum reſerantis per anaſtomoſin, vel denique cruor propter copiam regurgitat in venas meſeraïcas, & inde in inteſtina, & ſic per alvum rejicitur, & hic quidem omnium fluxuum hepaticorum minus periculoſus eſt, & ſæpe plus terroris, quam damni infert. Si itaque acrimonia ſanguinis in cauſa eſt, frigidioribus decoctis utendum eſt, è ſeminibns Cucumerum, Cucurbitarum, Citrulli, Peponum, ac Melonum aquaticorum, quorum omnium hic ſumma eſt quantitas. Ex iiſdem conficiuntur quoque emulſiones, eclegmata & pulveres ad idem malum perutiles. Tum ad peccantis humoris revulſionem, cucurbitæ cum ſcarificatione lumbis, & natibus admovendæ, tum diureticis ſupra nominatis cum ſaccharo cibi condiendi. Sin autem quantitate nimia ſanguis luxuriet, ſine mora vena media pertundenda eſt, habita ſemper recta ratione virium, quia in his regionibus propter aëris ambien-

bientis calorem, & evaporationem ſpirituum aſſiduam, homines præſertim ægri fiunt debiliſſimi. Hinc (ut obiter hoc dicam) non facile niſi in ſumma neceſſitate ad venæ ſectionem deſcendo, quod corpora noſtra mollia, ac à calore ſupradicto effeminata, iſtam evacuationem non facile tolerant: Secus eſt in compactis corporibus Javanorum ac Luſitanorum, quæ calori aſſueta, venæ ſectionem largam admittunt. Expertus, credite, loquor. Sed ſemper, in anguſtiis, ceu ad ſacram anchoram confugiendum ad nobile iſtud Extractum Croci jam aliquoties commemoratum. Cujus deſcriptionem hic ſubjicio.

℞. Opii electiſſimi (quod Miſti vocant, & antiquorum eſt Thebaïcum, nam Miſti eſt Ægyptus) Sanguinis draconis, gummi Benjuini, Croci Orientalis, ex Perſia an. partes æquales, Ambræ Japonicæ ſeu nigræ partem tertiam; conjice in vas vitreum oblongi, & anguſti colli; adde aceti fortiſſimi ex vino, ut materiam ſeu maſſam in fundo ſupereminеat, tres, aut quatuor digitos. Vitrum bene clauſum exponatur radiis ſolaribus, qui nobis hic, propter fervorem, ſunt inſtar ignis chymici; colata hæc omnia & expreſſa fortiter, eodem ſole inſpiſſentur in conſiſtentiam extracti.

Hujus doſis eſt à granis ſex, ad novem; in formam catapotii coactum, vel in cochleari, vino, vel convenienti aliquo alio liquore diſſolutum. Detur præcipue circa noctem, quo tempore obſervavi omnia inteſtinorum, mala hic exaſperari. De lienteria, ſeu lævitate inteſtinorum, quæ plerumque dyſenteriam diuturniorem ſequitur, & etiam de diarrhæa volens taceo, quia notiſſima hæc ſunt in patria, & quorum cura ſæpe ſuperiorioribus annexa eſt, & tantum ſæpe, in corroboratione ventriculi, & inteſtinorum, conſiſtit. Sed de reliquis alvi fluoribus dicamus.

## Cap. V.

### *De Teneſmo.*

Teneſmus, propter ſummam moleſtiam, quam ſecum conjunctam habet, hic magis metuitur, quam Dyſenteria ipſa, & certe ſi eam præcedit, utplurimum lethalis eſſe ſolet, quia omnes morbi, qui ſucceſſione augeſcunt, primogeniis ſunt magis calamitoſi: Sin autem dyſenteriam ſequatur, facilior ejus eſt curatio, quia tantum reliquiæ ipſius ſunt, ab acri humore partem affectam exulcerante. Eſt autem Teneſmus exulceratio inteſtini recti, cum crudeli & aſſiduo dejiciendi conatu, ubi pauca, & mucoſa permixta ſanguinis aliquot guttis, extremum pus excernitur: unde noſtrates perappoſito vocabulo hunc affectum *den druyploop* vocant, quod ſtillatim, ac guttatim humor peccans dejiciatur: Mulieres gravidæ hoc affectu correptæ (ut fere ſemper) abortiunt, vel ante tempus fœtum excludunt. Uterus enim inter anum, & veſicam ſitus, ex aſſiduo, & forti iſto conatu embryonem ante tempus ejicere cogitur. Ex eadem etiam cauſa, procidentiam ani infert, ac hæmorrhoidas, & ſi diutius perſeveret (quod ſæpe vidi) Hydropem; & hinc Extabeſcentia, & poſt ſæva tormenta Mors. Quoniam autem hic affectus tantum occupat inteſtinum rectum, ac anum, cura ejus præcipue conſiſtit in clyſteribus, fomentis, ac inſeſſionibus, quæ parantur ex herbis partim emollientibus, partim detergentibus. Talia ſunt fol. ſuprad. Dauullontas ac Lagondi, Biſmalvæ, ac Abutali Add. ſem. Cumini, Aniſi, Fœniculi, &c.

Cum his, & ſimilibus ulcus jam ex parte mundatum fuerit, ac dolor ſedatior, aſtringentibus decoctis pro fotu utemur, & hoc eo magis ſi ani procidientia ſimul adſit. Ejuſmodi ſunt Lingua Cervina, ſeu Phyllitis, folia Thamarindorum, tum fructus quoque, & folia Bilinbing ſuprad. Qui magnitudinem & formam referunt primo adoleſcentium Cucumerum, quos Agureas Luſitani, ac Itali vocant, quibus fructibus puto naturam nihil

nihil acidius è terra produxiſſe: Nam ſi cui dentes aliis cibis aceſcunt, his comeſis omnis aciditas evaneſcit. Ferme ea ratione, qua major dolor minorem obſcurat. Has herbas hic præcipue in ſcenam produxi, ut ſciant curioſi Medicinæ indagatores, ubi ſupra commemorati morbi, & mala ita frequentia ſint, ibi D. O. M. per naturam contraria his remedia larga manu, ex terra, produxiſſe. Ceterum remedia, in patria cognita, hic leviuſcule volens tranſeo, quia potiſſimum iis Medicinæ amatoribus prodeſſe ſtudeo, qui mecum, aut poſt me in longinquis hiſce regionibus praxim medicam exercituri ſunt. Et utinam hactenus per morbum, quo circiter quatuor menſes decubui, tum per undique nos cingentes Javanos, nobis, ut in principio mei in has terras adventus, licuiſſet in amœniſſimas Javæ ſylvas exſpatiari: & herbas hic, nobiliſſimas, ac plurimas, exactius noſſe: Dabo tamen alio volumine, nomina multa arborum, fruticum, ac herbarum hic paſſim naſcentium. Tum avium, ac piſcium, quorum ſemper curioſus fui, quique in his regionibus capiuntur, naturam, ac indolem vobis explicabo, & quid exotici, ac alieni in iis, & in quibus cum noſtratibus conveniant, vos docebo. Interim hoc caput finiendum eſt aurea C. Celſi ſententia, quæ talis eſt lib. IV. c. XVI. Cum in omni fluore ventris, tum in hoc præcipue (de Teneſmo loquitur) neceſſarium eſt, non quoties libet deſidere, ſed quoties neceſſe eſt, ut hæc ipſa mora in conſuetudinem ferendi oneris inteſtina deducat.

## Cap. VI.

### *De Cholera.*

Præter jam dicta alvi profluvia, etiam Cholera hic familiariter ægros infeſtat; cujus cauſam, ſigna, ac ſymptomata, curam denique hoc capite abſolvere eſt animus. Fit itaque Cholera, cum materia bilioſa, ac prætorrida ventriculum, ac inteſtina infeſtans, per gulam ſimul, ac per anum contino ferme, ac cum magna copia rejicitur: Morbus eſt acutiſſimus, ideo-

ideo præſenti eget remedio. Cauſa præcipua hujus mali, præter aëris calidam ac humidam temperaturam, eſt nimia fructus hic edendi licentia; qui quod plerumque ſint horarii, ac putredini obnoxii, tum humiditate ſua ſuperflua ventriculo infeſti ſunt ac inſueti etiam, ac bilem æruginoſam hanc gignunt. Hæc excretio, & non ſine cauſa, alicui videretur ſalubris, quod talia purgentur, qualia oportet: tamen quia cum tanta quantitate ſimul effunduntur ſpiritus vitales, ac naturales, debilitato quoque per fœdos halitus corde, caloris omnis, ac vitæ fonte, utplurimum commoriuntur ægri, idque celerrime, utpote qui intra viginti quatuor horas vel etiam pauciores expirent, ut accidit inter plurimos, *Cornelio van Royen*, ægrorum in Noſocomio Oeconomo, qui, hora ſexta veſpertina, adhuc valens, ſubito Cholera corripitur, & ante duodecimam noctis horam vomendo ſimul, ac per alvum dejiciendo, cum diris cruciatibus, ac convulſionibus, miſerrime expiravit; vincente morbi violentia, ac celeritate omne remediorum genus: Si tamen, últra prædictum ſpatium, pernicies iſta protrahatur, magna curæ ſpes eſt: Pulſus hic admodum debilis eſt, reſpiratio moleſta, membra externe frigent. Calor vehemens, ac ſitis interne urgent, vigiliæ adſunt perpetuæ. Jactatio corporis inquietiſſima, quæ ſi comitetur frigidus ac fœtidus ſudor, mortem in propinquo eſſe certiſſimum eſt. Danda in hoc affectu primum opera, ut acerrimus iſte humor, qui tanto furore, ac orgaſmo fertur, mitigetur. Quod fieri poterit maxime per aſtringentia medicamenta, ac ventriculum, & inteſtina corroborantia, & ſimul modico frigore furorem materiæ morbificæ refrænantia. In his præſtantiſſimus eſt ſyrupus ex Billinbing. ſuprad. Tum fructus ejus ſaccharo conditi, adjecto Croco: ſyrupus præterea è ſucco Limonum recentium, in Java naſcitur præterea ad hunc affectum Pſeudomyrobalanus, qui forma Bellericos refert, Et magna copia à Nigris in urbem venalis adfertur. Et ſola aſtrictoria vi præſtat, cum ceteræ Myrobalanorum ſpecies etiam laxativi aliquid habeant; hinc conditus hic fructus, utiliſſimus, ad Choleram non ſolum, ſed ad ceteros omnes alvi fluores nimios. Cum cornu Cervi uſto, lapide Bezoar,

zoar, raſura cornu Rhincerotis, vel Margaritis præparatis.

Sed his non adferentibus juvamen, confeſtim ad extractum Croci deveniendum eſt, tum, ut vigiliæ arceantur, ac ſomnus concilietur; qui propter ſummam virium dejectionem hic neceſſarius eſt, tum ut, tantiſper mitigato atroci iſto humore, natura fortior denuo ad vicendum hoſtem inſurgat: Cholerici (ut fere ſemper) convulſi moriuntur.

## Cap. VII.

### *De Affectibus Hepatis Viſceris nobilis: ac primum de ejus Obſtructione, ac Inflammatione.*

Nullum viſcus, præter inteſtina, frequentius in his regionibus infeſtatur, quam jecur; quod prætermiſſa jam toties dicta, victus ratione mala, à potu iſtius maledicti Arac non tantum in temperamento immutatur, ſed etiam in ſubſtantia ſua corrumpitur: Dum enim ejus hauſtu ebrioſi iſti excalfacti, ingentem aquæ copiam in ventriculum ingerunt, ut conceptum æſtum reſtinguant, dein humi, tanquam pecudes, procumbunt, & in navibus, ſe rori, qui poſt ſecundam, aut tertiam noctis horam copioſe hic cadit, exponunt: unde venenatos vapores è terra erumpentes, intra corpus recipiunt, & ſic obſtructionem hepatis facillime incurrunt, cui adeſt tenſiva, in hypochondrio dextro, gravitas, dolorque obtuſus, ac quaſi pondere premens. Difficilis quoque adeſt ſpiratio, propter gravitatem viſceris, diaphragma deorſum trahentis, cui, mediante ligamento ſuſpenſorio, annectitur: hæc infarctio ſi perſeveret, humor hepar obſtruens, dum non ventilatur, facillime putreſcit. Unde febris etiam oritur, ac ipſius hepatis inflammatio, cum dolore acuto, ac pungente, febriſque augeſcens, in ardentem tranſit, cum ſiti intolerabili, faciei rubedine, ac difficili, ob prædictas in obſtructione cauſas, reſpiratione: Hi duo affectus cum, quaſi invicem, concatenati ſint, & unus, ex altero ferme naſcatur, curam amborum hoc capite conjungam,

gam, incipiendo (ut par eſt) ab obſtructione: itaque in hac primum obſervandum eſt, ne nimium calidis medicamentis in principio utamur, ne minutæ iſtæ hepatis venæ, & capillares, ab exſiccante calore magis obſtruantur, & ne hoc modo quod in proverbio eſt, oleum camino addamus. Ergo temperate calidis, & per conſequens leniter deobſtruentibus, ac materiam peccantem incidentibus opus eſt, quæ familiaritatem quandam cum noſtra natura habeant. Talia ſunt, quæ à practicis Anodyna vocantur: nimirum ſemina Aniſi, Fœniculi, Cumini, quæ nobis hic ſuppetunt. Tum radices Graminis cujuſdam aromatici, ac Caryophyllatæ odorem æmulantis. Adde his (quod in principio dici oportuit) Calamum aromaticum verum, quem paſtum Camelorum vocat ab *Orta*, qui hic abunde creſcit, quo etiam incolæ cibos, præſertim piſces, non inſuaviter condiunt. Ceterum reliqua addantur, quæ blando calore diuretica ſunt, ut viſcus hoc nobile ab infarctu liberent. Præparata jam morbi materia, eam medicamento non ſemel nec ſimul, ſed iterato ſtudebimus educere. Ejuſmodi, ſunt Thamarindi, Caſſiæ fiſtulæ pulpa, adjecto pulvere Therebintinæ coct. ſ. a. mirum enim quam blandæ hæc ſimul per alvum, ac veſicam morbificum ſuccum ejiciant, ſi paulo fortius deſideres adde drach. 1. Rhabarbari, miſceatur cum ſupradictis in formam boli, Inflammationem porro in procinctu eſſe cum compereris, ex febris augmento, & dolore vehementiori, ac magis pungente, ſtatim venam ſecato copioſe, pro viribus ægri. Cibis, ac ſyrupis ac conſervis refrigerantibus, jam aliquoties commemoratis utere, quæ, ne actum videar agere, ego hic lubens omitto. Conficitur hic conditum ex fructibus, quos poma Amoris vocamus; Italis Bella Dona, & Luſitanis poma d'Oro, appellantur. Certe ſpecies Mandragoræ eſt. Hanc Chinenſes inter acetaria in hortis colunt, & toſtam ſub cinericum aceto & pipere edunt. Hæc planta, etiamſi frigida eſt tertio gradu, tamen in clymate hoc calido, & bile acerrima dominante, maximum hepati, ac reliquis viſceribus vicinis, per conſenſum laborantibus, præſtat refrigerium. Condiuntur quoque muria, ac aceto addito Pipere, & Aromatibus.

Quod

Quod genus condituræ communi nomine Achar Indi vocant. Denique Hypochondria, præſertim dextrum inungendum eſt, unguento nobili, quod Indæ mulieres hic conficiunt, cujus ingredientia præcipua ſunt. Radix Curcumæ (quam Borborii incolæ vocant) unde univerſa compoſitio hæc etiam nomen ſortita eſt. Santali, omnibus ſpeciebus, addita Caphura: & oleo recenti ex Cocco expreſſ. vel ſi mavis, Roſaceo; quod nobis ex Perſia ſuppetit: Hæc omnia in marmore ſubiguntur in unguenti conſiſtentiam. Hoc oleo, feminæ, ſimul, ac viri, totum corpus inungunt adverſus æſtus. Et quia colore propter Curcumam eſt flavo, homines quaſi Croco tincti ſpectantur, odore tamen eſt admodum grato, & cerebro utili: (Curcumæ meminit ab *Orta* lib. 2. cap. 39. Et quamvis eam ibi deſcribat, tamen fatetur id ſe ex auditu facere: ego millies vidi, & à terra evulſi, Deſcripſit autem ſub nomine Croci Indici 3. Folio eſt Pſeudoridos, ſeu Gladioli,) Præterea, ad idem, oleum conficimus ex floribus cujuſdam arboris, non nimis altæ, ferentis folia, Perſicæ arboris ſimilia. Flores ſunt viroris dilutioris, quem Belgæ *Zeegroen* vocant, & primo intuitu, potius faſciculum foliorum putes eſſe, ſed pediculi intus in calice, quales in Roſis ſunt, flores eſſe arguunt, Arboris ſimul, ac florum nomen Sampaga incolis eſt, & apud eos in ſummo ſunt honore: Nam Indi, ſi quæ gens alia inter Mahumetanos, odoris grati ſunt avidiſſimi: hinc nullas ferme in plateis mulieres conſpicias, quæ non capillos intertextos habeant, his & ſimilibus floribus ut gratiores ſe maritis, aut amantibus ſuis ſe reddant: Sed in viam redeamus. Si (quod ſæpe fieri ſolet) quis dolor in Hepate, & ligamentis ſit intolerabilis, cauſa tantiſper omiſſa, huic ſymptomati occurremus. Quod fiat per extractum aurum Croci: quo vel ſolo (auſim affirmare) ægros plurimos curavi, natura, per quietem, ad ſe redeunte & virus per alvum, urinas, ac ſudores ejiciente.

## Cap. VIII.

### *De Apoſtemate Hepatis, ac ejus cura unica.*

Quod ſi hepatis inflammatio non bene ſanetur, vel pertinacius curæ reſiſtat, conſequitur admodum miſerabilis affectus Hepatis, nim. Apoſtema; quo, ſi parenchyma ſeu ſubſtantia ipſa jecoris occupetur, jam incurabile eſt malum; Ideoque de eo hic ſuperſedeo dicere. Sed ſi pus hæreat, inter membranam cingentem hoc viſcus, & ipſius carnem (quod perſæpe hic fit) unica ſalutis ſpes eſt in aboſtematis apertione; quæ hoc modo fieri debet. Primum in regione Hepatis applicetur cauterium potentiale ita, ut eſchara tantum penetret abdominis muſculos, nec inficiatur peritonæum; Deinde, parvo foramine per ſcalpellum in ipſo ſecto, per id immittatur inſtrumentum argenteum concavum, quali utuntur in ſectionibus calculi lithotomi, dein ſatis late vulnus dilatandum: Et tum ſtatim in conſpectum ſe dabit membrana jecur ambiens, vehementer tumeſcens ab amurca intus latente. Ea pertuſa, ſanioſus humor, carnium loturæ ſimilis, effluet, qui quo minus fœtet, eo major curæ ſpes eſt. Poſt hæc vulnus detergendum, modice ſiccantibus & mundantibus. Flo. n. Roſarum. cortic. Granatorum, add. Mell. Roſac. &c. Dein ſarcoticis, ac epuloticis, à perito Chirurgo vulnus ad citatricem perducendum. Interea ægro omnino à Pharmacis ac catharticis abſtinendum, & tantum roborantibus utendum, ut conſerva Roſar, cum pulvere Santali rubri, cui miſceatur cornu Cervi uſtum, raſura cornu Rhinocerotis, qui hic plurimis in ſylvis eſt, Margaritæ, ac Corallum rubrum præparatum. Adhæc ſyrup. condita, ac mivæ è Billimbing, Mangas, Granat. è ſucco Limonum, quæ omnia refrigerantia ſimul ac hepar roborantia ægro ſolamen adferunt. Porro debili (ut fere ſemper) exiſtente ægro, lapidi Bezoar non eſt parcendum.

## Cap. IX.

### *De Hydrope, Familiariſſimo in Indiis morbo.*

Hæc pauciſſima de Hepatis apoſtemate: quia cura non verbis, ſed agili Chirurgi expertis manu, & prudentis Medici ingenio peragenda eſt. Jam ad hydropem, frequentiſſimum in his locis malum, adveniendum eſt.

Hydrops, ut omnes docti conſentiunt, oritur ex frigida hepatis intemperie, quæ ſæpe à diuturna obſtructione originem ducit. Hæc vero obſtructio naſcitur ex cibis mali ſucci, & fructibus ſupra deſcriptis: hinc fit, ut ſanguificatio vitietur (Hepar enim eſt ſanguinis officina) Jecur enim dum chylum ex venis meſeraicis attractum in ſanguinem convertere nequit, ejus loco ſeroſum illum ac aquoſum humorem gignit; intumeſcitque (ut & in Patria) vel univerſum corpus, vel abdomen, idque vel à flatibus vel humore ſeroſo. Unde illæ tres tantopere decantatæ Hydropis ſpecies, Anaſarca, Aſcites & Tympanites, hic proh dolor! nimis frequentes ſunt in Indiis. Pars tamen principaliter affecta, eſt nobile viſcus hepar. Tuſſis propterea ſicca comitatur ac reſpirandi difficultas, quia jecur inſita ſua, & jam per morbum adaucta gravitate, deorſum ſeptum tranſverſum trahens, thoraci ac pulmonibus hanc moleſtiam infert. Adeſt febris plerumque lenta, urinæ ob cruditatem, ac functionum naturalium debilitatem, tenues ac albæ. Sitis propter ſeroſi humoris ſalſedinem adeſt indefeſſa. Præterea univerſi corporis ſpontanea laſſitudo. Hæc ſunt aquæ intercutis præcipua ſigna: ſi quæ ſint leviora, ea prudens prætereo, quia mihi non eſt animus formare medicum: ſed jam formatum docere, quid hic in praxi opus eſt. Antequam hujus morbi curam aggrediamur, ſciendum hoc eſt in genere hydropem in his locis facilius ſanari, quam ſub noſtro clymate. Itaque cautus medicus non temere judicium ſuum præcipitet, nec primo aſpectu lethale dicat, quod paulo poſt cum ingenti ſua irriſione, à mulierculis, vel potius ipſa natura obſervata tantummodo convenienti victus ratione, ſanatur. Præcipua vero cura

conſiſtit in præparatione primum, dein aduſtione humoris peccantis; tum reliquiarum diſcuſſione, denique in correctione intemperiei in hepate conceptæ. Diæta quoque ſit boni ſucci, ut ſunt gallinæ (quod avium genus hic frequentiſſimum) eæque ſint elixæ potius, quam aſſæ; ſed inter ceteras iſtud genus eligendum eſt, quod carne ſit nigra; nam has habere vim medicamenti diuretici longo uſu ab incolis compertum eſt; Harum juſculis incoquantur ſemen Anethi, Fœniculi tum radices Cichorei, tum Majorana, ac Baſilicum, quibus omnibus, hic abundamus. Eodem modo præparatæ etiam carnes caprinæ hic medicamenti ſimul ac alimenti vim præſtabunt: ſed nihil æque confert, quam quotidianus uſus decoct. radicum Chinæ, Salſa parillæ; adjectis Curcumæ radicibus, Succiſa ac Scabioſa, quarum herbarum vires mulieres Malaicæ obſtetrices, uſque ad irriſionem extollunt. Sic quoque prodeſt decoct. Guajac. cum corticibus ejus.

Humorem hoc modo præparatum educere per alvum ſtudebimus vehementioribus catharticis, ne ſi imbecillibus utamur, ſuccum peccantem moveamus potius, quam promoveamus. Inter quæ præſtat extract. gutt. Cambodja, quod paratur hoc modo a me. Recipe Aloës Socotorinæ.

Cuttæ Cambodja.

Gummi ammoniaci an. partes æquales.

Aceto vini acerrimo diſſolvantur; pone in vaſe vitreo ad ſolem, fortiterque colatum, exponatur rurſus, donec contraxerit conſiſtentiam maſſæ pillularum.

Doſis à drachm. ſem ab drachm. 1.

Creſcit hic quoque in ſumma copia, Cucumer aſininus; unde Elaterii ſuccum non ſemel confecimus, cujus ſcrup 1. ad drachm. ſem. non ſine magno ſucceſſu ægris ſæpe exhibuimus. Dantur enim commode extract. Eſulæ grana x. vel xv. in convenienti aliquo liquore. Et quia ſæpius incidimus in mentionem guttæ Camdodja, ac Eſulæ iſtius Javanæ, utriuſque deſcriptionem hic à me accipite. Naſcitur hic in ſylvis Tithymalli quædam ſpecies, in tantam altitudinem, ut acumina magnarum arborum, quas inſtar hederæ amplectitur, æquet,

imo

imo ſuperet: craſſities ejus eſt brachii ſacile humani. Hujus caule vulnerato, lacteus humor effluit ubertim, qui collectus, & in extracti conſiſtentiam redactus, ad uſum ſervatur Planta iſta, quæ guttam Cambodja fert, ſeu lacrymam iſtam flavam, quam in patria habetis, ſupra dictæ adſimilis eſt: niſi quod non tam alte excreſcat: ita ut ferme ſolo colore ſucci hi inter ſe differant. Creſcit hæc planta, ut Aloë in maxima copia in Cambodja regione Chinæ vicina, unde etiam nomen ſortita eſt. De Paracenteſi, aut de umbilici perforatione, hic nihil addo, non quod hic non frequenter exerceatur, ſed quod hæc Chirurgo & Medico experto cognita eſſe debet. Adde, quod in his regionibus maxime familiaris eſt, & magis mihi curæ eſt bonum practicum agere, quam in ſcholis de omnibus morbis, eorumque curis otioſe diſputantem & medicum in charta ſuperbe agentem, & hoc auſim affirmare (abſit verbo invidia) ſi hanc methodum Medici & Chirurgi ſequantur, non longe à ſcopo aberrabunt. Evacuato maxima ex parte hoc ſeroſo humore, ne recidivam patiantur ægri (quod alias ſæpe fit, & à recidivis hic in Indiis ferme ad ſanitatem nunquam eſt reditus.) reliquiæ hujus mali diſcutiendæ ſunt, & hepar, quantum fieri poteſt, ad priſtinam temperiem reducendum eſt. Ad quod præter ſolita antidota ſudorifica, Theriacam, Mithridat. &c.) Decoctum levius Salſæ, radicis Chinæ, & Guajaci per aliquot dies continuandum eſt, quod tum in hoc, tum in aliis chronicis morbis longe præſtantiſſimum ac indubitatum eſt remedium.

## Cap. X.

### *De Ictero in Indiis.*

Morbus regius, ſeu icterus, inter quotidianos in India morbos hic merito numeratur. Hic quoque vel morbos alios comitatur, vel eoſdem ſequitur. Exempli gratia inflammationem, ſchirrum, Apoſtema denique hepatis, & quia tum ut plurimum ſymptomaticus, & ex violentia morbi ortus eſt, ut fere-

re quoque ſemper lethalis eſt. Præterea quia ejus cura cum primariis affectibus conjuncta eſt, de eo hic ſuperſedebimus dicere; verum eſt, altera Icteri ſpecies, ubi folliculus fellis obſtructus, excrementum ſuum ad alvum non tranſmittit, unde etiam in ſtercore color albus apparet, urina vero croceo plane colore, lintea tingit. Nam bilis, verſus jecur regurgitans, cum ſanguine dein per venas, & arterias in univerſum corpus diſtribuitur, cutemque tingit colore luteo, ut & in oculis manifeſto appareat. De hoc affectu nobis hic eſt ſermo. Sæpe hic ita momentaneus eſt, ut intra pauciſſimos dies oriatur, ac occidat, quod eis ante paucos menſes accidit doctiſſimis, ac reverendis viris *D. Juſto Heurnio*, ac *D. Abrahamo de Roy*, quibus amiciſſime ſimul ac familiariter utor, qui aliquoties exhibito pharmaco ſudatorio, & cordialibus, intra breve temporis ſpatium curati ſunt. Qui autem diuturnuir eſt Icterus, majorem in cura diligentiam requirit, quod in eo longe validior ſit obſtructio: adde quod ſæpe dilirium, ac phrenitidem infert, bile flava per metaſtaſim ad mentis arcem elevata: hic neglectus certiſſimum hydropem infert. In eo igitur iiſdem medicamentis utendum, quæ ſuperius in obſtructione jecoris adduximus. Aviculæ quoque Chlorides dictæ, propria & occulta qualitate adverſus hæc ſymptomata valere incolæ produnt. Excellit hic decoctum Chinæ & Salſæ, quo copioſe ſudores eliciuntur. Tum porro ad evacuationem eandem recipe folior. Sennæ unc. 1. infuſ. in decoct. Thamarindorum cum Rhabarb. drachm. 1. ſem. Sed ſi propter fortem obſtructionem paulo valentiori pharmaco ſit opus, Electuario ſubſequenti utatur æger, quod à fratre meo *P. M. Reynero Bontio*, dum viveret *Principis Auraici Mauritii Archiatro, & Medicinæ Profeſſore in Academia Leydenſi*,

Recipe Ligni Guajacini libr. ij.
Salſæ parillæ unc. viij.
Cortic. ligni Guajac. unc. iij. poſt macerationem in ſ. aq. fluvii per 24. horas, coquant. q. ſ. hujus colaturæ ferventiſſime adde.

Folior. Sennæ mundator. lib. j.

Po-

Polypodii libr. ſem.
Sem. Aniſ. Fæniculi. an. unc. iij.
Hellebori nigri unc. vj.
Myrobalanorum omnium.
Thamarindorum an. lib. ij.
Bulliant q. s. in ſupra dicto decocto, colaturæ rurſus adde.
Pulpæ Caſſiæ Fiſtulæ, unc. xij.
Pulveris Sennæ.
Pulveris Rhabarbari an. unc. x.
Pulveris Cortic. ligni Guajacini, unc. iv.
Scammoneæ elect. pro quaque electuarii lib. j. ad unc. j.
Sacchari albiſſimi q. ſ. ut f.
Electuarium molle, Cujus doſis eſt à dra. iiij. ac unc. j.

Pleraque ingredientia hujus electuarii hic inveniri ſcitote: Nam Polypodium; hic craſſius longe, ac ſucculentius in Mangiferis arboribus, non ſecus ac in Quercubus in patria, creſcit. Si porro Helleborus niger deſit, ejus loco utimur Hellebori albi ſpecie, quam Potſiock Chinenſes ac Javani vocant, eſtque in ſummo pretio. Thamarindi quoque ac Caſſia hic in ſylvis paſſim creſcunt. Loco Scammoneæ, quæ tamen, ut & reliquæ Convoluvulorum ſpecies, hic abunde naſcitur, uti commode poſſumus gutta Cambodja prius per aliquot dies in aceto macerata, vel ſpiritu vini. Nam hoc modo vomitoriam ac infeſtam ſuam ventriculo qualitatem plane deponit, & blandius, quam Scammonea, alvum ducit. Pro potu utatur æger ſecundo Decocto Chinæ, cum radicibus Curcumæ, quas Luſitani Saffaram de tierra nominant; ac ſi Crocum ſubterreſtrem dicas. Tum pulvis ejus melle exceptus, & in electuarii formam redactus à dra. ſem. ad drach. j. tanquam ſpeceficum huic morbo remedium exhibetur, & tum per urinas egregie humorem: qui in vitio eſt, educit. Flatus, qui in hoc morbo aſſidui ſunt, ſeminibus Carminativis, & ol. Aniſi, diſcutiuntur. Creſcunt enim hic omnia hæc, & à Javanis, & Chinenſibus in ſimiles uſus reſervantur.

## Cap. XI.

### *De Atrophia, ſeu Extabeſcentia quadam, Indicis regionibus familiari, ab obſtructione viſcerum præſertim Meſenterii orta.*

Sæpe hic ſine manifeſta cauſa ægri extabeſcunt, ac emaciantur, febri nulla vel ſaltem lentiſſima ſe huic malo jungente ſine magno ſenſu doloris: gravitas tantum quædam ſentitur circa umbilicum, ac Hypochondria. Hoc malum, præter obſtructionem viſcerum, ſæpe cauſam latentem habet in venis meſeraïcis, vel in ipſa Meſenterii ſubſtantia, quæ ſepæ inſignem abſceſſum patitur: quod in diſſectis cadaveribus non ſemel obſervavi; Immo reperi aliquando totum Meſenterium abſumptum; ac tamen inteſtina cohærebant, aut potius inter ſe confundebantur nullo ordine, tenuibus pelliculis, ſeu membranulis adnatis. Ita miſeri mortales ad extremam maciem perducti, ut jam magis ſceleta, quam corpora carne veſtita dici poſſint, abſumpto calore nativo, vita excedunt. Notabile in hoc malo eſt, plerumque adeſſe βȣλιμον. ac appetentiam caninam: cui ſe lienteria, ſeu levitas inteſtinorum conjungit; unde cibi nihil, aut parum immutati, & incocti per alvum ejiciuntur. Taliter affecti, quamvis plerumque commoriantur, tamen ne omnino deſperare videamur, aliquid tentandum eſt potius, quam nihil. Si forte natura benignior, adjuta autem blandis medicamentis exterius, vires reſumens, ex deſperato ſanabile faciat malum. Temperate itaque calidis, anodyniſque moderateque, citra inſignem calorem deobſtruentibus utemur. Talia ſunt decoct. & condita ex ſeminibus Aniſ. Fœnicul. Carui, & reliquis carminativis ſupra relatis. Præterea creſcit hic quoddam Gramen, cujus nomen, ac deſcriptionem videre eſt apud *Proſperum Alpinum, libro de plantis Ægypti capite* XL. quod merito Gramen crucis vocatur, quia quatuor ſpicas è ſummitate caulis emittit, quæ perfecte crucem formant. Radix hujus Graminis, quæ tantum in uſu eſt, odorem habet aromaticum, &

& proxime ad Cariophyllatæ radicis accedentem, guſtu quoque eſt γλυκόπικρος, id eſt, è dulci amara. Hujus radicis decoctæ mirabiles effectus expertus ſum, in calculo Renum ac aliis longioribus obſtructionibus, qualis hæc eſt de qua loquimur. Confert quoque Anagallis aquatica, ſeu Becabunga, quæ cum elegantiſſimis floſculis ſuis albis in ripis fluviorum hic creſcit. Veſcatur æger carnibus Turturum, ac Fringuillarum, quas milites & Mauri ſclopetis occiſas quotidie venales in civitatem ferunt. Lac quoque caprillum mirifice prodeſt, dum nitroſitate ſua, quæ ſero ineſt, venas meſeraicas detergit, ac obſtructione liberat. Abſtinendum denique à purgantibus medicamentis, ne, dum humorem violenter conamur revellere, obſtructiones per acrem calorem, qui ſolet pharmaca iſta comitari, adaugeamus. Adde quod in hoc caſu, propter alimoniæ defectum, vires ſemper ſumme imbecilles ſunt.

## Cap. XII.

### *De quibuſdam Pulmonum vitiis, quæ hic graſſantur; ac primum, De Hæmoptoſi, ſeu ſanguinis Sputo, & Phtiſi, ſeu Ulcere Pulmonum.*

Debuiſſem quidem hos Thoracis affectus præmiſiſſe ſecundum ordinem, qui in ſcholis obſervatur; tamen ego, qui non umbras rerum, ſed res ipſas, tanquam practicus ſector, nihil ad curam referre arbitratus ſum, utrum id prius, an poſterius agam.

Quoniam itaque, ut & ſupra retuli, aëris conſtitutio hic eſt calida & humida, ſæpe fit, ut acribus catharris caput oneretur; unde hic etiam gravedines tam frequentes, & ſæpe diuturniores quam in patria oriuntur. Tum milites & ſocii navales, bene poti humi ſine ſtragulis dormiturientes, vaporibus è terra adſcendentibus, & rore è cœlo cadente obruuntur: unde hoc notandum eſt obiter, habitationes in ſuperiori ædium parte longe eſſe ſalubriores quam in inferiori, quæ propter humiditatem ſoli formicis, Scorpionibus, ac ſcarabæis (quos Caccar-

lac-

laccas vocant) ſcatent: ſed hæc parergice: ad rem veniamus. Hi catharri ſæpe ad ſubjectos pulmones è cerebro præcipitantur, ipſoſque ſalſedine, ac acrimonia ſua erodunt, unde Hæmoptoſis, hinc Tabes, & dein Empyema, ſeu ſuppuratio. Aſſiduam tuſſim, difficilem anhelitum, febrem tandem hecticam hic lubens prætereo, tanquam nota practicis, & jam ad curam me accingo. Et quia, in his regionibus, affectus hi à catharris, ac deſtillationibus utplurimum oriuntur, iſti per commodas purgationes divertendi ſunt. Ejus ergo fiat catapotiorum maſſa hoc modo.

℞. Aloës Socotorina.
Guttæ Cambodja.
Colochynthidos pulveriſatæ.

Scammoneæ elect. an. partes æquales: infunde in aceto, vel Spiritu vini, modo jam ſæpius dicto, & ſole evaporentur in maſſam pillularum: doſis eſt à ſc. j. ad. dra. ſem. vel in valentioribus ad dra. j. Nam hoc in genere ſciendum eſt, quod ut fluores alvi (ut Celſus vocat) hic ſunt violentiores, ita quoque è contra obſtructiones validæ, ac pertinaces ſunt: quæ non niſi valentioribus catharticis cedunt. Electuarium ſupra dictum fratris mei, hic etiam maximum emolumentum adfert. Averſa jam per alvum materia, reliquiæ particularibus remediis tollendæ. Caputpurgiis nimirum, Errhinis, ac Maſticatoriis, è Pyrethro, Staphidos agria, ſemine Raphani, Naſturtii, Pipere, & ceteris notis. Præter hoc peculiare hic habemus nobile medicamentum, quod conficitur ex Arecca & Betele, & calce viva ex oſtreorum conchiliis uſta, quod maſticando pituitam è capite elicit, eamque, quæ in ventriculo eſt, conſumit, ac prohibet, ne vaporibus caput impleat, unde hi catharri naſcuntur. Medicamentum hoc, Malaïce vocatur Sirii Pinang. Ejus deſcriptionem, & reliquas inſignes virtutes, quibus ſine dubio præditum eſt, vide apud *Garciam hiſtoria Aromatum* capite *de Betele, ac Arecca.* Eſt quoddam genus iſtius Pinang quod Mabock Indi vocant, tanquam ebrium dicas, qui pauco tempore cerebrum eo modo, quo potio vini nimia, afficit. Sed manſo paulo ſalis, ſtatim vertigo iſta evaneſcit:

Cum

Cum jam iſti catharri, aut neglecti, aut non bene averſi, per ſalſuginem ſuam, qua præditi ſunt, aut pulmonum venas eroſerint, aut acrimonia ſua per anaſtomoſin ora vaſculorum reſeraverint, & æger in hæmoptoſin, ſeu copioſam ſanguinis excreationem inciderit, cum tuſſi valida præſertim, ſtatim ſanguis ad revulſionem copioſe detrahendus eſt. Poſt pectoralibus incraſſantibus, ac ſanguinem ſiſtentibus, utendum, quorum deſcriptionem inferius dabimus, ne neceſſe ſit iſta repetere. Si patientes contingat evadere tantiſper ſanguinis ſputum, tum, neque tamen tuſſis minuatur, & per eam pus exſpuatur, ſignum eſt, affectum hunc jam in tabem, ſeu ulcus Pulmonum tranſiiſſe, cui, ſi ſupervenit febris hectica, ſequitur maraſmus, quem dein comitatur certiſſima mors. In his duobus morbis, quia agnati ſunt, & alter ex altero ſæpiſſime oritur, eandem, vel perquam ſimilem medendi rationem ſequimur. Utendum eſt igitur in principio Diatragacantho frigido, cui optime conficiendo hic naſcuntur ſemina Cucumerum, Cucurbitarum, Melonum & cetera: tum è Suratte Amygdala ſuppetunt, & Papaveris ſemen; tum cum aliis ſpeciebus, quas hic etiam abunde habemus, in formam liquidam electuarii, aut etiam in tabulas concinnata ad uſum ſervantur. Sed nihil æque prodeſt, quam toties commemoratum extractum Croci, quod non tantum ſanguinis ſputum ſiſtit, ſed & Tuſſim ſedat, pus incraſſando habilius ad expectorationem reddit; quinetiam pulmones jam exulceratos conſolidat, ac ad cicatricem perducit. Eoque ſolo remedio plurimos jam deſperatos ſanavi. Sumant præterea ægri, ad minimum ter quotidie, hauſtum decocti jam deſcribendi.

℞. Scabioſ. morſus diaboli; Linguæ Cervinæ an. m. j.
Capitum papaver. demptis ſummitatibus num. iv.
Glycirriſæ raſ. unc. j. coq. in ſ. q. aq. comm. Colatur. lib. ij. ſem. adde ol. Sulphur. q. ſ. ad gratum acorem. m. f. Apozema.

Si in Tabe, ſeu Phtiſi pulmones paulo magis mundare velis, add. huic decoct. unc. ij. mellis Roſacei, tum ad eundem effectum, faciliorem expectorationem hac conſerva utamur.

 ℞. Con-

℞. Conſervæ Roſarum è Perſia antiquæ unc. ij.
Sem. Papaver. albi contuſi, unc. ſem.
Flor. Sulphur. drach. j. ſem.
Pulver. Solidaginis Saracenicæ, & pulveris Scabioſæ, an. dra. j.

Ol. Sulphur. q. ſ. ad gratum acorem M. f. Conditum. Pro potu communi utatur decocto ſecundo ſuperius Chinæ, aut Salſæ relato.

## Cap. XIII.

### *De Empyemate, & fluctuatione puris ſuper ſeptum tranſverſum.*

Empyematis quidem per eadem jam dicta medicamenta, ſed longe tamen difficilior eſt curatio; quod pus, ac ſanies libere, ab alterutroque vel etiam utroque latere, ſuper diaphragma fluctuet & pulmones; & quamvis ejus portionem ſæpe aliquam, tamen totam exſugere non valeat. Et tamen per alteram viam, quam per Tracheæam arteriam purulentæ iſti materiæ non eſt exitus, quicquid illi dicant, qui ejici aliquando affirmant hoc pus per ſiniſtrum cordis ventriculum, ad majores venas inde deferri & hinc ad Jecur & venas meſeraicas, & hinc per alvum exonerari, vel ad Renes deferri quoque, & critice per urinas evacuari. Eorum quidem fidem, qui hæc ſcripſerunt ego non elevo: ſed nunquam tam fortunatus fui, quamvis in frequentiſſimo praxi, ut talem excretionem mihi videre contigerit. Sed hoc quod jam præponam, etiamſi anceps ac dubium ſit remedium, tamen ſine dubio nugacibus verbis, & loquacitate tam feminarum futilium, quam virorum relicta, longe præſtantiſſimum eſt; ſupra diaphragma, inter quartam ac quintam coſtam, muſculi thoracis intercoſtales, cauterio admoto potentiali adurendi ſunt, donec ſatis lata eſchara oriatur; quod circiter ſpatio trium horarum plerumque fiet, dein iſtud ſatis lato vulnere pertundendum eſt, & (ut hoc obiter dicam) hoc eo opus eſt, ne ſi ſine tali cauterio, inciſio fiat, vul-

vulnus nimis cito coaleſcat & citius quam neceſſe eſt: ſed oportet ut labiis longiſſime à ſe invicem diſtantibus (quod in rotundo vulnere fieri certiſſimum eſt) facilior exitus puri, ac amurcæ iſti fiat: ſed ante omnia curandum eſt, ne confertim pus, ac ſanies unica vice: ſed repetitis vicibus emittatur, pro ægri viribus; quarum in his regionibus maxima habenda eſt ratio. Hoc remedio miraculi inſtar aliquot curatos vidi: & inter plurimos viator quidam, & miles (Corporalem quem vocant) hic in arce Batavica ſunt, qui cum me vident, non officioſe tantum ſalutant, ſed pene importune adorant; ſed de his in obſervationibus particularibus acturus ſum. Si hæc vobis placuiſſe intellexero, efficiam, ut non otioſe tempus in Indiis me exegiſſe boni ſciant. Nam de mallevolis mihi nulla eſt cura, quoniam ego me ſupra eorum invidiam eſſe arbitror; & abunde mihi ſufficit, ſi hic domino Generali ac Indiæ Conſiliariis non diſpliceam.

## Cap. XIV.

### *De Febribus in Indiis.*

Febres, quæ in Indiis naſcuntur, pleræque aut ſunt ſymptomaticæ, aut continuæ per ſe, ac (ut fere ſemper) Synochi putridæ. Quæ vero certam periodon ſervarent, cum intermiſſione ſeu ἀπυρεξία, vix menimi me vidiſſe; niſi unam ac alteram Quartanam, eamque cum ægro è patria delatam, quæ hic miſerrime in hydropem, & inde in certiſſimam mortem deſiere. Itaque erraticæ plerumque hic febres ſine certo ordine, quibus ſingulis, ſi nomina dare velis, Oedipo conjectore tibi opus erit. Non tamen Tertianas intermittentes, hic aliquando oriri negaverim: ſed hæ tam raræ ſunt, ut liceat hic dicere, quod in proverbio eſt, quod hirundo unica non efficit ver. Præterea propoſitum mihi eſt ſcribere de iis affectibus, qui utplurimum, ac quotidie hic eveniunt. Hoc ſaltem in genere verum eſt, morbos quibus febris ſupervenit, hic magis periculoſos eſſe, quam quos à principio comitatur febris. De curaigi-

igitur febrium, & ſymptomatibus earum, quia cum affectus primarii ſanatione conjuncta eſt, ſuperſedebimus actum agere. De continuis ergo aliquid agendum, quæ plerumque cum tanto furore hic mortales invadunt, ut tanquam attonitos de ratione mentis ſtatim dejiciant, & ſæpe intra pauciſſimos dies, imo, aliquando horas cum phrenitide, ac continuo delirio ægros è vita rapiant. Adſunt perpetuæ vigiliæ, vomitus varii coloris, præcipue viridis, ac æruginoſæ bilis. Externa rigent. Calor interne cum ingenti ſiti vitales ac naturales facultates depaſcitur. Cum febris hæc itaque ſit ſynochi putridæ ſpecies, ubi ſanguis tam qualitate, quam quantitate peccat, duo magna antiquitus decantata remedia hic neceſſaria eſſe quis dubitet? Sed utrum illorum præmitti debeat, in quæſtionem poſſet venire: Sed nos, ſubtilibus ſcolaſticorum diſputationibus, ac altercationibus omiſſis, purgationem debere præcedere autumamus; ne in venis major perturbatio fiat, quam emolumentum ex præmiſſa phlebotomia ſperari poteſt. Et ne humores iſti mixti aliquam ex principibus partibus, per motum, occupent, ac terribiliſſima ſymptomata excitent. Itaque in principio leniter, ut Thamarindorum & Caſſiæ pulpa, ægri purgandi ſunt. Injecto quoque Clyſtere communi, & adjecta electuarii, ſupra deſcripti unc. j. His peractis, jam tuto vena copioſe ſecabitur, vel etiam iteratis vicibus, quod judicio medici relinquimus, tum unguento borborii univerſum corpus inungendum. Quod ſi vigiliæ, ac Phrenitis infeſtat, vena frontis recte ſecabitur; tum ſomnus omni modo conciliandus. Philon. ſine Euphorbio, Requie Nicolai, Mithridatio hic confecto recenti, &c. Sed in periculis, tanquam ad ſacram anchoram, ad Laudanum noſtrum ex Croco confugiendum eſt, quod in his regionibus, nunquam ſatis laudabitur. Ceteræ, quas dixi, erraticæ Febres curandæ ſunt eo modo quo illæ, quæ certos paroxiſmos habent, & ad quorum naturam videbuntur proxime accedere. Quæ quoniam notiſſima ſunt ex aliorum ſcriptis, Enchiridii hujus ratio non patitur me longius de iis agere.

# Cap. XV.

## *De Febribus quibuſdam, quas incolæ, vocant Tymorenſes, in Indus peculiaribus.*

Iſti, qui navigant in Inſulas Solor ac Tymor, cædendarum Santali arborum gratia, corripiuntur febri quadam putrida, quæ ſi continua ſit, delirium ac Phrenitidem ſecum comitem etiam habet, ſi vero per intervalla exaſperetur (nam remittit ſe aliquando hæc Febris: ſed intermittitur nunquam) ea exacerbatio plerumque eſt circiter quatuor horarum, qua durante ridiculas admodum actiones ægri edunt; imitantes ea opificia, quæ ſani exercuerunt, & omnia effutientes temere, quæ in vita, tacenda, loquendaque peregerunt, cum maximo aſtantium riſu. Adeſt præterea βὔλιμος, ſeu Appetentia canina ita ut, dum in delirio ſunt, omnia etiam fœdiſſima devorent, quæ ipſis præbentur. Oritur hæc Febris ex diverſis cauſis, quarum præcipuæ hæ ſunt: Odor recentur cæſarum arborum Santali; quæ (fatentibus ipſis incolis) neſcio quid viroſum, è cortice maxime, & cerebro inimicum exſpirant. Santali Hiſtor. vid. apud *Garc. ab Orta* l. 1. cap. 17. Ad hæc aëris conſtitutio eſt hic nebuloſa, ac admodum gravis; nam habitacula incolarum ſunt in ſummis montibus; ubi, propter aëris mediam regionem, nebulæ ac pluvioſi vapores ſunt; tum frigus aliquando tam violentum, quam in Hollandia ſolet eſſe, quæ omnia non niſi craſſos humores ac turbidos ſpiritus gignunt. Addita fructus hic naſcentes edendi libertate, qui, cum plerique ſint horarii, & propter humiditatem putredini maxime obnoxii, in corporibus jam ante faſtidio maris, laboribus, craſſis cibis, tum aëris intemperie immutatis, peſſimos ſuccos gignunt. Adde (quod pene omiſeram) mutationem ſubitam aëris, quam ſubeunt noſtri; dum deſcendunt ex montibus frigidis ad littus, ac naves, ubi calor ſummus corpora urit; Nam inſula hæc ſita eſt verſus meridiem, circiter decem gradus, à linea æquinoctiali. Et (ut Ovidius ait.)

*Cum modo frigoribus, calido modo ſtringimur æſtu,*
*Tempore non certo corpora languor habet:*

Præcipue quoque cavendi ſunt venti ex montibus, poſt medium noctis, ſpirantes ut & in Java, & ceteris circumjacentibus inſulis; non ſecus ac in quibuſdam Galliæ Narbonenſis locis, ac Italiæ, præcipue in regno Neapolitano, ac Romæ territorio, ventus frigidus è montibus ſpirans (quem Serenas vocant) Pleuritidem, Peripneumoniam, ac reliquos acutos morbos infert: unde Horatius:

*Matutina parum cautos jam frigora mordent.*

Cura conſiſtit in purgatione leni, ac Clyſtere præmiſſo, in celeri ſanguinis miſſione, eaque in plethoricis, ac conſtantibus viribus, uſque ad animi defectum. Cucurbitæ quoque affigantur cervici, ſcapulis, ac, vertice raſo, capiti, incolæ arterias crotaphos, ſeu Temporales, lamina candenti, vel fune ſclopetario accenſo, urunt, cum ſtupendo fructu, quod etiam faciunt in omnibus capitis longis doloribus. Purgatur quoque commode humor vitioſus elect, fratris mei ſupra relato. Tum Vomitoria è Croco metallorum, ac ſale Vitrioli præcipitato, utiliſſima in hoc caſu eſſe experientia didici. Vigiliæ (quæ ſunt fomentum phrenitidos) ſi perpetuæ adſint, utamur, præter cetera narcotica, extracto noſtro Croci in pilulam formato, vel vino diſſoluto. His omnibus generalibus remediis præmiſſis; intemperies cordi, hepati, ac cerebro inuſta, ſudorificis, ac diureticis; Antidotis quoque, ut Bezoar, ac raſura cornu Rhinocerotis, commode diſcutitur. Et conſervis refrigerantibus, ac ſyrupis, ſupra ſatis ad faſtidium nominatis, emendantur.

# Cap XVI.

## *De Cæcitate, ac debilitate viſus, quæ navigantibus Amboynam, ac Moluccas verſus, ac in circumjacentibus fretis accidit.*

Qui Amboynam, Bandam, ac Moluccas verſus navigant, infeſtantur ſæpe debilitate viſus, immo totali cæcitate, à craſſis lentiſque vaporibus caput, ac cerebrum opplentibus, nervoſque opticos obſtruentibus: quæ tamen cæcitas non ſemper permanet; ſed alterius aëris mutatione, vel melioris diætæ, ſæpe recedit. Incolæ harum inſularum originem trahere dicunt (quod & experientia, cui contradici vix poteſt, comprobatum eſt, ex eſu Oryzæ calidæ. Hinc Javani, ac Malaji Oryzam, jam primum coctam, ſemper prius frigidiori aëri exponent, vel vanno calorem eventilabunt. Tum nautæ noſtri ſociis ſuis navalibus imperant, ſub pœna aliqua, ne Oryzam calefactam comedant. Quod ſi cauſam altius inquirere velimus, ratione eam predicta niti inveniemus: nam Oryza hæc ſemper plantatur in locis udis, ac paludoſis, unde neſcio quid fœculenti, ac uliginoſi contrahit: quod calidum altius penetrat, quam frigidum: nam etiam ſiccæ Oryzæ, crudæque odor caput gravat, ac ſomnolentiam quandam introducit. Communis in hoc affectu cura (qua & ego utor, & plures ad priſtinam ſanitatem reduxi) hæc eſt; Primum purgandum caput, ac ventriculus à craſſis humoribus, qui hos vapores ad cerebrum mittunt: Quod optime fiet per Pillulas panchymagogas *Reiniri Bontii* ſupra deſcriptas. Dein ſternutatoriis è pulvere Tabaci, &c. Tum Errhinis, ac Maſticatoriis utendum eſt. Vena ſecta quoque prodeſt. Sed in hoc malo (quod poſtremo loco reſervavi) ſpecificum, ac crebro uſu comprobatum medicamentum eſt, Jecur Lamiæ piſcis, crudum cum ſale comeſtum, quem piſcem *een Haye* Belgice vocamus, quin & oleoſitas, ex eo in ſole inde diſtillans *Traen* Belgice, ac oculis inuncta pro præſentaneo eſt remedio; quod procul dubio proprietate ſub-

ſtan-

ſtantiæ fit: Nam tantum abeſt, ut aliorum piſcium jecinora hoc præſtent, ut potius præſentem noxam inferant. Notandum poſtremo eſt, quod, quamvis hæc cæcitas ſæpe tranſitoria ſit, tamen neglecta, ac incommoda diæta, maxime importuno uſu Aracci, ſæpe in veram viſus orbitatem degenerat; quorum exempla hic paſſim obvia ſunt.

# F I N I S.

OBSER-

# DE EXTERNIS QUIBUSDAM Corporis Affectibus, in Indiis.

## Cap. XVII.

*De Herpetis, ſeu Impetiginis Indicæ ſpecie, incolæ Courap indigitant.*

Expoſitis morbis internis præcipuis, qui in hiſce remotiſſimis à noſtro cœlo locis graſſantur, omiſſis etiam levioribus affectibus, qui hic (ut in patria quoque) quotidiani ſunt, ad externa quædam corporis vitia, in his regionibus familiaria, devenire conſtitui.

Inter hæc principem locum obtinet Herpes, ſeu Impetigo quædam moleſtiſſima, quæ ut plurimum alas, pectus, inguina, faciem, immo aliquando totum corpus occupat, cum pruritu intolerabili, adeo ut ægri à ſcalpendo, dies ac noctes manus abſtinere nequeant: Sed ſtatim iſtam voluptatem, quam ex unguium attritu homines ſentiunt, acerba pœnitentia ſequitur: ingens nempe dolor, in crudis, & cuticula nudatis partibus, quas ungues apperuerunt, dum mordicans, ac nitroſus iſte humor peccans, partes affectas vellicat, & inde interulæ, ac induſia, ſine cruſtarum laceratione, avelli nequeunt: Indigenæ hunc affectum Courap καθ' ἐξοχὴν appellant, quod alias omnem ſcabiem ſignificat: Cauſa hujus af-

 fectus

fectus cutanei eſt ſalſa, ac nitroſa pituita, mixta bili, ac melancholiæ: eſtque affectus contagioſus, quia attactu facillime in aliud ſubjectum tranſit: ita ut pauci hanc moleſtiam effugiant. Quamvis autem hoc malum, ſcabram, ac deformen cutem reddat, cum furfuribus: tamen hoc commodum ſecum fert, quod quamdiu quis taliter affectus eſt, vix alio graviori morbo corripiatur; tum Courap ſubito evaneſcens, majoris morbi ſuperventuri indicium ſolet eſſe: humore nimirum peccante, per metaſtaſin, ad partem nobiliorem aliquam delato. Ideo ſunt hic qui per aliquot annos hoc malo affecti, non adeo ſolliciti ſunt de ejus cura. Sed nos qui novimus ſublata cauſa, etiam tolli effectum, quod vulgus ſanum per ſe putat, per accidens ſcimus evenire; quod hic nempe ſit effectus bonus à mala cauſa. Non ſecus ac in Gonorrhæa virulenta, ac venerea contingit, Hepate ſc. expellente à ſe iſtud virus ad glandes paraſtatas, ac inde ad penem, quo miſeri ſe conſolantur: cum in confeſſo ſit aliquo modo in re medica expertis, ſi iſti malo convenientibus remediis non occurratur, ipſum morbum venereum inde oriri. Sic hoc malum neglectum, præſertim in ſubjectis in melancholicis, ac atrabilariis in Lepram Arabum, vel (quod multo pejus eſt) in ipſiſſimam Elephantiaſin tranſit. Cura hujus mali in principio præcipue conſtat in ablatione cauſæ morbificæ, quod per toties jam dictas purgationes optime fiet: fruſtra enim neglectis generalibus, ad particularia ac Topica medicamenta devenitur. Pulvis quoque præſtantiſſimus ad hunc effectum, ut & ad reliquos melancholicos à me conficitur hoc modo.

℞. Folior. Sennæ mundatorum unc. xiv.
Rhabarbar. optimi.
Turbith. albi an. unc. viij.
Tartar. albi.
Scammoneæ elect. an. unc. iv.
M. F. Pulvis ſubtiliſſimus.

Doſis eſt in convenienti liquore ʒj. jam ad Topica deveniamus, inter quæ excellens eſt, quod mihi reverendus ac doctiſſimus vir Dominus *Juſtus Heurnius* communicavit, vir in omni Scientia-

tiarum genere exercitatiſſimus.

℞. Ferruginis unc. j.
Sulphur. dra. ſem.

Subtiliter in marmore fricentur, adde ſuccum è foliis Baſilici hic creſcentis, & hinc fiant paſtilli, qui aceto diſſoluti & veſperi Courapo illiti, mane ob deformitatem ablui poſſunt.

Hoc ſi minus efficax ſit,

℞. Opii ſcr. j. ſem.
Calcis vivæ ex conchiliis uſtæ ſcr. ij.
Fricentur in marmore, cum ſucco Pomorum Amoris; uſurus abradat cruſtam Herpetis, dein abſterſo ichore, illinat.

Ad eadem confert Oleum è gummi Benjuin adjecto nitro, vel ſale Prunellæ, vel momento Mercurii ſublimati. Commode his quoque miſcetur ſuccus Limonum. Cum Tutia præparata, aut Ceruſſa, quo ſolo remedio topico, præmiſſa unica purgatione, me ipſum curavi, cum ſub alis, ac in pectore hac colluvie infeſtarer. Diæta, ut in omnibus cacochymicis affectibus hic moderata, & boni ſucci eſſe debet. Quod curantis prudentiæ relinquo, ne fruſtra actum agam.

## Cap. XVIII.

### *De Papulis rubentibus, ſeu ſudaminibus, quæ vulgo noſtrates* het Rootvont *vocant, ac obiter de moleſtiſſimis culicum morſibus.*

Quas Latinus Hippocrates *Cornelius Celſus* papulas, *Plinius* ſudamina vocat (noſtrates Belgæ *Rootvont*) hic ita crebra ſunt, ut ego adhuc hiſce in locis neminem noverim, qui moleſtias has effugerit, non magis, quam morſus culicum, quos Luſitani Moſquitas vocant. Sunt autem hæ papulæ rubentes, ac aſperæ aliquantum, per ſudorem in cutem ejectæ; plerumque à capite ad calcem uſque, cum ſummo pruritu, ac aſſiduo ſcalpendi deſiderio erumpentes. Hæc

exanthemata magis afficiunt recens advenientes, ut & Molquitarum punčturæ, quam eos, qui aliquamdiu hic morati ſunt: ita ut, deridiculi ergo, hic inter noſtrates dicterium enatum ſit. Eum qui hoc modo affectus ſit, eſſe *Orang Baroü*, quod novitium hominem ſignificat, & propterea culices, ac papulas ſibi tributum, è lacte, è butyro, quod eum devoraverint, petere: nam qui hic diutius hæſerunt, ſe *Orang Lamme*, id eſt veteranos glorioſe nominant. Hæc porro moleſtia, cum à natura expellente fiat, inter affectus cutaneos tantum recenſenda venit: ſed tamen temere habita, ut & morſus culicum, unguibus ſcilicet cute aperta, ulcera ſæpe cacoëthea, ac maligna oriuntur, difficilia ſane ſanatu.

*Sic neglecta ſolent incendia ſumere vires.*

Ut itaque pruritui iſti moleſtiſſimo occurramus, acetum cum aqua miſceri jubeo, addito Nitro, ſeu ſale Prunellæ, eoque corpus linteolo immerſo tingi: vel, ſi acrius deſideres, addendus Limonum ſuccus recenter expreſſus. Quæ quamvis primo acrem dolorem inferant, tamen is cito evaneſcit, & multo magis tolerabilis eſt, quam pruritus iſte inſignis. Hoc denique medicos, ac chirurgos obiter monitos volo, ne in his papulis purgationes, quantumvis leves, inſtituant, ne materia acris, ac biliosa, ad inteſtina delata Dyſenteriam creet: ſed vel potius naturæ hæc ſananda relinquant: vel ſudorificis excretionem hanc adjuvent: Nam ego, per incuriam, ac imprudentiam quorundam, hæc infortunia evenire non ſemel vidi,

## Cap. XIX.

### *De Tophis, gummatis, ac ulcerationibus Endemiis in inſula Amboyna, ac Moluccis præcipue; quas noſtrates*, d'Amboynſe pocken *vocant.*

Endemius, ſeu popularis quidam morbus in Amboyna, ac Moluccis inſulis præcipue oritur, qui ſymptomatis ſuis, admodum ſimilis eſt morbo venereo. Sed in his inter ſe differunt quod

quod hic ſine congreſſu venereo quoque naſci ſolet. Erumpunt in facie, brachiis, ac cruribus Tophi, ſeu Tumores, duri primum ac ſchirroſi, ac tam crebri per univerſum copus, quam clavi ac verrucæ oriuntur in manibus, ac pedibus in patria; ſi vero eos ulcerari contingat, materiam lentam, ac gummoſam à ſe reddunt, attamen tam acrem, ac mordacem, ut profunda, ac cava ulcera inde oriantur, cum labiis calloſis, ac inverſis; fœdum, ac deforme malum, & cum lue venera conveniens, niſi quod hic tanti dolores non adſint, nec caries in oſſibus tam facile oriatur, niſi per curantis incuriam. Hic affectus originem trahit, primum ex peculiari cœli ac ſoli iſtius genio; tum ex aëre, vaporibus ſalſis, è mari undique aſcendentibus infecto; cibis præterea craſſis, ac melancholicis & pituitoſis, ut ſunt piſces marini, quorum hic magna captura eſt: quibus incolæ aſſiduo veſcuntur, quod reliquæ annonæ ſit ſatis indiga regio. Magnum etiam momentum huic malo adfert uſus placentarum, quas vice panis, per totum iſtum tractum edunt; ac ab incolis Sago vocatur, & eſt è corticibus arborum excuſſa farina. Ad hæc confert potus importunus liquoris cujuſdam Saguër vocati, qui ferme eodem modo ex arbore elicitur, quo è palma Indica ſeu Coquos arbore liquor iſte, quem incolæ Towac; Luſitani Vinho de Palma vocant. Hic immoderate ſumptus non ſecus, ac vinum, & cerviſia inebriat; caput ac nervos infeſtat, hinc etiam in his inſulis crebrior eſt iſta Paralyſeos ſpecies, quam Beriberii ſupra diximus appellari. Quantum ad curam attinet, ea, ſi recens ſit hoc malum, non admodum difficilis eſt. Sin inveteratum, jam moleſtior eſt curatio. Porro iiſdem ferme remediis cedit, quibus lues venerea, obſtructiones lienis, Leucophlegmatia, ac ipſe Hydrops, & ceteri chronici, ac rebelles morbi. Decocta hic itaque parentur è Chinæ radice, Salſa parilla, Guajaco & corticibus ejuſdem, quibus incoquantur Anagallidis aquaticæ, ſeu Becabungæ m. ij. Poſt peccans materia vehementioribus catharticis educenda eſt: nam levia hic non proſunt. Talia ſunt Extract. guttæ Cambodja, Elaterium: & ſi his non cedit, ad chymica, & mineralia deveniendum eſt: ut ſunt Mercurius vitæ, ſeu Butyrum

Antimonii, Turbith minerale, tum Mercurius præcipitatus albus. Unguenta quoque Mercurialia ſecundum artem parata hic externe adhibenda ſunt: quæ omnia *è Crollio*, & aliis doctioribus ac verſatioribus Chymicis petite.

FINIS.

# OBSERVATIONES ALIQUOT ſelectæ, ex diſſectione cadaverum ac ἀυτοψία deſumptæ:

*Quæ præcedentibus jam dictis non parum lucis adferunt.*

## Observatio Prima.

### *De quodam è Spaſmo mortuo.*

MILES quidam, cum per integram noctem, ebrius in ſolo decubuiſſet, evigilans tam repente ſpaſmo correptus eſt, flexo in poſteriorem partem corpore, ut omnino rigidus, ac incurvus permaneret. Ipſe in noſocomium delatus noſtræ curæ mandatus eſt. Nihil deglutire poterat, & turbide loquebatur, tanquam ex loco ſubterraneo vocem emittens, truculenter nos intuebatur; cui cum omnia fruſtra adhibuiſſemus remedia (quæ ſupra in methodo medendi videre eſt) ille poſt ſæviſſimos cruciatus, intra quatuor dies interiit. Libuit mihi cauſam tam atrocis mali indagare: itaque adhibito Magiſtro *Andræa Duræo*, *Noſocomii Batavici Chirurgo* expertiſſimo, cadaver aperuimus: Vitalia ut cor, ac pulmones, & Naturalia membra, ut hepar, ventriculum, ac lienem omnia integra invenimus. Itaque (quod res erat) ſuſpicati, malum altius hærere. Cerebrum ad

ven-

ventriculos uſque diſſecuimus, quos repletos invenimus materia quadam viſcida, ac glutinoſa, colore luteo, vitello ovorum per quam ſimili: ſed fœtida admodum: hæc incumbens principio nervorum, tam ſæva ſymptomata in ſubjectis partibus excitarat. Venæ intercurrentes utramque cerebri menyngem admodum turgidæ erant bilioſo ſanguine: Obiit anno 1629. menſe Februario. Eodem modo pauco poſt tempore affectus fuit ſignifer, qui in arce, valli Rubini dicta, præſidium agebat; ſed hic præter prædicta ſymptomata, ſpaſmo Cynico in dextra maxilla, torquebatur, ita ut loqui plane durante iſto paroximo non poſſet; & intra 24. horas ex vivis exceſſit; juvenis, ſi quis alius, fortis, ac robuſtus.

## Observatio II.

### *De Phtiſico quodam ac Empyematico.*

Henricus NN. mercator Danus decumbens in ædibus *Ambroſii vander Keer*, hujus urbis ſcabini, poſt mortem à *Magiſtro Andræa* diſſectus fuit: uterque lobus pulmonum, non tantum arcte coſtis adnatus erat, ſed etiam inferius diaphragmati, ut ſine laceratione, inde avelli non poſſet. In dextro latere, ubi majorem dolorem ſenſerat, inventa ſunt fragmenta bronchiorum ab ſubſtantia pulmonum avulſa, cum ſanie copioſa; qualia, dum viveret in magna quantitate excreare conſueverat: vox illi erat clangoſa, qualis gallorum Africanorum, aut Calecutienſium. Laboraverat longo tempore antea ſputo ſanguinis; unde hujus miſerandi mali principium; quo etiam extreme extenuatus. obiit. 1629. die Auguſti 19.

## Observatio. III.

### *De Dyſenterico.*

Ex mandato Domini Generalis, ego, & *Magiſter Adamus Arcis Batavicæ Chirurgus* aperuimus aliquot cadavera ex Dyſenteria mortuorum; inter quæ corpus militis cujuſdam è diu-

diuturna Dyſenteria vita functi, quæ tum temporis cum obſeſſi eſſemus à Javanis hic tanquam morbus epidemicus graſſabatur. Et invenimus inteſtina vehementer inflata, ac eorum interiorem tunicam plane abraſam; Tum folliculus fellis, quod maxime in eo mirum erat, repletus, ac diſtentus, erat humore lento; ac viſcido, alboque; inſtar pultis ex Amylo, quem noſtræ mulierculæ *Styſſel* vocant: Bilis autem nequidem veſtigium relictum erat. 1624. Nov. 14.

## Observatio IV.

### *De quodam Pulmones plenos Pure habente.*

Anno 1692. menſe Majo, aperuimus cadaver nautici ſocii, ex Phtiſi mortui, cujus pulmones ſubſtantia & colore externe ſani apparebant, quibus tamen diſſectis, exiit pus copioſum, viride, ac fœtidiſſimum; Et dexter pulmonum lobus coſtis adnatus erat. Quod obiter notandum in plurimis, quos aperuimus, nunquam ſiniſtrum lobum ſolum adnatum vidimus; ſed vel utrumque, vel dextrum tantum. Ratio (ut ingenue fatear) me latet, niſi forte, quia in dextro latere tantum vena azygos vel ſine pari eſt, quæ in pleuritide, tuſſi valida rupta, hanc amurcam á ſe rejicit; unde etiam in dextro latere pleuritides exquiſitæ magis oriuntur.

## Observatio V,

### *De Empyematico ſanato.*

Miles quidam, cum potu Arac apprime ſe ingurgitaſſet, & ferme ſine ſenſu, ac motu in arcem ferretur, credebamus ipſum iſta nocta ſupervivere non poſſe: ille tamen, partim evomita, partim edormita crapula, poſtridie in dextro latere Pleuritidie exquiſita correptus eſt; cui, licet poſt ſanguinis miſſionem, dolor aliquantum ſedatus eſſet: tamen inflammatio in ulcus, & inde, eo rupto, in Empyema deſiit, materia, in dextro latere, ſuper diaphragma effuſa. Erat adhuc viribus ſatis conſtantibus, neque febris jam tam vehemens vigebat.

 Ita-

Itaque inter quartam, ac quintam coſtam cauterium potentiale, quod vocant, applicavimus, dein ſcalpello eſcaram porro aperuimus. Indeque effluxit ſanies copioſa, cum ramentis, ac particulis aliquot membranæ ſuccingentis coſtas, jam putrefactæ. Et illæ, adhibitis oportunis Syringationibus, convaluit præter ſpem, &, cum hæc ſcribimus, Malaccam verſus navigavit.

## OBSERVATIO. VI.

### *De inſigni Cranii fractura.*

Nauticus quidam ſocius, dum navem, in ſtatione hic ſtantem, à ſordibus, quas in mari contraxerat, cum ceteris purgaret, & conto ſcapham prohiberet, ne temere navi alliderețur, dum ſe inclinat, ut funem, qui ſcaphæ inferius impactus impedimento erat, auferret, triſti fato, ſcapha navi undarum pulſu impegit. & caput ipſius, quod intra ſcapham & navem medium erat ita colliſum eſt, ut totum cranium comminutum crederetur; ipſe mutus repente, & ſanguinem, per os, aures, ac nares rejiciens, inde delatus eſt in Noſocomium. Huic jam, putabamus, deſperato, cum *Mag. Andræas*, & ego ſeriam manum præſtaremus; Primo à poſteriore capitis parte contuſionem ingentem invenimus; quam, poſtquam aperuimus, plurimum concreti ſanguinis inde extraximus. Poſtero die, cum jam mundatiora eſſent omnia, cranium in multa fragmenta comminutum apparuit: hinc cum aliquot particulas exemiſſemus, reliquam curam (ut in tali caſu decet) aggreſſi ſumus. Ille porro hæſit inter noſtras manus circiter ſex menſes; quo tempore totum illud os, quod circumſcribitur ſutura Lambdoide, per fragmenta exemptum eſt, paulò ſupra illud foramen, cui inſeritur prima cervicis vertebra, dentiformis dicta. Ille quidem, optime ſanus, Novemb. menſe patriam repetiit; appoſita poſteriori capitis parti ſemi-galea argentea, ei, in eum finem donata à Domino *Generali Coën*, ut cerebrum ab ictibus externis tueretur.

## Observatio VII.

### *De Chronicis ac implicitis morbis in uno ſubjecto.*

Anno 1629. Septembr. 5. diſſecuimus cadaver militis cujuſdam Germani, qui ferme per integrum annum languerat, fluxu ventris æruginoſo, tuſſi ſicca, & inſigni reſpirandi difficultate, &c. Mortuo eo, Omentum, ac Meſenterium repertum ferme abſumptum; ita ut inteſtina ſibi invicem adnata, vel potius nullo ordine inter ſe confuſa eſſent, parvulis villis hinc inde enatis. Lien erat contractus in minimam pilæ magnitudinem, & rotunditatem, ita ut Renes ſubjecti longe majores eſſent. Jecur tam varii erat coloris, luridi, pallidi, flavi ac viridis, ut miraculo ſpectantibus nobis eſſet. Cyſtis fellis longe major ſolito. repleta ac diſtenta erat bile æruginoſa: Ventriculus, ac inteſtina eroſa, inſignem quoque hujus humoris copiam retinuerant. Præterea è vitalibus dexter lobus pulmonis coſtis & diaphragmati erat adnatus, ut invicem continui viderentur. Videant benigni lectores, num mirum ſit difficiles hic eſſe curationes, cum tot ſimul mala concurrant, quod non in hoc uno, ſed plurimis ſubjectis reperi. Et hoc nobis præſtat nimius potus maledicti Arac ex Oryza & Holothuriis confecti. Et quoniam dicunt ſcriptores Phyſici, leporem marinum (qui ut & Sæpiæ, de Holothuriorum ſunt genere) venenoſa ac peculiari qualitate, pulmonem erodere, lubens in eam ſententiam deſcendo, omnes iſtas immundities eandem tabificam vim habere, &c.

## Observatio VIII.

### *De quodam cui vena cava loco ſanguinis, repleta erat adipoſa ac medulloſa ſubſtantia quadam.*

Septembris 7. Anni 1629. me præſente, apertum fuit corpus cujuſdam civis Batavienſis, qui per tres annos languerat miro, ac incognito affectu: Nam ſi ſuper umbilicum, aut circiter, quis manum impoſuiſſet; Pulſus, qualis cordis, ac arteria-

 rum

rum, tam vehemens ſentiebatur, inſtar ſalientis infantis in matris utero, quæ jam partui vicina eſt, ita ut manum elevando repelleret. Æqualem fuiſſe hunc pulſum cum arteriarum & cordis, hoc modo deprehendi: Siniſtram umbilico ægri impoſui, dextra arteriam, circa carpum, tetigi; invenique in ſyſtoles, & diaſtoles intervallo plane convenire. Unde ego ſtatim conjeci arteriam magnam loborare; quod & poſt mortem invenimus. Nam vena cava repleta erat, loco ſanguinis adipoſa ſubſtantia, ac medulla ſpinali admodum ſimili, quæ, pondere ſuo, arteriæ vicinæ incumbens, dum illa è contra iſtud onus à ſe rejicere conaretur, hunc pulſum excitabat. Arteria magna duplo ſolito laxior erat, ac repleta ſanguine nigro ac ſeroſo. Cor etiam *Magiſter Andræas* diſſecuit; quod etiam ſolito majus, ac flaccidius inventum eſt, ac ſpongiarum modo comprimebatur; tum uterque ejus ventriculus amplior, ac etiam ſanguine iſto nigro repletus. Quis, rogo, mortalium non obſtupeſcat, taliter affectum tam diu vitam protrahere potuiſſe? Iecur erat vividi coloris, ac conſiſtentia, niſi quod communem menſuram ferme duplo excederet. Cyſtis, qua biles continetur, etiam bovinam magnitudine æquabat, eratque intus referta cholera ex nigra viridi, lenta, ac tenaci, craſſitudine ſyrupi ſpiſſioris, aut potius extracti. Obiit 7. Septem. 1629.

## OBSERVATIO IX.

### *De Apoſtemate Hepatis.*

Miles Anglus, cum inflammationem primum hepatis paſſus eſſet, & fruſtra tentaſſemus ea, quibus opus erat, dolor ſe remiſit quidem: ſed deſiit malum in fluxum hepaticum; tumore, qui ante erat, in pochondrio plane evaneſcente. Cum hoc modo per ſex ferme menſes languiſſet, tandem ad extremam maciem ita perductus eſt, tu ipſiſſimam, qualis pingitur, mortem dixiſſes, & ſic miſerrimam vitam cum morte permutavit. Aperto corpore invenimus loco hepatis, ſolam membranam ipſum veſtientem, ſatis craſſam, inſtar ſacci, cui adhuc portio ſaniei, loturæ carnium ſimilis inerat, qualem tam longo tempore excreverat. Obiit 1629. Aprili. menſ.

## OBSERVATIO X.

### *De Vulnere capitis, ubi perperam fiſſum cranium credebatur.*

Menſe Majo 1629. vocatus fui à Chirurgo quodam ut viſerem militem in ſuprema frontis parte vulneratum; vulnuſque, ferme ante tres ſeptimanas, laxius inciderat, ferramento ſuo credens, quod Provettam vocamus, dum aſperitatem in cranio, & oſſe frontis ſentiret, fiſſuram ſubeſſe judicavit, & etiamnum erat in ea opinione; Sed, dum ego oculos propius admovi, inveni, quam ille fiſſuram putabat, eſſe excurrentiam ſuturæ ſagittalis (ut in iis ſolet natura ludere) uſque ad nares. Itaque corripiens Chirurgum, oſtendi ei errorem ſuum. Interea ab aëre os jam alteratum erat; itaque curavi ægrum in Noſocomium deferri ad *Magiſtrum Andræam*, & jam ſextus menſis eſt, quo ſub cura noſtra egit. Exemimus ipſi à ſutura coronali partem oſſis uſque ad os temporale, ſeu petroſum, & ab altera parte non contemnendum fragmentum; Tum oſſis frontis duas partes: quæ ſutura excurrente diſtinctæ apud *Magiſtrum And. Duræum* etiamnum reſervantur: & jam, dum hæc ſcribo, die 10. Novemb. 1629, totum vulnus coſolidatum ac cicatriſatum eſt, & ille, hac veſpera, iturus ad navem bene ſanus; & in Patriam, intra tres, aut quatuor dies remeaturus eſt.

## OBSERVATIO XI.

### *De Catharro ſuffocanti in Nobiliſſimo Domine Joanne Petri Coën Generali in indiis præfecto.*

Cum generoſus Dominus noſter *Joannes Petri Coën* aliquandiu Diarahæa laboraſſet, & tamen, ut illi erat ſummus animi vigor, nihil de ſolita diligentia remitteret, dum opera, ac mutationes bellicas ipſe coram inſpicere vult, & tamen à me aliquoties monitus, ut paulum quieti ſe daret, ac valetudini ſuæ conſuleret, negavit ſibi tantum otii eſſe ut decumberet, quaſi diceret præſagiens, Imperatorem ſtantem mori oportere. Tandem, decimo nono Septembris 1629. circa octavam veſ-

pertinam repente in arcem ad Dominum ſum vocatus, quem inveni ægre ſpirantem, cum tuſſi ſicca; externe membra frigebant, ſudor aderat frigidus, ac glutinoſus. Dejectio per inferiora erat admodum multa, flatulenta, aquoſa, ac bullis plena; vomitus præceſſerat bilioſus. Pulſus arteriæ tam languidus erat, ut vix ſentiretur, & ille quidem vermiculans. His ego omnibus conſideratis, adſtantibus Ampliſſimis Dominis meis Conſiliariis Indiæ *D. Antonio van Dyemen*, *D. Quirino à Raemburch* ſtatim pronuntiavi *D. Generalem* ſupremis appropinquare: ipſis re ſubita attonitis, ac tantum deliquium animi, ex vomitu, dicentibus, dum paulatim vires, ac ſpiritus redituros putarent, cum pauco ante tempore cum ipſis diſcumbens familiariter confabulatus eſſet: Ideoque dicebant ſe mirari, quod tam audacter de tanto viro pronunciarem: Reſpondi modeſte, mihi in more non eſſe poſitum, artem meam ludibrio exponere, dum aut ignoraſſe, aut fefelliſſe viderer: ſi ſententiam meam non explicuiſſem: me tamen in eo optare, ut vaticinium meum fallat. Interea *Dominus Generalis* inter duodecimam ac primam noctis horam, ſuperveniente ſpaſmo, quem momento temporis ante prædixeram, animam creatori ſuo reddidit. Qui Ampliſſimi hujus viri ſtaturam, ac formam contemplati ſunt, nihil miri accidiſſe ſciant. Erat enim longa, ac erecta cervice, alis ſeu ſcapulis prominentibus. Complexione ex melancholica, pituitoſa opportuniſſima ad phtiſin & catharrum ſuffocantem, quo etiam mortuus eſt. Obiit anno Domini noſtri 1629. Septemb. 19.

## OBSERVATIO XII.

### *De quodam ex vulnere in pectore mortuo.*

Civis Batavus *Joannes Dragon* nomine, 16. Septemb. 1629. in pectore punctim vulneratus eſt ictu tranſeunte os ſterni, ſeu ſcutiforme, per pulmones in Oeſophagum, ſuperveniente febre, ac ſingultu, octiduo poſt vulnus illatum, mortuus eſt. Aperuimus præſente magiſtratu cadaver, invenimus ſecundum conjecturam noſtram partes ante dictas læſas. Thorax plenus erat ſanguine ſeroſo cum potu, qui ex gula effluxerat mixto.

OB-

# OBSERVATIONES ALIQUOT ex plurimis ſelectæ, de Epidemiis, ac contagioſis, in Indiis, morbis.

## OBSERVATIO PRIMA.

### *De Dyſenteria Epidemica.*

DUm anno 1628. à Javanis Matarenſibus obſidione cingeremur, ampliſſimus vir, *Jeremias de Meeſter*, Senatus Indici conſiliarius, primum in febrem continuam incidit, dein in Dyſenteriam, quæ tum populariter graſſabatur; exonerans per alvum cum fæcibus ſanguinem nigerrimum, cum ſummo cruciatu, ac fœtore; tandem cum omnia remedia, quæ excogitari ad hujus mali levamen potuiſſent, adhibuiſſemus, ex vivis exceſſit; ſupervenientibus, paulo ante mortem, exanthematis nigris, ac lividis, ſimilibus iis, quæ noſtri *Peepercoorn* vocant, cum ſudore frigido, ac male olente.

Similiter *Secretarius Domini Generalis*, *Jacobus à Dooreſlaar*, prædicti *Domini de Meeſter Gener.* paucis diebus poſt, Dyſenteria viridi ac genere venenoſa mortuus eſt, apparentibus copioſis maculis lividis, in pedibus ac brachiis, ante dictis reſpondentibus.

## OBSERVATIO II.

### *De eadem Dyſenteria Epidemica.*

Eodem tempore *Guilelmus Wyntigs*, Fiſci advocatus, mihi fraterna amicitia divinctus, incidit in Dyſenteriam veram cum ſummis torminibus, quæ perdurans cum febre ardentiſſima per quinque, aut ſex dies, adhibitis omnibus, quæ morbi violentia, & neceſſitas ſubita requirebant, cum ſummo meo, & bonorum omnium mœrore, juvenis optimus mortuus eſt, apparentibus, tam crebris, ac denſis per univerſum corpus maculis lividis, ut (quod in proverbio eſt) locus non eſſet, cui caput aciculæ imponeres.

## OBSERVATIO III.

### *De febre ardenti, Dyſenteria, Ulceribus malignis, &c.*

REverendus, ac Doctiſſimus vir *Joannes Cavallerius*, verbi divini præco, circa idem tempus correptus eſt febre ardenti, ſuperveniente Dyſenteria atrabiliaria, quæ cum per aliquot dies continuaſſet, eruperunt ſub axillis, in tergo circa lumbos, & inguinibus, etiam in collo, puſtulæ ac veſicæ quædam, plenæ ac diſtentæ pure viridi, & ſubjectam cutem ad carnem uſque erodente, quæ nobis, prima facie, ſpem criſeos faciebant: ſed Dyſenteria non ceſſante ac febre, cum Phrenitide ingraveſcente, probiſſimus ſimul, ac doctiſſimus juvenis, ex hac vita ad cœlos raptus eſt. Eodem tempore, liberi pulcherrimi *C. Adriani Blocq*, eadem Dyſenteria maligna obierunt.

## OBSERVATIO IV.

### *Diſſertatiuncula, utrum morbi Epidemici, ac peſtilentiales etiam hic in Indiis Orientalibus graſſentur.*

Hæc paucula, ex ſexcentis aliis, exempla ego in medium produxi, ut probarem fruſtra eos dixiſſe, qui peſtilentiales, ac Epidemicos morbos in his locis graſſari negaverunt, Quo nomine, alii eos appellent, mea nihil intereſt. Certe mihi conſtat contagioſum hunc, de quo loquor fuiſſe, & qui plurimos ſimul, ac celeriter occuparet. Cauſas, quæſo, audite, dein recte judicate. Obſeſſi arcte eramus, à triginta quatuor millibus Javanorum Mataranenſium, Duce Tommagom Bauraxa expertiſſimo, inter ipſos audaciſſimo milite. Quotidie à noſtris excurſiones, & velitationes fiebant, ſæpe plurimis ex hoſte tum hic, tum in oppugnationibus, quæ ferme ſingulis noctibus fiebant, deſideratis: quorum cadavera in flumen præcipitabantur, & ſummum fœtorem, ac corruptionem aquæ conciliabant. Tum corpora hominum, & jumentorum, ex fame, & vulneribus mortuorum, paſſim in campis ac ſilvis inſepulta jacebant, quæ non levem contagionem aëri addiderunt. Præterea flumen inficiebatur radice Serpentariæ, quam Indi, in profluente, aliquot mille corbibus impoſitam, macerabant, ut venenoſam qualitatem, ac glutinoſam ſuam ſubſtantiam exueret, quam vidimus, ſi vitrum aqua plenum reponeremus, per aliquot horas, in fundo tanquam albumen ovi deſidere; Qua dein tota vice Oryzæ, cujus in caſtris ſumma penuria erat, uterentur; dum unico inſultu nos poſſe capi ſperaſſent, & hinc minus ſibi providiſſent. Hæc non tam mira videbuntur iis, qui ſciunt in Indiis Occidentalibus radicem Caſavi, loco panis eſſe, cujus tamen ſuccus expreſſus præſentaneum eſt venenum. Ad rem venio: Adde his potum aquæ ſubſalſæ: Nam, dum ventis è mari ſpirantibus, ſtato tempore aqua marina fluvium impellitur, ejus alveum ſalſedine inficiebat; & nos propter obſidentes hoſtes, altius ex flumine pete-

re aquam non audebamus; Adhæc cadaveribus infectum flumen vermibus ſcatebat. Omnibus iſtis adde tempus anni, quod tum calidiſſimum ſimul ac humidiſſimum erat, propter aſſiduas pluvias tum temporis, utpote à Septembri, uſque ad Februarii initium, tum ſole ſupra verticem noſtrum exiſtente in linea æquinoctiali: Quæ omnia me quoque, per quatuor continuos menſes lecto affixerunt, cum ſummo vitæ meæ deſcrimine. Primo invadente me ſebre ardenti; ſubſequente dein Dyſenteria, & augeſcente, qua jam ante menſem affligi cœperam Paralyſeos iſta ſpecie, quam Beriberii vocari diximus. Quæ omnia Deo propitio ſuperavi, uxore interea, ac utroque filio meo iiſdem moleſtiis vexatis, ac decumbentibus.

*Dedit Deus his quoque finem.*

# INDEX
## Capitum hujus Methodi medendi in Indiis.


CAP. I. *DE Paralyſeos quadam ſpecie, quam indigenæ Beriberii vocant.* 209
II. *De Spaſmo.* 211
III. *De Alvi profluviis, ac primum de dyſenteria vera.* 214
IV. *De fluxu alvi hepatico.* 216
V. *De Teneſmo.* 218
VI. *De Cholera.* 219
VII. *De Affectibus Hepatis Viſceris Nobilis, ac primum de ejus Obſtructione, ac Inflammatione.* 221
VIII. *De Apoſtemate Hepatis ac de ejus cura unica.* 224
IX. *De Hydrope, familiariſſimo in Indiis morbo.* 225
X. *De Ictero in Indiis.* 227
XI. *De Atrophia, ſeu Extabeſcentia quadam, Indicis regionibus familiari, ab obſtructione viſcerum, præſertim Meſenterii orta.* 230
XII. *De quibuſdam Pulmonum vitiis, quæ hic graſſantur; ac primum de Hæmoptoſi, ac ſanguinis Sputo, & Phtiſi, ſeu Ulcere Pulmonum.* 231
XIII. *De Empyemate & fluctuatione puris ſuper ſeptum tranſverſum.* 234
XIV. *De Febribus in Indiis.* 235
XV. *De Febribus quibuſdam, quas incolæ vocant Tymorenſes in Indiis peculiaribus.* 237
XVI. *De Cæcitate, ac debilitate viſus, quæ navigantibus Amboynam, ac Moluccas verſus accidit.* 239
XVII. *De Herpetis ſive impetiginis Indicæ ſpecie, quam incolæ Courap indigitant.* 241
XVIII. *De Papulis rubentibus, ſeu ſudaminibus, quæ vulgo noſtrates* het Rootvont *vocant, ac obiter de moleſtiſſimis culicum morſibus.* 243
XIX. *De Topbis, gummatis, ac ulcerationibus in inſulis Amboyna, ac Moluccis præcipue; quas noſtrates,* d'Amboynſe pocken *vocant.* 244

# INDEX
## Obſervationum Selectarum.

*DE quodam è Spaſmo mortuo.* Fol. 247
*De Phtiſico quodam, ac Empyematico.* 248
*De Dyſenterico.* 248
*De quodam Pulmones plenos Pure habente.* 249
*De Empyematico ſanato.* 249
*De inſigni Cranii fractura.* 250
*De Chronicis, ac implicitis morbis in uno ſubjecto.* 251
*De quodam cui vena caua loco ſanguinis, repleta erat adipoſa, & medulloſa ſubſtantia quadam.* 251
*De Apoſtemate Hepatis.* 252
*De Vulnere capitis; ubi perperam fiſſum cranium credebatur.* 253
*De Catharro ſuffocanti in Nobiliſſimo Domino Joanne Petri Coën Generali in Indiis præfecto.* 253
*De quodam ex vulnere in pectore mortuo.* 254
*De morbis Epidemicis obſervationes aliquot è plurimis ſelectæ.* 255
*De Dyſenteria Epidemica.* 255
*De eadem Dyſenteria Epidemica.* 256
*De febre ardenti, Dyſenteria, Ulceribus malignis. &c.* 256
*Diſſertatiuncula, utrum morbi Epidemici, ac peſtilentiales etiam hic in Indiis Orientalibus graſſentur.* 257

FINIS.

COUNTWAY LIBRARY OF MEDICINE
RA
947
A75
1745
RARE BOOKS DEPARTMENT

